

PHYSICÆ CVRIOSÆ Pars Octava

Quæ meritò posset dici

DE UNIVERSO.

In ea

Reliqui Aristotelis Physicorum Libri exponuntur.

Et quæ in aliis partibus sunt intermissa, apponuntur, aut ibi posita, magis explicantur.

AUTHORE

R. P. Adalberto Tylkovvski

è Soc. JESU.

Typis & Sumptibus Monasterii Olivensis Sac. Ord. Cisterc.

Imprimebat

Georgius Franciscus Fritsch, Factor. 1682.



FACULTAS
Et
APPROBATIO
Præfixa est
LOGICÆ.

SUMMA PRIVILEGII.

CAutum est authoritate Sereniss. Regis Poloniæ, ne quis in ejus Regno, aliisve locis ejus ditioni subjectis, quosvis libros in Typographia Catholica Monasterii Olivensis S. Ordinis Cisterc. excusos: & à Loci Ordinariis approbatos imprimere; aut alibi impressos divendere præsumat, infra decennium. Si secùs fecerit; confiscationem librorum, insuper & mulctam mille aureorum, prout amplius in ipso Diplomate continetur, se noverit incursurum.



PP. Ertarii Camald in Insula Vigrensi



ILLUSTRISSIMO
DOMINO, DOMINO,
GEORGIO FREDRO
PRÆFECTO VENATIONIS REGNI,
&c. &c.

Domino, Patrono Colendo.



Uod Virtuti, idem literis evenit, nec illa apud vitiosos, nec istæ apud illiteratos in pretio sunt. Nemo æstimat nisi qui agnoscit, neque ullus agnoscit melius hæc duo, nisi qui studiosè exercuit. Hinc

spero præsentes meas curas, quibus Universum prosecutus sum, gratissimas TIBI ILLUSTRISSIME DOMINE *venturas, quia simillimus es Magno Tuo* PATRI MAXIMILIANO *Palatino Podoliæ, in quo universitas scientiarum suum habuerat domicilium, ut libri ab eo plurimi dati prælo affirmant. Nondum ætas tua Patri æqualis, & jam par virtus, par scientia. Adest omnis literatura, ingens jam collectus rerum usus, est judicii acrimonia, est celeritas cum perspicuitate intelligendi, est amica istis animi tranquillitas, est mater hujus temperantia, & pedissequa sedulitas: est librorum & monumentorum quæ meliora erexerunt ingenia, amor: & illi adnexum æmulandi studium ac felicitas, quæ facit, ut idem sit attentare & assequi. Antiqua Tuæ Domûs tam Martia quàm pacata non numero decora, rariora in orbe prosequor, quæ sunt ex literis; etsi & illa sint phænices, & quantum ex illis ad Te pervenit, tantùm ex Tuo illis apponis. Viros magnos, Tuos Ma-*

jores

jores Illustrissimos gesta eorum scripsêre pósteritati, in quibus arma concedebant togæ, & toga arma. Est collectum in Te utrumq. Hinc, si præsens meus labor Tibi probatus fuerit, displicebit nulli. Ex sensu id de Te omnium infero. Literatissimi Patris eruditissimo Filio librum offero: Librum, qui omnem rerum scrutatur naturam. Illi, cujus Patrium decus est, nihil nescire. Admitte pro Tua, quâ omnes, certè innumeros antecellis, hùmanitate. Accipe in manus, & statim in grande excrescet munus, si oculorum adjeceris dignationem.

ILLUSTRISSIMÆ
CELSITUDINI VESTRÆ

Devotissimus in Christo

Adalbertus Tylkowski S. J.

PRÆFATIO
Ad Lectorem.

ETſi nos in exilium projecit culpa, non tamen omnem excluſit Patriæ noſtræ conſpectum. Dedit altisſima Dei clementia Tubum nobis quendam, non jam Opticum, ſed per quem, obſcurè quidem & quaſi in ænigmate, poſſimus tamen Patriæ illius pulchritudinem contemplari, nimirum hæc viſibilia, ex quibus inviſibilia DEI cognoſcamus. Dedit ſcalas quasdam inſpectorias, non quibus adjuti hoſtilia ſpeculemur: ſed quibus in corde ritè locatis Aſcenſiones diſponamus, donec videatur DEus Deorum in Sion. Sive malis dicere Dedit librum hunc mundum. Eſt certè liber in quo Magnus Antonius hiſt. Eccl. c. 18. mirabilia Dei legebat, cùm diceret, *Meus eſt liber natura rerum à Deo conditarum, in quo quotiescunque ſic animæ meæ viſum, legere poſſum quæ dicit Deus.* Liber eſt ex quo Baſilius itidem Magnus in hexam. di-

discebat Deum. *Mihi* ait ille, *thronum Dei effingit Iris, Majestatem prædicant tonitrua ac fulmina: potentiam successio ac tremor, sapientiam regulariter varius marium æstus, terræq́ tam varia ac mira fœcunditas.* &c. Hâc ratione moti quidam Sanctissimi Ecclesiæ Patres curiosè Opus sex dierum Dei, & naturæ arcana perscrutati. Hunc tubum Lector porrigo; has tibi admoveo scalas, hunc scribo librum. Speculare mecum, vide, lege, quàm miranda, quàm ordinata, quàm varia, hic mundus, hæc natura inferior, exhibeat, & ad illa invisibilia animum transmitte. Deum, Deum, ac cœlum cognosce. Exilium est quodcunque vides, anhela ad illa bona, anhela ad illa spectacula. Alterum est quod meis istis quæro laboribus. Curiositates innocuas objicio, ut letiferas, sacrilegas, excutiam: veros cœlorum influxus explico, ut à Pseudo-Astrologicis superstitionibus abducam: Dei existentiam, ubi fert occasio demonstro, ut inclinatas mentes ad Atheismum quorundam

rundam

rundam miſerorum erigam. Vera naturæ arcana conquiro, ut à vanis tum medicationibus, tum obſervationibus ac dolis Caco-Magicis abſtraham. Pleraq; in his noſtræ Phyſicæ partibus etiam quæ ad naturalem ſpectant hiſtoriam, fulcimus rationibus, quæ ſi non cuivis ſatisfecerint, habet inſcitia noſtra patrocinium in exemplo Magni illius Aurelii Auguſtini lib. 21. de Civit. cap. 5. *Fixam apud nos eſſe rationem, non ſine ratione facere Omnipotentem, unde animus infirmus rationem reddere non poteſt.* Authores ex quibus ea quæ referimus extracta habemus, non ſemper adducimus, nam aliquando ad ſingula ferè verba adducendi eſſent, & ita liber magnâ parte ſui conſtaret nominibus. Hæc præfari viſum in hac parte ultima, quia non amplius credo me ad Phyſicæ tractationem rediturum. Quia verò in hac parte, etiam illa quæ in prioribus ſunt omiſſa, reponimus, unde rerum crevit congeries, quæ ne pariet confuſionem, hanc ipſam partem in ſectiones hoc ordine diſtribuimus.

Sectio

Sectio 1. tractat. De Mundi origine, statu, partibus, fine.

Sectio 2. de cœlo, ejus natura, motu, Planetis.

Sectio 3. De Cœli activitate, de sana & pseudo-Astrologia, prædictionibus, climactericis annis, cœli thematibus.

Sectio 4. De terra & aëre, de terræ partibus, mirabilibus, centro, &c.

5. De spiritibus, eorum actionibus præcipuè circa sagas, de Geniis familiaribus, energumenis, lunaticis, spectris, magia, characteribus, cabbala.

6. De Homine curiosa, de nævis ejus, partibus, physiognomia, chiromantia, vita, morte, metoposcopia, monstris, fascino.

7. De Aqua, Piscibus, & horum mirandis, de musica Aquatica.

8. De Fossilibus, eorum origine, natura, metallorum inquisitione, artificiis, Lapide Philosophico.

9. De lapidibus & gemmis tam naturalibus quàm artefactis, gemmarum viribus,

viribus, terris pretiosis, Magnete, Magneticis curationibus, colloquiis. De Gemmis & metallis quasi ordine Alphabeti.

10. De Sensitivis, eorumq; miris, conceptu, monstris, partibus, venenis. De Animalibus ordine Alphabeti.

11. De Vegetabilibus, eorumq; miris. De plantis in particulari ordine Alphabeti.

12. Quædam quæ sunt extra priora, aut in prioribus omissa.

Congessimus hìc plurima experimenta è probatis Authoribus, aut etiam nostro proprio usu, non solùm eo fine ut imitaremur Aristotelis historiam, sed etiam ut ex illis certas de natura rerum faceremus conclusiones, uti in libris de Anima fecimus de Podagra & Plica Polonica, & sic magis proximas rerum causas assignaremus, sed quia adeò semper aliis implicati fuimus, ut hæc ipsa nonnisi horis furtivis corraderemus, alteri aut homini, aut feliciori tempori, relinquere cogimur. Fruatur & his cui rerum indolem cognoscere est jucundum, laudetq, in omnibus earum mirabilem Creatorem.

A. R. PATRI
AUTHORI
EXCELL. DOMINUS
Martinus Nuſczynski,
J. U. Phil. & Med. Doctor,
Protonot. Apoſt. applaudit.

SArmatiæ ſalve decus, ac totius Aſylum
Parnasſi, & JESU Relligionis honor.
Hanc Tibi Rusſiaco Martinus ab orbe Salutem
Mittit, & in numerum verba redacta ſuum.
Si vacat, & tenuem non averſaris honorem,
Perlege, nec veteris ſperne clientis opus.
Si tibi plùs versûs quàm gratæ mentis habenda
Eſt ratio, ulteriùs ne lege, rumpe, jace.
Haud equidē dignū quidquam dare poſſe puta-(vi.
Non ita ſum ſtultus, te, meritisq; tuis.
Sed tua me merita urgebant, diciq; timebam
Ingratus, quo plus crimine damno nihil.
Tu mihi ſacrati reſerâſti limina fontis,
Tu mihi & ad carmen vimq; animumq; facis.
Mille Magiſtrorum Juveni mihi pulvere quondā
In Stagiræo, tu vice ſolus eras.
Caſtalis invito potatur Apolline nulli,
Unda nec adverſo te, juvat unde bibi.
Qui tibi pro Phæbo ſe non dedit, aſſero talem
Non profecturo littus arâſſe jugo. Hîc

Hîc memini, totum tibi me studuisse colendo,
Persona officium cùm tua passa meum est.
Nec tamen hunc tenuem dedignabare clientem
Inque meis studiis, tu, via, lumen eras.
Ante leves ergo pascentur in æthere cervi,
Unda avibus sedes, piscibus ulmus erit.
Ante suo Nereus gelidas admiserit Arctos
Æquore, terra polus fiet, & ignis aqua.
Spiritus hic vacuas prius extenuandus in auras
Ibit, & in tepido deseret ossa rogo:
Quàm tuus è nostro labatur pectore vultus
Aut sileat laudes nostra Thalia tuas.
Qualiacunque mihi concedet barbita Phœbus,
Tu mihi materies carminis unus eris.
Eja age, nunc inter capitis tot serpere lauros
Hanc hederam sine, ne parva corona gravet.
Primâ dicte mihi, summâ dicende camœnâ,
Mæonio dici carmine digne Pater.
Ne quis Alexandrum depingere præter Apellem
Auderet, cautum lege fuisse ferunt.
Sic ego, cùm magnis dici mereare Poetis,
Per titulos timeo nominis ire tui.
Felices quibus effinxit tot provida Vates
Fortuna, ut laudes quas meruêre ferant.
Virgilius canit Ænean, & Homerus Achillem,
Et plùs laudis habent quàm sua facta petant.
Quàm bene fortunam tabulæ fecêre Cebetis,
Et facit exoculam fœmina, virque suam:
Grandia quæ parvæ tribuit præconia laudi,
Præteriens tacito grandia facta sono.　　Cui

Cui non, nescio quem jussit celebrare Sophorum?
Incommendatum te tamen esse sinit.
Cùm tua Priscorum referat miracula virtus
Queîs venit à vestro vita secunda stylo.
Quantùm lenta solent inter, juburna cupressos,
Tantùm inter doctos tollis ad astra caput.
Sed quid multa fero gratis? quis clarior extat?
Quodve tuo legitur, plusve legetur opus?
Victuram vivo famam fecêre libelli,
Qualem post cineres nonnisi magnus habet.
Sydera famoso sublimia vertice tangis,
Et te qui nescit vix reperitur homo.
Unde venit Titan, & nox ubi sidera condit,
Quà medio plenus flagrat ab axe dies.
Et quà bruma rigens, & nescia vere reverti
Adstringit Boreo flumina pigra gelu,
Hîc tua perpetuo celebrantur nomina cultu,
Terraq; te resonat, te pelagusq; sonat.
Non modò, quòd cùm sis, & vitâ dignus amari
Ut qui te videant semper oportet ament:
Sed tua quòd mundi pars maxima viderit ora,
Et desiderium duret ubiq; tui.
Qui videt hos, servat fixos in pectore vultus,
Sin minùs, audito nomine, nomen amat.
Hæserat ut vidit Trinacris Ariona ponto
Sæpiùs in vultu Balthica fixa tuo est.
Lechia Sarbievii monumenta perennia servat,
Quæq; senex calido pectore Scarga tonat.
Vivunt Theologi, vivunt asserta Lycæi,
Et qui Sarbieviæ succinuêre Lyræ. In-

Insonat & nostris de quorum Tullius ore
Auribus, & quorum est hæresis icta stylo.
Crugeriq́; senis quem nostra hæc tempora nôrunt,
Sarmatico magnum nomen in orbe viget.
Ausu quiq́; novo Copernicus astra ligavit
Et stabilem primus currere jussit humum.
Quiq́; alias nomen cœlo inseruêre per artes,
Sæcula qui studio promeruêre brevi.
Te tamen ut nôrint, tua cùm monumenta vide-
Nullius attonitos fama subibit Avi. (bunt,
Sic tua Scriptorum numerabunt scripta priorum
Inter, & hoc etiam fama loquetur opus.
Ac ubi fallaces spectabunt Zeuxidis uvas,
Hoc quoq́; Parrhasii tela retexet opus.
Sic erit hic toto Liber acceptabilis orbe,
Tertia Protogeni linea qualis erat.
Nec tamen aut æquas unum, sive unius artis
Cùm sis Scriptorum dexter in omne genus.
In cunctis aliquis primas sibi vendicat, & tu
Omne pari studium dexteritate regis.
Omnibus ut prosis legis omnia, & omnia scribis,
Omnigenâ curas utilitate probas. (tustas,
Quidquid Graia docet, quidquid Romana ve-
Hoc tua in omne genus facta Minerva docet.
Si facis historiam, nihil est præstantius illâ
Ipse probat Phlegon, laudat & ipse Tryphon.
Si sacer in divas animum fert impetus artes,
Lausiaca ipsa styli Numen eremus amat.
Si libet occultas rerum cognoscere causas
Ingenio laudes scriberet ipse Plato.

Si

Si juvat humanum Divino jungere juri
Sic facis ut soli te studuisse putent.
Sive ligas Elegos tu, sive epigrammata scribis,
Hic stupet affectus Lector, acumen ibi.
Sive Euclideo decurrere pulvere malis,
Sive Ptolomæâ sydera mente regas.
Quod legat inveniet cultûs cui cura Tonantis
Et cui telluris, militiævè decus.
Hauriet Ascetes Sanctum quo ferveat ignem,
Sentiet & validam in crimine mersus opem.
Quod veneretur habet cui cura Machaonis ar-
Quiq; Sophi nomen, Theologiq; gerit. (tes,
Quiq; studet sensus vivis animare figuris,
Et cui Sectarum figere monstra placet.
Nec satis est scripsisse, sacrâ nisi mente recondas,
Si pereant, à quo restituantur habent.
Non est cur doleas Ægyptia tecta cremari,
Pectore in hoc suppar bibliotheca latet.
Cùm nihil ignoras, tantùm studuisse videris
Huic de quo scribis, doctaq; verba facis.
Qui bene præcinuit, non omnia possumus omnes,
Unum te Vates excipit, ipse potes.
Et sit homo reliquis animalia sensibus infra
Parte tamen supra est nobiliore sui.
Sic aliis alii studiis feliciùs instant,
Nobilior reliquis scribere plura potens.
Talia quod scribas quibus olim Pallas Arachnæ,
Invidiâ positâ victa docenda fuit.
Est Deus in cœlo qui nonnisi prælia curat,
Et præter formam nil agit alma Venus. Ae-

Aequora Neptunus, crudelia tartara Frater,
Flava Ceres segetes, vina Lyæus amat.
Fortior in terris apparuit Hercule nemo,
Aut Protheo mutans pluribus ora modis.
Non fuit in cæstu Polluce potentior alter,
Et Paris in jaculi non tulit arte parem.
Juppiter omnipotens est, & dominatur in omnes,
Singula sunt aliis numina, cuncta Jovi.
Sic qui cuncta facit, nec habebit in orbe secun-
Tu tamẽ à tali nõ procul esse potes. (dum,
Non fuit, & non est, nec erit sapientior unus
Quamvis & Socraten ante fuisse putent.
Si non dicta Deûm, & Phœbi cortina fefellit,
Quo solus verè testificante sapit.
Jam scio, non nego, nam verè sapit ille cicutam,
Xantippe docuit dura magistra virum.
Non est cur ultrò sapientes Græcia septem,
Jactet & extollat dum ruit ipsa suo. (tam
Si modò ad Europam non nubila lumina ver-
Quod sapiat meliùs noster id orbis habet.
Ille bipartitus sacrorum cura libellus,
Ille duplex, index remmediumq; mali,
Disperiit tribus infixis in corde sarissis
Dum Patrem insequitur Regius ille Puer.
Sic tibi multiplici configitur Atheus ictu,
Figitur Hæreticus, confoditurq; Magus.
Hic fera belligeræ sternuntur castra Minervæ
In nostram exitium ferre parata fidem.
Tres acies, tres ante duces, tres ante phalanges,
Aspicis hostiles, sub duce quamq; suo. Arma

Arma gerunt, quibus ingenii dum vita manebat,
Indoctis lethum clade tulêre viris.
Prima acies dextrâ Græcos Arabesq; Sophistas,
Prætendit, sed qui vulnera prima ferant.
Hæretici lævâ tendunt, quiq; arma sequuntur
Impia, ne quidquam Diis fera bella movent.
Stat medio cornu feralius agmen utroq;,
Hoc animos illis voce manuq; facit.
Non tamen ut vincant, sed ut infelicius instent,
Utq; lacessito pejus ab hoste cadant.
Instruit hoc pugnæ, pugnæ doctissimus author,
Prælia, militiæ qui dat & arma suæ.
At contra totidemq; Duces, totidemq; legentes
Agmina pro vera relligione paras.
Jamq; acies utrinq; rigent, motataq; signum
Signa dedêre fugæ, territaq; arma cadunt.
Atheus inde ferox qui pellibus ora caninis
Texerat, in totam sternitur ictus humum.
Dæmonis inde mali cuneis jacet inde Novator,
Arma cruentato fracta videre solo.
Ista sed Heroæ meliùs transcribe Camenæ,
Quàm tuo inæquali lustra Elegia pede.
Vidimus & plures & magna volumina libros,
In quibus omnigenæ scribitur artis opus.
Jam chaos antiquũ patet, ac labyrinthus apertis
Stat foribus, tutos jam capit iste locus.
Non opus est Theseu filo, nec Dædale pennâ,
Luce novâ meliùs perficietis iter.

Quæ loca Pallas habet dumis & inhospita tesquis,
Omnibus exitio tot mala nota virûm.
Quiq; latent scopuli doctrinæ in gurgite vasto
Hâc manifestantur luce, metuq; carent.
Prima quod innuptæ donum Tritonidos Argos
Semideos vexit per freta longa Duces,
Et quia vocalis potuit prædicere nautis
Æquoreis cautes quæ latitaret aquis.
Quodq; procellosum remeabile fecerit æquor
Auratoq; redit vellere dives ovis,
Nil nisi, tot meritis, cœlum satis esse putarunt,
Ut foret astrigero sydus in orbe novum.
Quid tibi, quòd casûs aperis genus omne marini,
Quòdq; fretum terrâ tutius esse jubes.
Est ubi in immenso doctrinæ vortice multi
Pœnè perire solent, naufragiumq; pati.
Est ubi nec procul hinc, ratibus saturata chary-
Fundit, & effusas ore resorbet aquas. (bdis,
Monstraq; Scyllæam rabiem resonantia contra
Saxa peregrinis perniciosa jacent.
Est ubi Circeis medicatos artibus haustus
Si bibis, induces ora ferina tuis.
Ipse ego monstrantem sub nocte Caphareа vidi
Heu malè Dulichiis cognita signa, faces.
Hic solet illecebris, cantuq; suo Sirenia pubes
Interitum falsis dissimulare jocis.
Sæpè Thyesteæ invadunt caligine mentem
Errores, tenebras, Cimmeriasq; ferunt.
Additur in formas Protheûs aptissimus omnes,
Qui falsum vero verius esse facit. Hæc

Hæc duce te fugiunt. Tua qui præcepta ſequuntur
Tutiùs Argoâ puppe per æquor eunt.
Quid tibi pro merito majus majore precabor
Veriùs Æmonia ſydera ſcande rate.
Vive tamen felix, & ut es dignisſimus, ævum
Vive priùs Pylios Neſtoreosq́; dies.
Ut quid enim Patriæ proles dilecta negetur,
Quam reducem Latio nuper ab orbe fovet.
Quæ regio in terris vultu fraudata ſereno,
Aut quæ præceptis non eget ora tuis?
Roma caput mundi totis te quattuor annis,
Vidit & in libris gaudet honore tuo.
Hic tibi Lechiadûm commiſſa eſt cura tuorum
Qui voti causâ limina ſacra petunt.
Ut ſolvas mentis nodos, culpâq́; ſolutis
Ut reſeres vitæ limina clave Petri. (mantq́;
Nunc quoque te reduces iidem venerantur a-
Jam rude donatum, præripiuntq́; ſibi.
Et tua ſcripta legunt gelidus quos abluit Iſter,
Sepoſito ſeptem quiq́; trione manent.
Iliacas olim venit peregrinus in oras
Noſſe volens, noſcens plurima, plura Plato.
Venit odoratos linquens Regina Sabæos,
Factaq́; plus ſapiens à Sapiente redit.
Deniq́; de Patriâ multi didicêre profecti,
Docturus nemo, quisq́; docendus adit.
Sic veniunt ad te, nemo non doctior à te
Diſcedit, nemo non meliora volens.
Rara avis in terris, rari per ſæcula viſi,
Qui fugiunt ubi ſe nomen habere vident.

Candida funeſtum victoria ſæpe trophæum
Victori Chriſto depoſitura tulit.
Si citò ſuffoſſo retuliſſet ſtrenuus Heros
Heu malè victores ex elephante pedes,
Occiduo nunquam cecidiſſet preſſus ab hoſte
Nec fera Victori victa fuiſſet onus.
At tua Phæbeæ dum ſe victricia lauro
Tempora ſubripiunt, ſerta repulſa vigent.
Sic Phaëtonteas agitare impunè quadrigas,
Et citra caſus Icarus eſſe potes.
Sìc ſuperare datur cœlum. ſic itur ad aſtra,
Non ſi ſuppoſitum Pelion oſſa premat.
Aurea nec Triviæ delubra crementur oportet,
Herculeoq́ furens ardeat igne pyra.
Quàm benè Pelignum referens dixiſſe Poëtam,
Ardua per præceps gloria vadit iter.
Dum cupit Empedocles Deus immortalis haberi,
Frigidus in flammas inſilit Æthna tuas.
Quò tamen, ut lateas fugis, huc te fama fugacem
Non ſecus ac corpus cernitur umbra ſequi.
Ergo ubi in extremos tua te ſapientia fines
Vexit, in hac Patria te retinebit amor.
Et quibus hàc illàc deduceris arduus alis,
Hanc foveas, quæ illas dat tibi, teq́ ſibi.

SECTIO



SECTIO PRIMA
De Mundo.
SUBSECTIO I.
DE
Causa prima rerum, seu Deo.



Ausam primam esse sive Deum, Xenophanes hoc modo esse probabat. Quod est præstantissimũ est unum. Si unum, à nullo est productũ, producens enim vel esset illi æqualis, vel melior: Si hoc, non esset ipsum præstantissimum: Si æqualis, non esset ipsum unum. Est omnino; immobile, quia motus fit propter acquirendam perfectionem, atqui omnem habet quod est præstantissimus, hoc verò DEus; itaq; omnem habet perfectionem. Præterea, omnes perfectiones potest producere, itaq; illas debet in se continere. Quod argumentum probat, & DEum esse, & esse unum. Esse quidem, quia præstantissimus est, non est verò præstantissimum nihil. Ergo DEus

 non

non est nihil. Unum verò, quia quod est præstantissimum, est unum. Probat etiam debere esse aliquid præstantissimum, quia dantur causæ aliæ præstantiores aliis, id est aliæ universaliores aliis, & quæ est universalior aliarum minus universalium præstantias, ut sic dicam, continet. In hoc verò excessu non potest procedi infinitum, cum hoc sit impossibile, ut in libris de Auditu ostendimus, ergo tandem sistendum in causa præstantissima quia præstantior esse non posset, & talis non potest esse nihil. Ex illis Philosophis qui cœlum admittunt esse incorruptibile, itemq; materiam primam, tale pro existentia Dei conficitur argumentum. Cœlum si est ab alio, est ab æterno Ente, nam æternitatem cœlo dare non potest nisi causa æterna, nemo enim id dat quod non habet. At verò nullum agens potest assignari æternum nisi Deus, qui non potest dici solùm esse in æternum non autem ab æterno, quia sic non semper fuisset, itaq; ab alio produci debuisset: improductum autem cœlum dici non potest quia hæc perfectio illi Enti solum competit quod nihil se habet nobilius, at verò cœlum est materiale, igitur aliquid se nobilius habere

potest

poteſt, nempe ſpiritum. Ex Ariſtotele hoc conficitur. Omnia in mundo inferiore ſunt compoſita, ergo non ſunt à ſeipſis, nihil enim ſeipſum componere ſive efficere poteſt: ergo debet dari DEUS effector omnium ipſe ſimplicisſimus. Proceſſum verò cauſarum in infinitum ipſe pernegat. Si enim daretur, ergo infinitæ eſſent cauſæ & infiniti effectus, atqui ſemper cauſa ſaltem in hominibus, præcedit effectum, incipiamus ergo ab effectu qui fuit ab infinito, ante illum fuit cauſa, ergo ex illa parte infinitum effectuum terminatum. Sed etiam hodierno die ex altera parte eſt terminatum ergo eſſet utrinq; clauſum terminis, quod eſt abſurdum. Quodſi diceres non à Deo ſed ab Angelo produci compoſita, contrà erit. Quid Spiritui virtus producendi entia materialia non poteſt tribu; niſi Spiritus ſit infinitus in virtute. Et rurſum de Angelo quæretur, productusne ſit ab alio vel non. Si non eſt productus, ipſe eſt Deus: Si eſt productus, vitato recurſu ad infinitum, ſiſtendum eſt in DEO qui illum produxit. Item. Si quisq; ſuum eſſe totum accipit à cauſa antecedente procedendo in cauſis in infinitum, ita ut Deus excludatur, nunquam

filius robuſtior, ingenioſior, prudentior naſceretur quàm illius Pater, cauſa enim id dare non poteſt quod ipſa non habet, ergo quòd filius naſcatur ingenioſior, non à ſolo Patre id habet, ergo ab alio, hic verò Deus erit. Ex Platone. Nihil fit niſi ex Idea, & prout res ſunt infinitæ ita deberent eſſe ideæ infinitæ: Sed iſtæ non in ſe ſunt, quia eſſent actu infinitæ, ergo ſunt in uno, & ab illo ſicut latera trianguli ſemper majus occupant ſpatium, ita plura entia procedunt, ergo illud unum eſt neceſſariò, id verò eſt Deus.

Formatur pro re eadem ex Leucippo, qui omnia ex atomis conſtituebat. Ex atomis non fiet Æneis Virgilii niſi quis eas diſpoſuerit, ergo multò minùs homo qui eſt Æneide artificioſior. Hic verò qui eas diſponit non poteſt eſſe ex atomis, quia id hoc ipſum impugnat argumentum, ergo aliquis extra atomos ex quibus juxta Leucippum ſunt omnia, itaq; hic eſto Deus. Sed iterum ad Platonem redeamus. Plato agnovit materiam & formam, & in materiæ potentia eſſe formam ut patet ex Timæo, materia verò innumeras non ſolùm ſpecie, ſed etiam numero continet formas, quis igitur eam ad hanc numero potiùs formam deter-

minat quàm ad illam, si non Deus? Ergo Deum esse est necesse. Si accidentia determinant, ad ipsa accidentia quid determinat? Plura in hanc rem deduci possunt argumenta ex variis Philosophis, etsi vix aliquis ex intento probavit Deum esse, cùm omnes supposuerint id tanquam notissimum & certissimum. Videri etiam possunt quæ in Metaphysica, & Controversiis posuimus. Addimus, non repugnat existere ens defectibile, ergo neq; indefectibile. Nullam enim contradictionem involvit indefectibilitas. Ergo si non repugnat, jam est; Si enim non esset, non omnino indefectibile esset. Item, supposito impossibili infinito, quod probavimus in lib. de Auditu. Possibile est unum ens alio perfectius, nam planta est perfectior quàm lapis, & leo quàm planta, & homo quàm leo, & Angelus quàm homo, ergo devenietur ad perfectissimum, quod erit Deus. Possibilitas verò in Ente undequaq; perfectissimo non habet locum, cùm sit imperfectio non semper esse, ergo Deum esse est necesse. Item, ponamus ante oculos totum mundum, multa in eo sunt quorum causa non potest assignari in mundo, nec à se poterant

esse cùm sint defectibilia, igitur ab alio qui est extra res hujus mundi. Item Galenus ex mirabili fabrica corporis humani, ita inferebat: Hominis ingenium talem fabricam excogitare non potuit, ergo est Ens homine superius quod illam fecisse debuit. Sit illud sanè Angelus, sed ipsius Angeli fabricam non potuit invenire Angelus, cùm ex nihilo nihil possit facere, itaq; deveniendum ad eum qui ex nihilo faciat, facere enim ex nihilo arguit infinitam potentiam, nam facere ex materia proportionata arguit potentiam, facere ex improportionata majorem, ex magis improportionata maximam, ergo ex nihilo infinitam. Angelos verò non factos ex materia corporali patet ex eorum operationibus: Spiritualis etiam materia non datur, imò si daretur, esset componibilis cum forma, à se autem cum illa componi non potest, ergo ab alio, & componens ab alio componeretur, & negato infinito, tandem deveniendum esset ad quoddam spirituale simplex, incompositum. Hoc verò si est defectibile à se esse non potest; si indefectibile, est Deus. Quod enim defectibile est seipsum non conservat, si verò non seipsum, conservatur ab alio & sic rursus venitur

nitur ad Deum. Item Entia imperfecta habent suum esse, cur illud non habeat ens perfectissimum? Item possibile est hunc totum mundum fuisse aliquando nihil, ergo possibile est fuisse aliquod ens quod illum de nihilo extraheret. Si verò tale fuit possibile, fuit actu: nam Ens tale seipsum non extraxisset ex nihilo, cùm nihil possit esse causa suæ existentiæ. Item, illæ veritates sunt infallibiles quæ sunt toti generi humano communes, neq; illas ab aliquo didicimus. Sunt enim lumine naturæ notæ, ut duo esse plùs quàm unum &c. Sed nulla est, aut fuit natio, quæ Deum esse negaret, itaq; est infallibilitas, Deum esse. Et certè si fuisset error, Deum agnoscere, Sapientissimi viri illum refutavissent, contrà verò accidit. Imò unum Sapientissimi quiq; agnoscebant. Orpheus certè pro summo fuit Græcis habitus Theologo, ex quo Homerus & Virgilius scripta sua de Deo desumpserunt, ita canit in minori Cratere:

Mars bellum, pax alma Venus, mortalibus ipse
Corniger est Bacchus, convivia læta frequentans
Aurea, justitiamq; Themis rectumq; tuetur,

Sol est mox idē contorquens spicula Apollo,
Eminus & peragens, & divinator, & augur
Morborum expulsor Deus est Epidaurius.
Ista
Omnia sunt unum, sunt plurima quamvis.

Item Hermesianax

Mercurius, Juno, Vulcanus, Juppiter, & Pan
Diana, & Phœbus jaculator, sunt Deus unus.

Homerus similia habet Odyss. A. 6. Iliad. 27. & Iliad. A. 498. Iliad. N. 22. Item regnum non subsisteret, si non esset qui toti illi præesset, quia præmia ac pœnas juxta merita dispensaret, ergo multò magis totus mundus, qui est major quovis mundo, debet habere Gubernatorem. Item, nec homo nec Angelus potest scire quid sint post mille annos acturi liberè homines: talia verò prædixerunt Prophetæ & Sybillæ, igitur non à se, nec ab Angelo, sed à Deo illa sciverunt, ergo est Deus. Similiter quædam fiunt solâ precatione & invocatione Dei, quæ ab homine fieri non possunt, qualis est mortui resuscitatio, ergo illam orationem exaudivit, & cùm ad illum solum directa fuerit, non potuit recipi ab alio, quia ille in confirmationem falsi, & suum præjudicium reciperet, eò enim ipse approbaret esse

Deum

DEum si ille non esset, & se inferiorem esse Deo. Ergo est Deus.

SUBSECTIO SECUNDA
De rebus creatis.
CAPUT I.
Quid quo die creatum.

Beatissima unitas DEUS antequam universitatem rerum duceret in apertum, se priùs distendit in se, & in augustam Triadem simplicissimâ naturæ communione se recepit. Hoc æternum, necessarium, intimumq; Divinitatis negotium est: At verò temporum initio creatæq; durationis exortu, verno tempore, ut melior ponit opinio, Deus vel etiam ideò Optimus Maximus, nullâ necessitate compulsus, ut malè tradidit Philosophus, supra naturæ ordinem, nullâ præcedente materiâ, primùm omnium, cœlum terramq;, & intermediam aquarum abyssum procreavit. Cœlum, inquam, non illud quod oculis usurpamus, sed aliud longè discretum, quod præcipimus animis, & empyreum quæsitâ ab igneo splendore nomenclaturâ nominamus, uti Deus, sibi peculiarem, beatisq; Mentibus se-

dem fixit. Cæterùm cujusmodi figurâ ſe extendat empyreum, non ſatis nobis eſt compertum. Aliquibus placuit quadrata, qualem nova de cœlo deſcendens Civitas ſpectante Joanne præ ſe tulit, ita illius urbis ambitum octingentis volunt milliaribus conſummari. Alii, quibus illius urbis myſtica videtur imago fuiſſe monſtrata, cum Leſſio ſentiunt, qui lib. 3. de ſummo Bono, rotundam eſſe affirmat, ſuoq; ductu cæteros cœlos includere, cujus pars interna & ſuperna ſolida ſit, quæ verò intervenit, in modum aëris ſpirabilis omni æmœnitate & gaudio beata. Jam verò quando ſe tractu moles hæc fortunata ſubducat à nobis Aſtronomorum conjectura ſi quid poteſt conſequi, docet à terræ centro empyreum mille quingentis ſexaginta milliarium millionibus diſcedere. An verò aliquâ ratione ſedis illius beatæ ſe innuat immobilitas, nemo affirmare præſumet. Experientiis tamen quibusdam in hæc inferiora corpora comprobat nonnemo. Leones ſunt Africanis longè validiores prope Acheloum amnem, & in Ungaria equi velociſſimi, & in Mauritania innumeræ quaſi ſimiæ generantur, quæ peculiaris rerum diſpoſitio cœli

ſupe-

ſuperioris immoti illapſibus tribuenda eſt, nam cæteri recurrunt cœli.

Porrò beatis ſedibus exædificatis cœleſtes ſecretasq; à corporis contagione mentes, Angelos pœnè innumeros ex nihilo evocavit in eodemq; poſuit empyreo, non alibi, ut neſcio qui opinati ſunt, eosdem in plures Hierarchias diſtributos maximis naturæ & gratiæ muneribus inſignes fecit, voluitq; ad nobilius præmium ſempiternitatis adducere. Quod verò fuerit partis refractariæ Angelorum ſcelus, quove collimaverit Lucifer, & quo fuerit ſupplicio damnatus, bona opinio ita monſtrat. Indicâſſe Angelis Deum, hominem à ſe creatum iri, inter quos quidam fortaſſè futurus eſſet cui divina ipſa hypoſtaſis ſociaretur, eumq; Angelorum atq; hominum potentem eſſe juberet, adeoq; pari cultu quo Divinitas ipſa ſuſpicitur obſervandum, paratum igitur haberent, ſi id rei contingeret, obſequium. Accidiſſe id peræg rè ſuperbienti Lucifero, ſociisq; : At æqvum Michaëli in Numen officioſis fuiſſe viſum. Deturbatos igitur è cœlo lemures mulctatos eſſe, acceſſisſe demùm pro reis carcerem à cœlo longè diverſum in ipſo terræ centro detruſum. Hoc

im-

improbæ Mentes sibi peperêre infortunium: At Cœlites propositi tenaces & Numinis Studiosi æternæ felicitatis hæreditatē adiêre: Jam quamdiu fuerint utriq; Divinis experimentis exerciti conjecturare licet ex Adami lapsu, barathroq; fundato ignibus animadversoriis, paucorum dierum interstitium controversiæ finem imposuisse condiscimus.

Jam ergo egressi Beatorum sedibus profundam aquarum voraginem Cœlum Terrasq; jungentem contemplemur, quam reverà Antiquorum Chaos judicamus, ex quo deinde elementa mundi prodiêre, ideò virtutem ejus primogeniam, inq; ea causas & semina rerum Spiritus Domini potenti illapsu incubans fovebat. Interea cæcæ utiq; tenebræ grassabantur, cùm ad Divinæ vocis imperium, facies & ornatus Universi, candida lux prodiit. Eam nudum fuisse accidens, nullâq; substantiâ suffultum asserunt pleriq;, & solari minorem. Tertullianus & Augustinus longè ampliorem, Theodoretus aliiq; voluêre. Ea diffundi cœpit ab Oriente, & quibusdam carceribus egressa à cœli terræq; nativitate duodecim horis, & mox totidem horis nova lux nostri hemi-

hemiſphærii curriculum eſt emenſa. Atq; ita primus in albo temporis conſignatus eſt dies, factumq; eſt videlicet Veſper & Mane unus dies, & de induſtria unus dicitur Hebræorum ex more, qui hâc ratione primum à Sabbato diem appellitant. Itaq; poſt infinitæ Sabbatum æternitatis à SSmâ Triade ſanctisſimè obſervatus primus hic naturalis dies eluxit, quem profectò Dominicum fuiſſe in confeſſo eſt fermè apud omnes.

Secundùm hæc jubente Deo ut fieret firmamentum quod aquas diſcriminaret ab aquis, addenſatæ protinus aquæ, mirâq; obſtructæ ſoliditate extenſæ ſunt. Ne verò eâ condenſitate coactis aquis, naturæ odiũ, ſuccederet vacuum ſpatium, quod arctatæ aquæ reliqvum fecerant, vaporante itidem aëre, & igne repletum eſt. Ad aquam, resq; inferiores, quæ totam adhuc operiebant terram. Spatium verò inter empyreum & firmamentum occupârunt aquæ ſuperſtites, quæ profectò ſuper cœlos ſunt conſimiles noſtris, in finem ibi ſervatæ ſatis ei notum, qui eas inibi collocavit. Cæterùm firmamenti nomine non aërem ſed cœlum venire ſacra pagina monſtrat, dum in eo aſtra ſolemq; conſignat.

Jam tertio ineunte die Numinis jussu eodem congregatæ sunt aquæ, & arida tellus apparuit. Dum hæ fierent confluges aquarum eduxit Deus terram, & fastigiavit in montes, extendit in campos: Et ut meliùs cohiberet aquas, profundioribus partibus densiorem effecit, plurimisq; intrinsecùs, atq; extrinsecùs cavitatibus instruxit quatuor potissimùm in ipso centro concameravit, quarum intima deterrimis Angelis decretus est carcer, ea tenebroso squallore incolis infesta, congenito ferè igne & gelu acerrimo distincta. Ita verò Deus terram explevit, compressitq;, atq; unà cum aquis compegit, ut rotundum efficiant globum. Porrò illas externas cavitates illico implevit Oceanus, cum suis sinibus, Arabico, Persico, Gaditano; Mari mediterraneo, à columnis Herculeis ad Syriam cum suis exundationibus, Propontidis & Euxini. Mare Caspium lacunæ instar exundans aliiq; lacus & fontes, penitiores etiam aquæ abstrusas subière telluris cavernas ita ut subterraneis meatibus aquæ omnes mutuò consocientur, quas Deus appellavit maria, unde fontes fluviiq; suboriuntur, non jam mare, dum per intima terræ se penetrant, & ita percolan-

lantur ut amissâ paulatim salsedine dulces in flumina fundantur. Deus tamen ut uberiorem redderet tellurem exhalationes inde deductas conjecit in mare, atque ita reddidit salsum ut efficacius esset & calidius, & corruptioni minùs obnoxium. Eâ aquarum collectione Africa, Asia, America, Europa, distinctæ sunt, & omnes Insulæ discretæ; tantumque telluris relictum, ut juxta multorum sensum, sex partibus aquam superaret. Una cum hac terræ dispositione, metalla ac cætera quæ mineralia dicuntur, & lapides, aliaque mixta terrestria coëunte vapore cum exhalatione & humore, confecta sunt.

Interea verò apparuerat arida, cùm è vestigio jussa est germinare: an verò unà cum plantis innoxiis noxiæ, & spinæ tribulique provenerint, controversum est. Eâdem hac tertia mundi die perhibent, voluptatis hortum, quem Paradisum terrestrem appellant, conditum esse. Ubinam terrarum extiterit, satis in comperto non est. S. Basilius & Damascenus supra nubes constitisse volunt. Barcephas Syrus ultra Oceanum, Poëtæ in insulis fortunatis, ubi etiam pomorum custodiam draconem tenuisse fabulantur.

Commu-

Communior opinio illum ad Orientem habitâ ratione Palæstinæ, prope eam regionem ubi Tygris & Euphrates oriuntur, ubi conditus ipse Adam, primiq; homines habitârunt. Paradisum autem illum quoad ornatum, deliciasq; plantarum non extare hactenus, cataclysmo vel diuturnitate vastatum, incultumque; facilè cum Chrysostomo nobis persvademus. Sed antequam de Paradiso digrediamur, ejusdem prætéritâ amænitate cultuq; eleganti duas tantùm arbores inspectemus. Prima esto arbor vitæ, reliquarum pulcherrima & excelsissima, cujus poma naturali virtute immortalitatem tribuendi prædita erant, quemadmodum inest aliis plantis & arboribus vis medendi. Altera quæ nobis occurrit, ea est arbor, cui eventus scientiæ boni & mali nomen imposuit, quonam in specie nomine censeantur obscurum planè est. Theodoretus pro ficubus pugnat, alii pro cerasis, pro malo alii, sunt etiam qui studeant Indicæ arbori quam Musam dictitant. Sunt qui pomis subatris quæ Adami poma nominant. Satiùs est cum illis sentire qui putant, vel hoc Dei consilio sciri non posse, ne cognitâ hac arbore nobis infestâ non abstineamus
ab

ab illius fructu malo. Vel eam arborem singularem fuisse, à Deoq; deletam, ne nostri sceleris extaret in arbore monumentum.

Hinc quartus cùm affulsit dies, affulsêre unà in firmamento astra, sydera, Planetæ, quorum Principes Sol & Luna diebus ac noctibus sunt præfecti. Ex qua materia sint instructa disputant sapientes. Alii lucis esse pignora voluerunt, alii unâ cum Poëtis & Philosophis igneam censent illis esse propaginem. Alii putant esse aquea, unde etiam vapores igneos, facesq; videmus exilire, concreta esse, & in ea deinde primogeniam lucem distributam esse, in solem potissimùm, quem vehiculum lucis & vas admirabile sacræ paginæ nominârunt. Cùm præsertim constet cœlos ultimo mundi instītio igneo calore solvendos.

Jam verò quintam orbis diem, Piscium, Aviumq; nobilitas exornavit, quas animantes Deus ex aqua imperavit. Bina porrò in omni omnium genere, quemadmodum & cum homine accidit, à Deo fuisse producta facilè credimus.

Sed Sextâ die suos incolas terræ designavit innumeras animantes, quibus cum minutiora animalcula, quæ ex putri corrupti-

one nascuntur, & hybridas quo de congressu diversarum formarum coalescunt, conditas esse; meliora sentientes, noluerunt.

Hinc jam totius operis sui factum breviarium, rerumq; universitati Dominum decretura SSma. Trinitatis de homine procreando quasi deliberatura. Faciamus, ait, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. De limo igitur, terraq; [illegible] humanos fingit actus, mirâq; proportione ac venustate disponit: Quibus deinde vitalem animum, moderatorem inspirat. Mox deducit hominem ad paradisum voluptatis, illum ante omnes sigillatim animantes inducit, quibus ipse singularum consideratâ indole nomina faceret. Deinde leni immisso sopore, seu potiùs extasi, ejusdem costam DEUS in mulierem informat quam Adamus oblatam agnoscit sui partem esse. Et nostræ felicitatis creatur arbiter, ab esu arboris interdicitur, & dum hi primi homines aliquamdiu sine pudore nuditatis insontes amœnitate paradisi fruuntur, diem deinde septimum feriatus ab opere DEus Sanctimoniæ insignivit prærogativâ. Adfuit Dies octava, & post conditum homi-

nem

nem tertia. Et ecce à lemure in ſerpentem id temporis innoxium illapſo in fraudem inducitur Eva, cujus amore tactus Adam, ne ſcilicet illa ſola periret, nos etiam ejusdem ſceleris ſocietate involvit. Exturbatus è Paradiſo uterq;, ejus quod ſibi peperit infortunii fructus capere incepit.

Adamum ergo Deus die ſexto & ultimo ſuorum operum condidit ex limo. Qui, Tertulliano lib. de anima cap. 3. nihil eſt aliud quàm liquor opimus. Sed Iſai 64. lutum: Productus Adam extra paradiſum ad quem deinde deportatus. Eva in ipſo paradiſo è coſta ſiniſtri lateris ſui viri nata. Quæ coſtæ donatio non majori peracta dolore, quàm cùm modò Parentes materiam donant proli quæ ex hoc etiam pars illorum eſt aliquomodo. Sola verò tunc producta quæ ex ſemine naſcuntur, cùm illa quæ ex-putri, poſſint facilè prodire dum materia non deſit. In hoc cenſu etiam angvillæ ſunt quæ ex marcida mucilagine proveniunt, teredines quæ ex lignis carioſis, vermiculi qui ex ſudore humano. At ſecùs de his quæ aliquando ex ſemine aliquando ex putri, ut fuci, qui etiã ex bubulo fimo; mures qui etiã ex putredine: Erucæ, quæ etiam ex ma-

dore aëreo: Vermes oblongi instar serpentum, qui etiam ex pilis equinis intra scrobes aquâ pluviâ maceratis: Serpentes, qui etiam ex humana medulla, & capillis menstruatæ sub fimo sepultis. Bufones, qui & ex anate, & quidem intra triduum, si eam intra duas patinas clausam in fimo sepelîeris, uti expertus Andr. Schotus in Miscell. Ranæ, quæ generabuntur juxta Corn. Agrippam in occulta Philos. si anas tostatur donec in pulverem redigatur & in aquam injiciatur. Et ut hoc obiter. Angvillæ fame mortuæ revivisců positæ in aceto subfimo addito sangvine vulturis idque post aliquot dies. Idcircò Gen. 1. exprimitur; quòd creaverit Deus eas plantas & ligna quæ habent semen. Metalla etiam creata, alioqui longo tempore illis tellus caruisset, cùm aliquorum generatio intra sæcula absolvatur. Deerat tamen initio mundi vinum, quia nondum exercitum fuit ab ullo torcular, deerat & oleum quia nemo expresserat, deerat & mel quia nondum apes mellificârant, ita conjicimus cum Fr. Valesio in sacra Philosoph. Ordinem Creationis hic Versiculus exprimit. *Lux, aër, tellus, sydera, piscis, homo.*

CAPUT II.

Qualis constitutio mundi fuerit in ejus exortu?

Non ſtatim totus orbis lucem habuit, quia ut narrat Moyſes, diviſit DEus lucem à tenebris, quæ diviſio non aliter facta, quàm in unum hemiſphærium luce collectâ, alio relicto obſcuro. Diei computatio incipit à veſpere. Hinc quia Judæorum ſabbata ad imitationẽ fuêre prima, Levit. 23. & Exod. 20. à veſpere incipiebant, quem etiam in feſtis celebrandis Eccleſia retinet ritum. Aquæ implebant totum ſpatium usq; ad cœlos. Quia non dividuntur, niſi aut continua aut contigua: Deus verò diviſit aquas quæ ſunt ſub firmamento, ab aquis quæ ſunt ſupra firmamentum. Quoniam verò non poteſt ubiq; eſſe in mundo ver ſimul, ſed alibi æſtas, hyems, alibi autumnus: ver fuiſſe cenſemus initio mundi in hemiſphærio Boreali, ſiquidem tunc Sol fuit in arietis ſigno. In hemiſphærio verò Auſtrino fuit Autumnus: Unde proportionatè fructus ſunt producti, ut illic eſſent verni, illic autumnales. Roſas armatas ſpinis etiam tunc cenſemus fuiſſe, fuiſſe & venena: alioqui neque ignis debuiſſet creari, cùm æquè noceat malè tractatus, de cætero tam hic, quàm illa ha-

bent præclaros usus. Rosa habet spinas quia sicca est, ut odor probat: is enim siccitatem ac calorem sequitur. Quod siccum, terreum, si intra plantam mansisset totum, arefecisset, expelli ergo debuit, sed non fuit utile foliis, quia citissimè excidissent, ergo in corticem quem non sine mucrone scindere posset futurus humor, itaque spinæ rosis connaturales.

CAPUT III.

De Adamo & ejus partibus.

Communis sententia, à qua etiam non discedimus, fert Adamum conditum fuisse virum quasi annorum 33. aut 34. Fuisse procero corpore, septem, vel circiter, pedum, & totidem Christum Dominum attinam attigisse narrat Nicephorus. Verùm non fuit gygas, nam horum nativitas veluti quid novum postea refertur à Scriptura. Scientiam Adami ita definit S. Th. 1. p. q. 4. a. 3. Sic instructus est, inquit, à DEO, ut haberet omnes scientias, in quibus natus est homo instrui: & hæc sunt omnia illa, quæ virtualiter existunt in primis principiis per se notis, quæcunque scilicet homines naturaliter cognoscere possunt. Hinc singulis animalibus accommodata imposuit nomina, neque

serpens

ſerpens illi ſcientiam humanam boni & mali promittebat, ſed divinam, cùm mentiretur eos futuros ut Deos. Factus Adam figurâ erectâ, ut cœlum reſpiceret, cerebro reſpectivè frigidisſimo, quia calor hujus partis facit motus temerarios ac ſenſationes deliras, uti phreneſis oſtendit. Si nulla habere potuiſſet vulnera, neq; cicatrices, nam hæ naſcuntur ex purgamentis partium vicinarum; quæ dum vigent, à ſe inutilia rejiciunt, ſed illa delapſa ad debiliores ibi quieſcunt, unde modicè vel nullatenùs repelluntur. Oſſa ſicca, quia in oſſe, humidum ac pingue copioſior abſumit calor, qui tamen ipſe vaneſcit per defectum humidi, quam ob cauſam tandem oſſa frigidiora. Duritiem eadem, non concretione habent ut glacies, alias igni ſolverentur, ſed ſiccitate, ut lignum: gravia ſunt, quia terrea & denſa: alba, quia ſpermatica: materia enim osſium, ſeminis craſſamentum, inſenſibilia ſunt oſſa, aliàs Adamus ſine dolore loco moveri non potuiſſet. Non fuerunt mollia ut in pueris, quia in his ob faciliorem ortum talia ſunt: Adam verò non naſcebatur, præterea ſolùm immaturo viventi molliora, at verò Adam vir prodiit. Habuit partes ali-

quas adipatas, nam adipis usus est, instar vestis calorem ne effluat prohibere, & frigus arcere ne ingrediatur, nascitur ex sangvinis portione pingviore ac magis aerea quæ per tenues vasorum tunicas, roris instar exsudat, & ad frigidas partes, uti sunt membranæ, allapsa, à debili illarum calore, qui Medicis pro frigore est, crassescit cogiturq; Capitis figuram oblongam ac malleatam habuit, quia hæc maximè idonea cerebro ac cerebello continendo. Adam igitur statim ac fuit creatus habuit naturalem scientiam sibi à Deo inditam ut est 1. p. q. 94. a. 3. Quia etiam alias res Deus in statu perfecto creavit. Et certè si homo ipse comparare sibi debuisset scientiam, diu in statu ignorantiæ mansisset. Et quidem tam fuit hæc scientia ampla, ut Hugo de S. Vict. lib. 1. de Sacram. p. 6. c. 12. dixerit. *Rerum omnium visibilium, quæ cum homine, & propter hominem factæ erant, perfectam cognitionem Adam accepit, quantùm videlicet, sive ad eruditionem animæ, sive ad corporalis usûs necessitudinem pertinere videbatur.* Non tamen cognoscebat futura libera, nec præterita: nisi quatenùs homo potest de illis comparare sibi notitiam, neque cogitationes præsentes

noverat

noverat aliorum hominum. Quia istæ non cadunt sub humanam scientiam. Potuit mortaliter peccare non solùm circa lignum vetitum, sed etiam circa res alias, quia non magis necessaria fuit in illo statu impeccabilitas in uno, quàm in alio genere. Nunquam tamen moriturus erat nisi circa lignum vetitum peccâsset, quod ex lege lata patet. Immortalitas verò illa *non ex conditione fuit corporis animalis*, ut ait S. Aug lib. 7. de Genesi ad litt. c. 25. *sed beneficio Conditoris.* Et quidem à causis extrinsecis ne occideretur docet S. Thom. Tùm per specialem providentiam conservandum, tùm etiam per propriam rationem, quâ poterat vitare nociva. Habuit necessitatem comedendi ut vitam conservaret. Ita S. August. 13. Civit. cap. 28. & ut idem lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 40. *Habebat à lignorum fructibus refectionem contra defectionem, ut de ligno vitæ stabilitatem, contra vetustatem.* Victuros in illo statu singulos homines usque ad maturitatem, quia hic est status perfectus, videtur probabile: in quo statu decebat aliquod manendi tempus concedi, sed in annorum millia extendi nulla suadet ratio. Post quod tempus sine ulla morte, translati fuis-

ti fuissent ad cœlestem beatitudinem ut docet S. Thomas. Et hæc quidem occasione Adami.

CAPUT IV.

De animalibus mixtis, Adæ pelliceo, Tentatore, transitu in orbem alium.

Mundus se Dei opus esse probavit fæcunditate si aliunde non constitisset. Sed quia solis data benedictio fæcunditatis quæ à Deo immediatè producta: hinc mixta non censemus à DEO taliter prodiisse. Quocirca tardiùs nata quæ ex duabus speciebus habent ortum, & hæc sunt sterilia. Talia sunt, natus ex asino & equa mulus, & mula. Ex equo & asina hinnus, ex hirco & ove tytirus, ex ariete & capra musmo, ex apro & sue hybris, ex lupo & cerva lynx, ex lupo & cane thoës, ex lupo & panthera crocuta, ex cane & tigride Arcadici canes, ex vulpe & cane canes Laconici, &c. Ovium pelles ex quibus pelliceum Adam accepit fuêre, ita scripsit S. Hildegardis epist. ad Prælatos Moguntiæ. Idem sensit S. Ephrem, & ex eo Barcepha, quocirca necesse fuit aliquot ovium paria creari, ne omnes simul interirent, uti argumentatur S. Aug. 12. Civit. cap. 21. De specie serpentis quam dæmon

dæmon induit, contendunt Scripturiſtæ. Eugubinus putat Baſiliſcum, hic enim ſerpentum Rex. Pererius Scytalem fuiſſe, quia pulcherrimi coloris. Delrio viperam. D. Bonaventura Draconco-pedem quia faciem virgineam præfert. Tertull. Draconem. In alterum orbem adeoq; diviſas mari terras vel navigationibus homines deportati; quarum deinde uſus intercidit: Vel certè eæ fuerunt terræ contiguæ quas nunc mare interfluit. Exempla hujusmodi locorum diviſorum plura habet Kircherus in orbe ſubterraneo. Hâc eâdem ratione & bruta, etſi non ſit neceſſe aſſerere ſola: Cùm plura paria diverſis locis producta, ſi dicas, non peccâſti.

CAPUT V.

Quis fuiſſet ſtatus noſter in Paradiſo?

Bruta quia ſunt ad uſum hominis, naturaliter paruiſſent homini, niſi peccaviſſet. In paradiſo etiam aſſerit S. Th. 1 p. q. 96. a. 1. aliis alios futuros fuiſſe doctiores ac ſanctiores, quia ſe diverſè potuiſſent ad virtutem applicuiſſe. Idem ait, alios aliis dominaturos fuiſſe. Quia etiam inter Angelos ſunt ordines ac Hierarchiæ, ſed imperium ſvave & directivum ad inferioris bonum, non in

Domini commodum qui usus est servorum. Mortales non fuissemus. Agnoscit id & docet S. Aug. lib. antiq. & novi test. q. 9. Anima enim tunc habuisset quandam datam qualitatem divinitùs, per quam corrumpentia propulsa fuissent, & arbor vitæ succurrisset. Passibiles tamen fuissemus non in ordine ad corruptionem, sed quia perfectiores qualitates acquirere potuissemus. Ne autem extrinseca agentia homini aut casus occurrerent, ut supra dictum, Deus præservâsset. Cibo tamen eguissemus, quia verè fuissemus uti nunc animalia, & habuissemus potentiam vegetativam, deq; humido per calorem deperdi aliquid, ac proinde per cibum reparari potuisset. Et consequenter residua cibi, natura expulisset; in omni enim alimento est quædam fæculentia quæ minimè idonea converti in animalis nutrimentum; sed ita Deus providisset, ut nulla id indecentia comitata fuisset. Pueri habuissent vires statim in infantia, sed solùm ad actiones illi ætati convenientes, non verò ad alias: nam quòd animalia quædam statim plenum habeant usum membrorum, id non perfectionis est, sed siccitatis, ac cerebri paucitatis, quod in homine est copiosissimum.

mum. Seniles defectus non habuissemus, utpotè à periculo corruptionis liberi. Parentes in hoc liberi fuissent, ut nasceretur illis mascula, vel sequioris sexûs proles, inquit S. Th. 1. p. 99. a. 2. ad 3. Non tamen statim infantes cum scientia nascerentur, sed procedente tempore acquirerent, verùm absq; omni difficultate. Nam fuisse perfectum in scientia soli Adamo datum fuit, cæteris autem prout ætas tulisset. Sed ignorantia per hoc nulla, quia hæc solùm competentis est scientiæ carentia. Habuissent tamen perfectam scientiam ad se dirigendos in justitiæ operibus, & universalia Juris principia meliùs calluissent quàm ullus defacto. Infantes quia humido cerebro nascerentur, caruissent usu rationis ad alia, & non nisi ad ea ratione valuissent quæ concernunt ætatem, ut ad surgendum, dormiendum &c. Sic & pulli docentur à matribus volare, cantillare, cavere: neq; enim statim perfectam habent industriam, ideoq; naturæ status est non peccati pœna, iste ordo. Paradisus die tertio conditus, quia illo die Deus terram exornabat plantis & floribus, itaq; & paradisum qui erat pars terræ. Plantatus fuit in parte Mundi dicta Edem circa Meso-

Mesopotamiam & Armeniam, ut probabilissima fert sententia, siquidem circa hæc loca primi Parentes nostri Paradiso pulsi fixerunt sedem: Non admittimus de illo sensum Origenis, qui asserit illum fuisse in tertio cœlo: Neq; Ruperti, qui sub globo Lunæ, atq; supra terram appensum. Arbor scientiæ boni & mali non habebat vim causandi physicè aliquam in homine scientiam, vel acuendi ingenium, ut Judæi somniant: Sed ita vocata est ab effectu morali, eò quòd degustato ejus fructu contra Dei imperium nostri primi illi, didicerint experimentaliter mali naturam.

CAPUT VI.

Quod sit unus mundus: &, quæ ejus dispositio.

Plures mundos docuit Heraclides, Pythagoras, & Orpheus cum suis, & Plut. de plac. scilicet quemvis planetam esse plenum hominibus, & bestiis, & ejusmodi, adeoque non ad unam originem reduci totum genus humanum. Alioqui tam vasti astrorum globi essent deserti: Aristoteles 1. de Cœlo c. 8, & 9. Ita unum asserit, ut plures non possint esse, sed cum injuria omnipotentiæ, quia putat totam materiam in præsentem mundum

dum insumptam, nec aliam esse creabilem. Nobis & plures asserere mundos de facto temerarium est, & plures fieri non posse, impium. Globi illi cœlestes non vacui quos Angeli Præsides incolunt; nec otiosi, qui activitates in nos uberrimè effundunt. An verò præterea saltem diversa à nostris animalia ibi degant, nihil habere certi possumus. Certè, nos incolere globos illos non possemus, tum ob defectum respirii, tum ob æstum aut frigus in aliis, in omnibus ob perpetuam gyrationem. Aristoteles partes subjectas æquatori ob intemperiem æstuosam credidit sine habitatore, sed frixit Josephus Acosta eas partes peragrando. Reparat nox frigore longiore quod dies adussit, sunt crebri ac gelidi fontes remedium ardoris: ibi est videre quotidie omnia sydera orientia & occidentia; ibi dies nocti æqualis, ac perpetuum æquinoctium, ibi duæ æstates quovis anno, siquidem toties Sol æquatorem percurrit, totidemque hyemes sed mitissimæ. Ibi in quatuor partes diversis temporibus corpus umbram jacit, cùm apud cæteros nonnisi ad tres. Qui habitant inter æquatorem & alterutrum Tropicum, jam non omnia vident sydera, habent

bent tamen umbras quaternas, ac bis hyemem æstatemque anno eodem. Qui Tropico subsunt unam hyemem, unam æstatem, ac tres umbras aspiciunt. Qui sub gradu 45. eleu, degunt illis idem horizontale quod verticale horologium, qui sub polis habitant, illis nulla sidera oriuntur, nulla occidunt, sed ab omnibus choreis ambiuntur. Illis, Sol per dimidium annum supra, & per dimidium infra horizontem, itemque per horas 12 diesque 14. patet atque latet. Qui propiores æquatori, multus illis inest calor & spiritus, sed fuliginosus inde corpore imbecillo ac servituti fœditatique obnoxii. In media zona positi pollent ingenio & corpore, domui militiæque apti, & ex his aquilonares præstant viribus ac ferociâ, dum circumstans frigus calorem nativum intra vitalium septa restringit. Quantus verò numerus hominum, difficilè inire. Chinensium colligimus ex Regestro quod est apud Kircherum in China, virorum præter pueros ac fœminas, oppida, pagos, arces, municipia in solis civitatibus quarum metropoles 150, aliæ 1226, in his inquam 58891762. ac China quota pars mundi? Asiæ Urbium numerum ponit Villalpandus 54000, quid aliæ

par-

partes mundi? Iſraël ſub Salomone numerabat virorum 66240000. Generationes ab Adamo ad Abraham interceſſerunt viginti una. Ab Abraham ad Davidem quatuordecem. A Davide ad Zorobabelem quatuordecem. A Zorobabele ad Chriſtum quatuordecem, itaque ab initio mundi ad Chriſtum 63. quot verò à Chriſto ad finem mundi ſint futuræ, nemo aſſeruerit.

CAPUT VII.

Fabulæ Indorum, de Mundi Origine.

Brachmanes Indorum, ut eſt apud Kircherum in China pag 155 ex quodam Deaſero mundos ajunt produiſſe 14 Mundum Primum ſuper cœleſtẽ ex cerebro, Secundum ex oculis, Tertium ex ore, Quartum ex ſiniſtra aure, Quintum ex palato & lingva, Sextum ex corde, Septimum ex ventre, Octavum ex verendis, Nonum ex coxa ſiniſtra, Decimum ex genibus, Undecimum ex calcaneo, Duodecimum ex digitis pedis dextri, Decimum tertium ex planta pedis ſiniſtri, Decimum quartum ex ambiente cum æthere. Nondum finis fabularum. Ex illis verò mundis pro partium humani corporis conditione nati ſunt homines. Ex primo, intellectu & ſapientiâ conſpicui: ex ſe-

cundo prudentes in actionibus, è tertio eloquentes, è quarto astuti & callidi, è quinto gulosi, è sexto Magnifici, splendidi, liberales, è septimo sordidi & moribus obscœnis præditi. 8. Luxuriosi. 9. Laboriosi artifices, agricolæ, 10. Hortulani, Rustici. 11. Vilibus operibus destinati. 12. Homicidæ, latrones, fures. 13. Oppressores pauperum. 14. Homines peculiari dote in quovis genere præditi. Item in mundo septem ponunt Maria. 1. Aqueum. 2. Lacteum. 3. ex coagulo lactis. 4. Butyraceum. 5. Salinum. 6. Saccareum. 7. Vinosum. In aqueo ponunt quinq; paradisos. In Lacteo, religiosos, & sacrificulos, in tertio voluptatibus corporis deditos. In 4. felices sortis. In 5. misericordes. In 6. Eleemosynarios. In 7. omni bono affluentes. Alii de origine mundi sic sentiunt, Araneum fingunt esse primam rerum causam, qui ex ventre suo continuâ filorum evolutione elementa primùm, deinde cœlorum globos efformavit, opusque suum continuâ assidentiâ gubernet, usque ad mundi interitum, quem causari dicunt ex filorum mundanorum quæ evolverat, intra se retractione, unde rerum omnium evanescentia. Sed ab his ad nostrum orbem passum referamus.

CAPUT

CAPUT VIII.

Quòd Mundus si habuit Initium, à Deo habuit.

Supposito quod mundus initium habuit, debuit habere à Deo. Quia Deus existit, itaq; ab illo mundus conditus, etenim esse causam ut ab illa mundus dependeat est perfectio simpliciter simplex, & sine admixtione ullius impuri, itaq; debita Deo: Ex quo capite etiam patet quòd ab eo conservetur. Præterea cùm nullum ens limitatum esse possit à se, debet esse ab alio, itaq; ab illimitato, contingentia idem èvincit, quia quodvis individuum est contingens, itaq; & species tota est contingens, quæ ab omni individuo non est quid distinctum: Jam si ita est, debet esse quid determinans ut hoc potiùs quàm illud existat, tale verò debet esse in se determinatum ad existendum. Ac demum ut hoc ipsum cumulatim concludamus. Infinitum actu est purus actus in suo genere, aliàs illi aliquid accedere posset, adeoque majus reddi. Et quia est actus purus, ideò mutari non potest, habet enim omne id quod habere potest. Et quidem duo infinita in omni genere manifestè implicant, nō enim in omni genere essent singula, itaq;

debet unum esse atq; adeò simplex compositionisq; in suo genere expers. Alioqui dividi posset, & sic efficerentur plura infinita; atq; ex eo patet nullum compositum posse esse infinitum. Sed neq; infinitum potest esse alicujus pars, quia haberet aliquid se ipso majus, neq; totum, siquidem compositionem respuit. Neq; potest esse ab alio, quia deberet esse ab infinito, atque ita jam duo infinita essent: Quodsi est à se, est semper, atq; æternum. Et cùm infinita causa mutari non debeat, itaq; producet absque sui mutatione suos effectus. Et quia nullum finitum potest à se esse, est ab alio, & quodlibet ab alio donec tandem ad infinitum deveniatur, itaq; omnia sunt ab infinito Ente. Et quia finitum non solùm primò nequit esse, sed ne quidem secundò, idcircò debet ab Infinito conservari. Et quia non solùm in esse sed etiam in agere dependet, debebit ab Infinito ad singula concursum mendicare. Et cum Ens infinitum sit finitorum tam causæ productrix quàm conservatrix, idque cum ratione, dabitur Providentia in eo circa finita, ex qua diriget omnia ad finem à se intentum. Finis verò hic nullus ipso Ente melior esse potest, itaq; ad se omnia diriget.

CAPUT IX.

Quòd Mundus omninò habuit initium:

Mundus in tempore factus, quia ab æterno esse non potuit, alioqui semper esset, itaq; non extractus esset ex nihilo, adeoque nec creatus. Quodsi esset necessariò animæ rationales & ejusmodi incorruptibilia jam essent actu infinita, & hoc infinitum esset tale cui aliquid ejusdem generis addi posset adeoque terminatum; imò, si, ut volebat Plato saltem materia fuisset ab æterno, illa durare non posset, cùm omnis duratio, sit aliquid successivũ. Successio verò ab æterno impossibilis, cùm inter ejus partẽ primam & tertiam tempus intercedat, itaq; prima solùm tempore est prior quàm tertia: æternitas enim intercedere non potest, quia esset clausa utrinque, quod ipsum ostendit motum esse non potuisse ab æterno. Nec tamen per æternitatem fuit otiositas in Deo: fuit enim semper eadem idea repræsentans, eadem voluntas volens tempora, & in parte illorum determinata creare ista, quæ creat: ac potentia creativa quæ semper erat in Deo, hoc temporis membrum respiciebat. Motus autem hæc creata nullus præcedit, cujus numerus es-

ſet tempus : nam creatio nullatenus eſt motûs ſpecies, cùm ſit non circa ſubjectum.

CAPUT X.

Quo tempore mundus conditus? & quædam de homine.

Hebræi ferè omnes conveniunt in hoc. Quod ab origine mundi usque ad Chriſti adventum effluxerint anni 3940, excipe R. Moyſen & Joſephum, qui ſupra 4000. computant. S. Hieronym. computat 3941. Beda 3958. Chronologi multi. 3949. Rabbini quidam 3760. Gerardus mercator 3966. Beroaldus 3929. Omnes iſti ex ſacris id literis conati deducere. Græci verò ſequuti verſionem LXX. conveniunt in 5000. & aliquot. Et hos ſequuntur ex Latinis Auguſt. Oroſ. Iſid. & quidam alii. Ratio hujus diverſitatis inter Græcos & Hebræos, quia ubi in Latinis & Græcis Bibliis legitur quis 200. annis & ſupra vixiſſe, in Hebræis legitur 100. Hinc Græci excedunt Hebræos annis 1240. Gentiles quibus ut ait Plin. lib. 7. unius æſtatis aliquibus : aliis unius menſis, aliis trium menſium fuit annus: mirè diſcrepant in annorum computo. Conditum mundum fuiſſe in vere, ſole exiſtente in ariete eſt communis Patrum ſententia, unde etiam

de etiam Hebræi ab hoc tempore annum auſpicabantur. & Gen. 2.5. tunc tellus germinare cœpit. Paradiſus verò fuit in parte Auſtrali vicinus æquatori, idcircò fructus aliquos jam tunc habuit maturos, maximè, quia à variationibus cæterarum terrarum exemptus. Hinc Virg. 2. Georg. cecinit.

Non alios primâ naſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, cœlumq; habuiſſe tenorem
Crediderim, ver illud erat, ver magnus habebat ortus, &c.

Nos tamen à ſolſtitio brumali ordimur annum ex Julii Cæſ. inſtituto; quia tunc quaſi finis & initium circuli viſum Cæſari. Nobis verò reverētia adventûs Chriſti. Illud notabile etiā eſt 25. Martii mundus conditus, Abel occiſus, Sodoma ſubverſa, (uti Alſtedius computat) Iſaac immolandus ſtetit, Melchiſedech benedixit Abrahæ, Judæi ex Ægypto egreſſi, David unctus, Chriſtus conceptus, atque mortuus.

CAPUT XI.

Quod Providentia Dei regat hunc mundum.

Nequè verò poſtquam extruxit hanc mundi fabricam Deus, extra curas ſuas poſuit. Regit enim & omnia ad fines, licet nobis aliquando ignotos deducit, & ubique a-

deſt cùm ſit immenſus, nuſpiam fatigatur, cùm ſit omnipotens: nuſpiam aberrat cùm ſit ſapientiſſimus, tamen contra eum dixit inſipiens in corde ſuo apud Lact. de ira Dei, cap. 13. *Deus aut vult tollere mala & non poteſt. Aut non vult, aut neque poteſt neq; vult: aut vult & poteſt. Si vult & non poteſt, imbecillis eſt, quod in Deum non cadit, ſi poteſt & non vult, invidus: quod æquè alienum à Deo. Si neque vult neque poteſt, & invidus & imbecillis eſt, ideoque neque Deus. Si vult & poteſt, quod ſolùm Deo convenit, unde ergo ſunt mala, aut cur illa non tollit?* Et cur idem ſinit alios eſſe divites alios miſeros, alios ægros, alios ſanos, alios ſtatim mori in infantia, cùm omnes iſti ſint æquè DEI opus? Sed ſanioris mentis, Plotinum etiam ipſum Gentilem huic inſaniæ opponamus. Sic ille Enneade 3. lib. 2. c. 11. Sicut ſtatuarius non totam ſtatuam facit faciem, & hoc pertinet ad decorem, imò ſi tota eſſet facies decorem deſtrueret. Sicut Pictor etſi pulchros, non eosdem totâ imagine colores ponit, alioqui non imago eſſet. In civitatibus etiam bonum regimen exigit ne omnes ſint omninò æquales, alioqui ſervire quis vellet? Quis agere opificem? quis fabrum? adeoque ta-
lis

lis suâ nobilitate infelix esset civitas. Quis tragædiam vituperet quòd non omnes in ea induant Heroem actores? ita mundus hic, corpus est civitas est, tragædia est, statua est, pictura est, quam decet etiam sua varietas, sine qua neque civitas, neque pictura, neque statua, neque tragædia esset. Quæ tamen sunt omnibus omninò necessaria, æquè communia voluit esse Providentia. Idem est usus aeris, ignis, aquæ, solis, pluviæ, venti, omnibus in statu naturæ: in statu item supernaturali mysteria fidei, Sacramenta, gratias omnibus voluit esse apertas. Amat omnes, bene vult omnibus, & fortassè magis pauperes amavit, quibus opes malorum subtraxit sementem. Imò licet hæc partitus fuisset inæqualiter, nunquid non Dominus est? nulli fecisset injuriam, cùm non dedisset, quod dando gratuitò dat. Ad hæc duplicia sunt mala, alia pœnæ, alia culpæ: Pœnæ mala non verè sunt mala. Assume dolorem, quam hic utilis? belluæ se conservant metu doloris nociva fugiendo. Homines deterrentur à culpa, rudes disciplinæ se aptant. Quot mortalium in scelera ruerent, membra sibi temerariè præputarent, nisi dolor cohiberet? quot minùs cœlum re-

ſpicerent niſi metus gehennæ ſuaderet. Aliud malum eſt error, ſed ſi nulli errare licet reſpublica humana omninò interiret, opus eſt errare homines circa hominum arcana, circa aliena intenta, conſilia, acta. Aliud malum eſt culpæ, verùm & hujus permiſſio neceſſaria eſt omninò. Non haberet vir probus meritum ſi quæ virtutis ſunt neceſſariò ageret, nec DEus præceptum illi rigoroſum poſſet imponere. Nihil malum eſt uni quin ſit bonum alteri. Sed ad peccatum Deus nõ determinat, imò ab eo retrahit. Probat hoc ipſum Plato apud Scobæum lib. 2. Eclog. *Quemadmodum aut calidum frigefacit, ſed contrarium: nec frigidum calefacit, ſed contrarium: DEus autem cùm ſit bonus omniq́ virtute plenus, non eſt maleficus, nec mali cujusquam author, ſed contrà.* Quanta verò ſit impietas Deum facere authorem peccati, collige ex eo, quod Prudentius in Hamartigenia ſurditatem potiùs depoſcit quàm ut dici mali authorem, Deum audiat. Chryſoſt. in acta hom. 23. præſtare ſexcenties defodi quàm hoc de Deo audire. Sed cur inquies permittit? S. Damaſc. l. 2. de fide cap. 29. Sanctusque Thomas contra Gentes cap. 71. cauſas hujus

jus numerat, ac potissimùm, ne nostra libertas opprimatur, ut Dei bonitas atq; patientia in sustinendo majestatis suæ contemptu eluceat, ut demum justitia in puniendo exerceatur. Addimus vero ex S. Aug. 22. Civit. c. 1. *Omnia etiam ista mala in bonos fines ordinat*, addimus ex eodem enchyridii c. 100. *Non sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo posset facere bene.* Permittit illa Sanctitas sed non vult fieri sed tantùm nō vult impedire & tenetur nō impedire, si nos vult liberos: & concurrere tenetur cùm sit prima causa, ita tamen ut concursum in manu creaturæ deponat ut eo utatur aut non utatur.

CAPUT XII.

Eadem materia continuatur.

At inquit alter apud Aug. in Ps. 148. *Quæ providentia si Deus plueret, nunquid plueret in mari? Getulia sitit & mare compluitur?* adde ventorum inconstantiam, adde indebitas tempori mutationes aêris, quæ omnia casum quendam redolent. At non ita. Idem respondet Augustinus. In mare pluit. Quasi non sint in mari quæ pluviâ alantur, quasi non ibi pisces, non ibi animalia fecit? *Attendite quomodo concurrunt pisces ad aquam dulcem. Et quare inquit pisci pluit & non mihi pluit aliquando? Ut cogites*

te in regione esse deserti; ut tua te indigentia admoneat exilii. *In Getulia semel pluit omni anno, sed hoc sufficit ad fœcunditatem illius terræ.* Si venires ad Officinam fabri, (ex ejusdem Doctoris loquimur sensu) & reprehenderes, quia ignorares, quid ibi folles tenduntur? Quid medium incus occupat? Quid tot forcipes penduli tegunt parietem, quid carbonum cumulus angulum implet? An non ridereris? *In officina non audes vituperare fabrum, & audes reprehendere Deum?* Quòd venti & imbres aliquando importuni, id solùm fit aliquibus, sed toti universo opportuni, quia terra aquis mundatur, ventis aër, & utrisq; animalia & plantæ aluntur. Sed demus omnibus noxiam esse tempestatem. An talem pœnam non merentur tot in Deum commissa? Neq; in hoc sollicitudinibus Deum distrahi opus, ut crassè Euripides somniavit, neq; mutari. Volumus & nos quædam quæ post annum facturi sumus, voluit ab æterno Deus quæ certò facturus erat tempore, & sic opera nova sunt, sed consilia in Deo antiqua; Ut pateat ex hoc stultitia Atheistarum Deo mutabilitatem (si in tempore provideret, cùm ejus Providentia ab æterno non patuisset) adscribentium,

bentium, quales fuerunt apud Euſeb. lib. 14. de præpar. Evang. cap. 6 Diagoras, Mileſius, Theodorus Cyrenaicus, Lueraerus Egiſta, Callimachus, Euripides, Sophocles: Homines ſcilicet qui omne lumen rationis ac honeſtum etiam in aliis volebant extinctum. Nam Theodorus apud Laërtium, ſacrilegium & adulterium permittit, & in propatulo ea ſe facturum? Quæ nox etiam quando licita ſunt, occultat: non melioris fæcis alii. Verba eorum refert Euſebius. *DEus ante ordinationem totius aut dormiebat aut vigilabat, aut ſi neutrum verum eſt, non erat omninò. Si ergo dormiebat à ſæculo, mortuum neceſſe eſt, ſempiternus enim ſomnus mors eſt. DEus autem neq; ſomni neq; mortis particeps eſt. Sin verò vigilabat, aut perfectam beatitudinem habuit aut mancam aut imperfectam: Si perfectam nullius rei indigebat, quare nec ad novam productionem rerum deſcendiſſe ipſum veri ſimile ſit. Sin autem manca beatitudo affuerat, quomodo dici poteſt DEus cui quiaquam abfuiſſe conceditur.* Sed ô craſſi argumentatores! & DEus non dormivit, & nullo indiguit, & mundum condidit ex bonitate ſua theſauros divitiarum ſuarum in nos liberaliter effundens, ſine quibus fuit æquè beatus.

CAPUT XIII.

Eadem materia continuatur.

Concurrit verò iste Deus optimus ad omnes nostros actus, & scit illos ab æterno neque cogit fore, quia non complet illius scientia nostram voluntatem in actu primo, sed nostras naturâ actiones sequitur. Quòd verò subinde malis bene, bonis in hoc mundo quædam malè evenire credamus, in quo atheismum suum Lucretius & Epicurus apud Lactant. Lib. 3. Instit. cap. 17. & Stoici apud Justinum in Parænesi fundabant: Provenit partim ex eo, quia quædam opinamur esse mala, quæ non sunt mala, & sicuti pueri in rebus etiam non malis flemus, uti ait Plotinus Ennead. 3. lib. 2. cap. 15. Exilium malum nobis videtur, at quidam sapientes elegerunt. Paupertas mala, at Democritus abjecit divitias &c. Vide meum opusculum de malo, quia ut ait Seneca lib. de Providentia cap. 6. *Nati sunt in exemplar.* Partim quia justitiam non attendimus, sæpe pro præcedentibus culpis etiam bonos punit Deus, sæpe in alteram vitam meritorum præmia differt. Sæpe malis hic exolvit, quibus nihil deinde daturus. Et mavult impiorum pœnitentiam quàm pœnam. Sæpe multa opinamur

namur merita quæ in lancem DEI recepta pondus ſcelerum æquant. Sæpe inſtar Parentis vicinum ſcamnum percutit ut Filius paveat, atque ad ſanos redeat mores, & hæc eſt amantium caſtigatio. Sæpe oſtendit quantum illi diſpliceant ſcelera, quantam moverint iram, cum nec rebus carisſimis, nec templis parcit fulmine. Hic ſenſus erat Iſid. Peluſiotæ lib. 1. epiſt. 73. *Ut dum ſuis aulis minimè parcit, terrorem iis qui peccant, injiat, atrociorem videlicet pœnam ob ea quæ agunt, expectantibus. Ululet enim abies quia cecidit cedrus.* Alium in exemplum aſſumit in quo vindictam oſtendit, alium diſtulit in pœnas æternitatis, ut hoc ipſo firmemus, alia ſupereſſe ſupplicia, dum videmus hic aliquibus meritiſſimis nulla infligi. Deniq; & S. Greg. 16. Moral. cap. 6. *Mali vivere permittuntur ut boni exerceantur: Vel bonus citiùs ſubtrahitur, ne ſi hic diutiùs vixerit ejus innocentiam malitia corrumpat.*

CAPUT XIV.

Quòd mundus non ſit animal.

Mundus hic non habet animam, uti Pythagoræi & Platonici ſomniabant, cùm nullam habeat actionem communem, quæ ab omnibus ſimul ejus partibus procedat, hoc

enim inditio deprehendimus animas. Ex quo etiam rejiciendus est Possidonius apud Laert. lib. 7. in vita Zenon. & Macrob. in somnio l. 1. cap. 7. qui rationali animâ prædicum somniabant mundum. Et certè, si totus mundus eandem habet animam, eâdem animâ vixit Possidonius & Bucephalus & æquè sapientes fuerunt. Productus quo ad pleraque mundus per creationem, quod etiam lumine naturæ consequi possumus. Cùm enim hoc lumine sit notum Deum posse aliquid facere, & præter Deum nihil esse à se, igitur consectarium est, si mundus non fuit ab æterno, factum omninò esse. Si factus, nihil illius præexistere potuisse nisi factum à Deo. Hoc verò è nihilo debuisse fieri, fieri autem ex nihilo aliquid à causa virtutis infinitæ ac illimitatæ quid repugnat! & hæc actio est creativa quæ sine motu exercetur cùm circa nullum subjectum fiat, motus enim est in mobili, & actus entis.

CAPUT XV.

Quod ex uno homine propagati omnes.

Tenemus fide totum genus hominum descendisse ex uno: Sed hoc ipsum ratiocinio tali potest illustrari, ut pateat, quomodo ab uno tanta multitudo procedere potuerit,

factæ

factæ fuerint tantùm 12. generationes, quælibet post annos 100, ita ut respondeatur annis 1200. vivebant enim tum homines aliquot centenos annos, post illos 100. annos quilibet genuerit proles 50, quod pro illa fæcunditate mundi orientis, haud nimium est, itaq; summa hominū prodibit post generationes illas 244. 140.625 000. 000. 000. 000. Sed demus etiam generationes processisse in bina proportione, ita ut Adam tantùm duas proles habuerit, & illæ post annos 30. tantùm duas habuerint, & sic deinceps post annos triginta binarum prolium generationes repetendo. Tum post annos 1920. generatione sexagesimâ quartâ in mundum effundentur homines 134. 467. 440. 373. 095. 516, 15, & generatione centesimâ, post annos ter mille ab exortu mundi prodibunt simul 12676. 50. 600. 228. 229 401. 496. 703. 205. 376. Atqui ut demonstrat Hugo Sempilius si tota tellus æquè habitabilis esset ac Gallia, quamvis per quindenos annos totus hominum numerus renovaretur, intrà sex millia annorum, non plures essent homines quam 1. 932. 937. 500. 000, itaq; licet multæ fuissent intermissæ generationes, multæ sterilitate præpeditæ, adhuc ab uno tam vastum ge-

nus humanum descendere potuit, uti revera descendit. Sed hoc ipsum etiam aliter demonstremus. Detur quòd ab initio mundi homines post annos ætatis 20. susceperint tres proles, illarum prolium singulæ etiam post annos alios 20. ternas proles, post annos mille recurrent generationes 50, & homines tot erunt quot sequens Tabella indicet.

CAPUT XVI.

Quæ prima in mundo fuerit lingva?

Hominem mundi lingvam appellavit Proclus, quòd silente mundo primus locutus sit, quod verò idioma usurpaverit haud satis liquet. Inter Chaldæos Hebræosq; potissimùm causa vertitur, neq; dirimi potest omninò, cùm omnia ferè monumenta rationum quæ pro altera lingvâ afferuntur altera sibi vendicet. Neq; illud quod maximè probavit nescio quis, ulli favet idiomati; Penes eas nimirum nationes primogenituram esse lingvarum, quæ literis quatuor nomen Dei enumeraret; atq; non modo Hebræis Jod Het Vau He, sed Græcis Teós, Latinis Deus, Arabibus Allá, Hetruscis Esar, Ægyptiis Dout, Persis Syrí, Assyriis Adad, Afris Amon, Germanis Godt, Gallis Dieu &c. Magnus ille rerum arbiter salu-

ſalutatur. Illud etiam Prudothi commentum nullâ ratione ad hanc metam collineat. Salneticum nimirum Ægyptiorum Regem lingvarum vetuſtatem inquirentem, tres infantulos à nutrice muta educandos curâſſe, donec prima proferrent verba quæ principis lingvæ indicia eſſent. Jam verò cum prima vox eorum excidiſſet Bek, ſive ut ſcribit Herodotus Bekos, judicatum, apertè ei lingvæ principem locum eſſe dandum, quo Bek diceret panem. Hæc enim vox potuit à nutrice mutâ & ſimiles ſolùm reſonante ſonos accipi. Quare ſatiùs eſt credendum id permittere aliis, quàm cum Arcadibus jactare ſuam gentem antiquiorem Lunâ, qui idcirco ſuæ lingvæ primatum attribuunt, aut cum Bracmanis, qui avium lingvas primas eſſe profitentur, aut cum Orpheo & Homero qui Deorum lingvam id eſt Græcam, aut cum Platone qui Phrygiam lingvarum Principem eſſe voluerunt. Illud tamen exploratum eſt, alliſis ad inſanam turrim Babel conatibus ſuperbæ mortalitatis, Deum prioris lingvæ oblivionem inſperſiſſe ſingulis qui convenerant, indeq; ſe repentè matrices, ut vocant, lingvas exeruiſſe, easq; ſeptuaginta duas fuiſſe pro numero familia-

rum Judaicarum, Chronicon Alexandrinum, aliaq; Scriptorum monumenta asseverant, sed potiùs cum Genebrardo sentiendum qui eas ita numerat Hebraicam, Græcam, Latinam, Sclavonicam, Germanicam, Abassinam & cæteras usq; ad quinquaginta quinq; : Unde postea Arabica & Syriaca ex Hebræa. Dorica, Jonica, Aeolica, Attica de Græca. Italica, Valachica, Gallica, Hispanica de Latina. Polonica, Boëmica, Moscovitica, de Sclavonica. Helvetica, Svetica, Anglica, Scotica, de Germanica. Turcica, Sirica, Japonica, de Barbarica. Æthyopica, Sabana ab Abassina. Inter has censentur tres esse potissimæ quas Christ9 D. sui regni voluit esse indices, Hebræa, Græca, Latina. Hoc verò universum quod extat ad pronunciationem monuit Beda, omnes Orientis Gentes in gutture lingvam & verba collidunt, ut Hebræi & similes. Mediter. Lingvæ ad palatum affligunt vocem, sicut Græci, & Asiatici. Occidentales verba in dentibus frangunt. Ut Itali & Hispani &c.

CAPUT XVII.

Quod Iam primum in mundo regnum.

Lingvarum orto dissidio orbis terrarum fre-

frequentari cœpit, hinc coactâ in unum multitudine, urbeq; Babilonis fundatâ Belus, ſive Nemfrotus Chami Nepos, primus mortalium anno mundi 1880, altero poſt diluvium ſæculo, regium ſibi nomen vendicavit, & regno Babilonico fecit initium. Hunc æmulatus non multo poſt tempore Agialeus Sycioniorum regnum in Peloponeſo ſtatuit. Sexageſimo quinto poſt Beli regnũ anno Ninus ſuccedit qui ædificatâ Ninive monarchiam Aſſyriorum inſtituit. Hæc porrò monarchia ſtetit ferè annis trecentis ſupra mille, per triginta quinque Reges delata ad Sardanapalum usq;, qui ad Arbam Medorum à Præfecto dum nec purpuram obtruncatur. Sycioniorum regnum per 6. Reges ad Zeuxippum usq; manſit Eâdem tempeſtate in Ægypto plures ortæ ſunt Dynaſtiæ eas excepit regnum ampliſſimum quod ad Auguſti tempora pervenit, inter Dynaſtias potisſima fuit decimaquinta Thebæorum, qui Thebæorum urbem condidêre centum portis patentem, & decima ſexta quæ à quæſtoribus nomen accepit, quorum ingens fuit ditio & poteſtas in reliquos Dynaſtas & Reges.

Ægyptici ſuppares in regni prærogativa

sunt Scythæ circa annum mundi millesimũ gens bellicosa, à qua fluxêre Amazones, Bactriani, Hunni, Longobardi, Gothi, &c. Deinde primus inter Argivos Inachus regnat, qui Pharoneo regnum per manus tradidit, hic mænibus urbes munit, & primus leges præscribit. Centum post annis regnũ exortum in Attica. Ogiges primus imperitat, quo regnante Attica memorabili diluvio pene deleta est. Atticum regnum excepit Atheniense quod Pelops primus omnium administrat. Hic Diphyes est dictus hoc est, duarum naturarum quòd Græcè sciret & Ægyptiacè, Athenas in Euboea condidit. Eodem sæculo paulò post Deucalionis diluvium Pelasgorum res auctæ, & crevit imperium. Illud porrò Argivorum regnum cujus ortus incidit in Tunematum septimum Sicyoniorũ Regem quingentesimũ quadragesimum quartum annum attigit per quatuordecem Reges ad Acrisum ab Inacho, hinc translatum est Mycenas, & mansit per octo Reges à Perseo ad Cometem usque unâ cum Archivorum regno, paucis post annis prima Lacedæmoniorum dynastia oritur. Primus Eurotas dominatur. Trecentis post annis altera Corynthiorum Dyna-

Dynastia à Sysipho ad Doridam per sex Reges ducta. Corynthiorum regnum pervenit ad 1427. ab Alete ad Periandrum. Interea Tantalus in Phrygia regnat circa annum bis millesimum, à Titanibus genitus in Creta. Iuppiter regnat anno 2580. Res Hebræorum ad Judices venit, primus Othoniel ultimus Samuel recensentur. Hinc regnum exoritur. Regiis insignibus primus ornatur Saul, traducitur per quatuor Reges ad Roboam regnum: Mox ortâ seditione dividitur in duo. Regnum Judæ vel Jerosolymæ Roboamo obtigit. Jeroboamo Israelis vel Samariæ regnum, quod anno 3260. cessat. Post ducentesimum annum reparatâ libertate Judæi Rempublicam Aristocraticam formant, duces simul atq; Pontifices administrant ad Machabæos usque. Tandem in Aristobulo regni forma revocatur. Jam anno 2800. regnabat Anubis Aëthes cum suscepta est Argonautica expeditio. Vicesimo post anno Trojanum concidit regnum. Anno 2000. Tyriorum regnum incipit in Hiramo. Altero sæculo Assyriorum Monarchia dividitur in duo regna, Assyriorum & Medorum. Macedonum prodit regnũ à Cajano ad Alexandrum

Magnum anno 3200. cœpit esse Ægyptus sine Rege, creat duodecem Optimates. Post centum annos Cypselus sublatâ Oligarchiâ Corynthi primus regnat, atque exinde centum etiam post annos Persarum exoritur Monarchia. Primus est Cyrus inter Monarchas. Eâdẽ tempestate desinit sub Cræso Lydorum regnum, quod cœperat ante ducentos annos. Anno 3248. Athenis decennale imperium instituitur, primus dicitur Cecrops. Post septuaginta annos ibidem annui Magistratus incipiunt novem imperitare. Arcontes interea Rex Laurentum, Ethruscorum, & Aboriginum in Italiam Arcadum coloniâ traductâ anno 790. Janus per tres Reges regnum Latino legat, quod excipit Arcadarum Dynastia. Æneus propagat imperium ad Amulium usq; per quindecem Reges, his succedit Romulus primus urbis regnator anno 3212.

Hinc Româ exactis Regibus, qui septem à Romulo fuerunt, Consules ineunt Magistratum, primus Brutus & Tarquinius Collatinus, mox exoritur dictatura. Primus Dictator erat Titus Largius. Centum post annos Respubl. ad decem viros venit, qui Magistratus identidem repetitus est eodem sæculo.

culo. Tribuni militum,& Tribuni deinde plebis regunt cum Consulibus. Anno 3670. initium habet Græcorum Monarchia in Alexandro Magno, mox imperium Medorum transiit ad Persas, & deinceps Selevcidarum, sive Syriæ regnum incipit in Selevio, & annis ferè 300. consistit. Anno 3974. Ortum habet Romanum imperium quo tempore regnum conciderat Macedonicum, & mox concidit Ægyptiacum & Judaicum. Post 36. annos, anno videlicet mundi quater millesimo nascitur Christus D. & regnum statuit cujus non erit finis. Post 34. annos S. Petri principatus exoritur. Romanum imperium dividitur in Occidentem & Orientem. Anno Christi 394. sub Theodosio regna Gothorum & Vandalorum oriuntur. Anno 444. Francorum regnum capit in Gallia initium. Sub Pharamundo Marcomeri filio prodit Anglicũ regnum, crescit deinde in Alareto.

Anno 902 ortus è Germania Odoacer primus Italiæ Rex salutatur, cui Gothi succedunt. Regnum Scotiæ anno ante Christum natum 330. primum Regem Phergutium nominat. Primum verò inter Christianos Donalidum, à quo numerantur ad nostra tempora plures quàm 80. Reges.

Anno Christi 568. Longobardorum incipit regnum. Centum post annis consurgit Saracenorum imperium, Hispania usque ad Honorium penes Romanos mansit, à quo tempore post Wandalos Wisigothi Reges recensentur, quorum est primus Vallia. Polonici & Boemici Regni initium circa 700. annum statuitur. Post 100. annos ortum habet imperium occidentis in Carolo Magno, quod ab anno 888. cœpit hærere in Germania ab Arnulpho Northman. Siciliæ regnum anno 1010. ante 600 annos fundatum restituitur à Vandalis. Regni Jerosolymitani anno 1100. initium in Balduino Godofridi Fratre. Regnum Cyprium statuitur primùm in Americo sive Henrico Lusignano, cujus neptis Carlotta, ut ajunt, hæres regni Ludovico Sabaudo, & postea Carolo ejusque Genti regnum totum adjecit. Anno 1020. Saraceni Sardiniam invadunt, & imponunt de suis Regem Muscatum. Mox Baryson à Friderico Imperatore Rex dicitur, demum Henricus ejusdem Friderici Filius. Corsicæ verò primum numerant Regem Corsum, Herculis Filium, à quo & nomen accepit &c. &c.

CAPUT

CAPUT XVIII.

Numerorum in mundo consideratio.

Omnes Gentes in numerando procedunt tantùm ad 10, inde unitates replicant, & eosdem numeros componunt, inde Pythagorici decem principia rerum assignârunt, & unitatem appellârunt pariter imparem, quia est in potentia tam ad parem quàm ad imparem numerum efficiendum. Essentiam esse ut unitatem, quia dividi non potest. Decem esse corpora quorum collisione mirus ederetur concentus, nimirum octo cœli, septima terra, & antichrona, seu pars terræ opposita. Res etiam constare numeris dixit Nazianz. Orat. de Paschate & Pentec. Aug. & Greg. scripserunt mysteria quaternarii, scilicet Aug. epist. 119. c. 15. De Senerio lib. 1. & 2 in Gen. ad lit. De Septenario epist. 119. cap. 6. & Gell. lib. 3. cap. 10. De Novenario ibid. Aug. & Plut de Homero. De Denario Plut. de placit cap. 5. De 8. & 30. SS. PP. ubi agunt de piscina Probatica. De 40. & 50. Nazianz. l. c. & alii ubi agunt de Pentec. de Quadragesima.

Et certè proportionem servari jussit Deus, eamq; in numeris expressit, cùm arcam Noë ædificari jussit, voluit enim esse

longam cubitos 300, altam 30. latam 50, quæ est proportio hominis jacentis. Arcam testamenti longam cubitos sesquiduos, latam & altam sesquicubitum. Mensam panum propositionis longam duos cubitos latam unum, altam sesquicubitum. Atrium longum cubitos 100, latum 50, altum 5. Ternarius numerus in universo reperitur. 1. Circa terram sunt mobilia & corruptibilia. 2. in cœlo mobilia & incorruptibilia. 3. Supra cœlos & immobilia & incorruptibilia. In prima harum partium Universi, est quaternarius elementorum. In secunda septenarius Planetarum, in tertia denarius, qui omnem significat perfectionem. Non refero hîc proportionem quàm veteres assignabant inter orbes Planetarios, Planetas, motus eorum. Ita & colores consurgunt ex mixtura proportionata, ita & medicamenta componuntur. Et Aristoteles dixit Vegetativum in sensitivo esse ut trigonum in tetrageno. Danieli Prophetæ indicatum tempus à secunda templi ædificatione per 70. septenarios. Quatuor sunt elementa mundi, quatuor monarchiæ. Tempus tribus sæculi constat, naturæ, gratiæ, gloriæ. Septies divina lex renovata, ut est 4.

Esdræ

Eſdræ 3 id eſt, in Adam, in Noë poſt diluvium, tempore Abrahæ, per Moyſen, per David & Salomonem ædificato templo, poſt transmigrationem Babilonis reædificato templo deniq; per Chriſtum. Tres mutationes proponit Matthæus cap. 1. Ab Abraham cœpit populus Dei ſeparari à Gentibus, à David gubernatio Regalis. In transmigratione finitum regnum, & incœpit regimen Sacerdotale.

Pythagoras proceſſit per numerorum proportiones in Philoſophia. Ariſtoteles per cauſas phyſicas, & videtur occaſionem ſumpſiſſe ex artefactis, in quibus ligni materia priùs eſt quàm fiat ciſta, & non eſſe ciſtæ præcedit ciſtam, & iſte modus clarior philoſophandi, & potior, quia numeri ſequuntur res non cauſant. Addidit cauſas duas Ariſt. quia debet eſſe Agens quod efficiat ciſtam, & facit illam ob aliquem finem. Pythagoræ inhæſit Plato. Sic Ariſt. concludit eſſe quatuor Elementa, quia ſunt quatuor qualitates, & ex illis duæ contrariæ, quocirca uni elemento dari non poſſunt tres, quia daretur una contraria, itaque duæ, & duarum hoc modo ſolum poſſunt fieri combinationes quatuor, igitur ſunt 4. Elementa. Plato

cum

cum Pythagora ita concludit. Mundus debet habere soliditatem, & sunt duo solida, supremum & imum, duo solida seu corpora non possunt colligari nisi duobus vinculis. Nam linea unius puncti ductu ligatur, superficies seu planities duo latera habet, seu duas dimensiones, nam quaternarius est planus, & fit ex duobus bis in se ductis. Corpus habet tres dimensiones, ut 8. ex 2. bis sumptis quæ sunt 4. & quatuor bis sumi debet ut sint 8. Itaque planos ligat una proportio, ut inter 2. & 4. At in corpore est duplex, ut 2. 4. 8 Eadẽ enim est proportio inter 2. & 4. quæ inter 4. & 8. Itaq; duæ solidæ magnitudines debent vinculis duob9 colligari, & ita rationes Pythagoras & Plato reddunt ex Arithmetica & Geometria, & Plato relationes, Aristoteles rerum considerat substantias. Si quæsiveris ex Platonicis, cur Planetæ sint septem, dicent: Quia quaternarius rebus corruptibilibus aptissimus, nam est primus qui generatur ab alio primo, id est à 2. (nam unitas non est numerus, sed numeri principium) & bis acceptus generat 8. at eò minor est 7. semel enim invenitur in 10. & est linearis, constans unitatibus, itaque maximè congruit corporibus incorruptibilibus quales

les ſunt planetæ. Hinc etiam formant triangulum per quem rerum productionem explicant, in hunc modum. Deus eſt unus, itaque datur unitas. Deus poteſt multa producere, ſeu plura, hæc per 2. ſignificentur, hæc verò fieri non poſſunt, abſque Deo, addatur ergo 1. ad 2. fient 3. & conſurget trian-

o
oo
gulum ooo hic ternarius quia eſt primus
oooo

neceſſariò eſt unus triangulus, addatur ergò illi unitas & conſtituetur quaternarius, & ſumma fit 10. Denarius continet omnes numeros, nam nulla gens ultra illum progreditur in numerando, niſi per numerorum replicationem, itaque in uno Deo eſt unitas, ad quam facta ſunt omnia. Certè hi diſcurſus oſtendunt ingenium diſcurrentis, ſed non rerum cauſas.

CAPUT XIX.

Formarum materialium origo.

Convenit inter Philoſophos formas materiales tam ſubſtantiales quàm accidentales latere in materia non quidem actu, ſed potentiâ, id eſt, poſſe educi formas ex materia, & quidem accidentales in hunc modum vide-

videntur educi. Corpora ſimplicia ſcilicet elementa proprias illas habent & ſuis formis ſubſtantialibus adnexas. Ex ſimplicibus fiunt corpora compoſita, itaque in illis etiam ſunt formæ accidentales ſimplicium, quæ acceſſu agentium vel augentur vel temperantur variè. Hæc ſimplicium accidentia prodeunt ex illis ut potentiæ ex anima, quas ille producit, qui animam producit. Forma ſubſtantialis producitur juxta materiæ præparationem per accidentia, quæ ut eſt diverſa, ita ad diverſam determinat formam. Cùm enim v. g. ſubjectum eſt valdè calidum & ſiccum, nec obeſt aliquid, prodit forma ignis, & hæc ipſa combinatio accidentium evocat è materia formam, quæ in materia latebat cum innumeris aliis poſſibilibus, quod eſt educi formam è potentia materiæ: Vel certè alia forma ſubſtantialis adjuta ab accidentium combinatione illam evocat: & ita forma nova non venit de foris, ſed ex ipſa prodit materia. Egreſſus verò hic formæ ex materia ita ſe habet ſicut in artefactis. Accipit v. g. Arcularius tabulam, ita hic agens naturale v. g. ignis corripit lignum. Aufert aliquas partes Arcularius ex tabula aufert & ignis è ligno

gno, frigus &, humiditatem, introducendo calorẽ & ſiccitatẽ, & ſic fit diſpoſitio pro novâ formâ, introducendo novas qualitates quæ antiquas conficiunt. Arcularius pergit in præparatione pro nova forma, & ignis pergit, tandẽ ubi ſatis præparationũ factũ ab arculario per ablationem aliquarum partium, & aliquarum additionem, prodit forma ſcamni non aliunde ſed ex ipſa tabula, ita poſtquam ſatis inductum novorum accidentium & ablata vetera inutilia, prodit forma ignis, aut animalis non aliunde quàm ex ipſa materia (anima verò hominis in materia ſic diſpoſita creatur, non ex materia prodit) cum hac differentia, quòd forma ſcamni ſit ipſa tabula variè accommodata, nec forma à tabula plus quàm modaliter diſtingvatur: Forma ignis aut animalis diſtingvatur realiter ab anima. Sed tamen ſicut tabula continebat potentiâ ſuam formam, ita materia, formæ verò ipſæ contentæ fuerunt diverſi ordinis, unde etiam per diverſi ordinis media procedebatur ad illas educendas: Et ſicut ſi circa tabulam alius fuiſſet proceſſus inſtitutus, prodiiſſet ex ea alia forma v. g. arcæ, ita ſi circa materiam alius fuiſſet inſtitutus prodiiſſet alia forma.

Nam sicut tabula est in potentia ad innumeras formas, ita materia.

SUBSECTIO III.
De fine mundi.
CAPUT I.
Signa præcedentia finem mundi.

Supposito quod virtutes cœli vi supernaturali concutientur, signa enumerata à S. Th. in Suppl. q. 73. & seq. sequi certè est juxta rei naturam, turbatis enim superioribus turbari inferiora necesse. Imò illa signa præcedentia exitum mundi videntur sacris eloquiis consonare, licet in illis ordo non habeat fundamentum. S. Th. desumpsit ex S. Hieron. hic ex veteri Hebræorum traditione, quæ licet à Philosopho sint aliena, materiæ tamen addent complementum. Sunt autem ejusmodi. 1. Maria omnia ita in altum elevabuntur ut quosvis montes cubitis 15. superent. 2. Ita rursum omnia maria dehiscent in abyssum, ut penè visum effugiant. 3. Maria redibunt ad statum pristinum. 4. Belluæ maris & alia quæ moventur in aquis congregabuntur & levabunt capita sua supra pelagus, invicem rugientes. 5. Omnia volatilia cœli congregabuntur in campis, plorantia suo modo, omni cibo ac potu abstinendo. 6. Flumina ignea consurgent con-

contra Firmamenti cursum ab occasu solis usq; ad ortum corruentia. 7. Omnia sydera tam fixa quàm errantia ex se igneas diffundent comas instar cometarum. 8. Ingentes terræ motus consurgent, ita ut nulla animalia suis possint hærere vestigiis. 9. Omnes plantæ sangvine sudabunt. 10. Omnes lapides scindentur ac rumpentur, ac pars contra partem collidetur. 11. Omnes colles, montes, fabricæ mundi, palatia, arces, in pulverem redigentur. 12. Omnia jumenta ac feræ egressæ de latebris, sylvis, ac montibus, cum rugitu prodibunt in campos, & omni cibo abstinendo se conficient. 13. Omnia sepulchra ab ortu solis, usq; ad occasum terra aperiet, ut sepultis pateat egressus. 14. Omnes homines qui alicubi inter spelæa delituerunt exibunt mærore ac luctu tabescentes, sine sensu, sine loquela, sed toti attoniti, ac stupentes, ac majora metuentes. 15 Omnes tandem morientur, quam mortem universalem sequetur universalis mortuorum resurrectio.

CAPUT II.

Quæ contingent circa finem mundi.

Ex eodem Angelico Doctore adnotamus: Obscuratio Solis & Lunæ simul erit univer-

ſalis ac totalis, hæc non poterit fieri per eclipſim, utrumque enim luminare ſimul obſcurari nequit naturaliter, itaque alio modo arcaniore. Motus cœlorum ceſſabunt, virtutes cœlorum movebuntur, per quas intelligit D. Doctor, commovendas Intelligentias quæ nomen virtutum habent, ac præſunt miraculis patrandis, ad quæ tunc movebuntur, ac ſi hactenus fuiſſent otioſæ. Sequetur mundi renovatio, etenim mundus propter hominem factus, decet ut renovetur, homine renovato: ut ſimul cum homine corruptionem exuat, tum juxta Pſalmiſtam. Pſalm. 49. *In conſpectu* Dei venturi Judicis *exardeſcet ignis, & in circuitu ejus tempeſtas valida, advocabit cœlum deſurſum & terram diſcernere ſuper populum ſuum.* Tum univerſa tellus conflagrabit, & per ignem ut aurū à ſcoria excoquetur. Ignis verò, ut colligitur ex 2. Petri 3. inſtar diluvii totā inundabit terrā, ut ſicut in plaga illa aquæ ſuperfuſæ univerſis montibus ad ulnas 15. ita in hac ignis perpetuus. O quantus ardor? O quanta ignium abyſſus? Hic ignis etiam cœlum aereum recoquet, ut commentatur S. Aug. 20. Civit. 16. quia ut docet S. Petrus, illi cœli per ignem purgabuntur, qui prius per diluvium

luvium fuerunt purgati, purgabitur & aquæ elementum. Manebit tamen ſalſedo in mari, verùm omnis illius conquieſcet agitatio. Ignis verò hic univerſalis, atque hoc incendium omnes mortalium incinerabit, quoſcunq; ſive bonos ſive malos repererit. Sed ait S. Th. mali ſentient cruciatum, boni autem ſine dolore reſolventur: in quibus verò aliqua fuerit culpa, illi ſentient cruciatum aliquem; quidquid autem turpe, horridum, venenatum, ſordidum, terra alit, illud in orci barathrum deturbabitur totum, ut damnatorum ſit lectus. Ita S. Baſil. ſuper Pſalm. 28. & tum omnes à mortuis reſurgemus. Signa cætera quæ in ſacris Evangeliis ponuntur, non omnia ad hæc temporis extrema ſpectant. Verùm mundum duraturum ſex mill. annorum, eſt traditio Thalmudica profecta non ab Elia Propheta, ſed Rabbino hujus nominis.

CAPUT III.

De univerſali omnium à mortuis reſurrectione.

Omnes reſurgemus, ut juxta 1. Cor. 15. recipiamus juxta acta noſtra præmium vel pœnam, quam reſurrectionem Chriſtus voce ſuâ imperabit, quæ vox dicetur tuba, quia orbem terrarum congregabit & armabit, ut

pugnet contra insensatos, quod fiet in voce, id est ministerio Angelorum: illi siquidem colligent & component cineres in formam corporis humani. Principem verò Ecclesiæ S. Michaelem hoc negotium specialiter concernet, cui non deerit aliorũ opera, sed anima sicut immediatè à Deo creata, ita à Deo unietur corpori immediatè.

CAPUT IV.

De tempore finis mundi.

Tempus judicii planè ignotum, conjecturà haberi potest, verùm non scientiâ. Abbas Joachimus multa de futuris per conjecturas tetigit, verùm etiam fortè erravit non in paucis. Quodsi tamen ratiocinium velimus inire ex ejus Ænigmatibus, per quæ Pontifices usque ad diem ultimum descripsit, obiit ille anno 1148. Novemb. 2. incepit verò numerare à sua morte. Pontificum nemo hactenus post S. Petrum explevit annos 25. in officio, ab ejus morte usque ad modernum Clementem IX. 84. Pontifices veracem Prophetam probârunt, supersunt 28. quorum ultimus Petrus secundus, ex quo sic argui potest. Demus quod quisque ætatem S. Petri attinget, tum ultra annos 740. non est duraturus à præsenti 1667. an. mundus.

dus. Jam verò per annos proximè elapſos centum, Pontificatu ſunt functi 15. itaque intra annos 200. Pontifices 30. ac proinde nec 200. anni dandi eſſent mundo. Rurſus ab initio Prophetiæ 84. Pontifices impleverunt annos 319. Itaque ductâ proportione, Pontifices 28. non implebunt annos 180. Ac proinde nihil poteſt certi colligi: Deceptus eſt in hoc Redemptus Baranzanus, p. 1. Vranoſcopiæ q. 1. dubit. 10. qui aſſeruit futurum fore anno 1656. ratio ejus fuit, quia totidem anni ab initio ad diluvium fuêre elapſi. Verius eſt quod S. Auguſt. enarrat in Pſalm. 6. & 89. Cyrillus Jeroſol. catecheſi 15. dicit, & Chryſoſt. hom. 9. in 1. ad Theſſal. Beda libro de rat. temporum, nec diem nec annum ſciri poſſe, ubi contrariam ſententiam frivolam, ac hæreticam appellat, quia Matth. 24. 26. ſcriptum eſt: *De die autem illa & hora nemo ſcit.* Idem habetur Marci 13. 32. & Act. 1. 7.

CAPUT V.

De tempore Reſurrectionis univerſalis.

Probabile eſt S. Thomæ reſurrectionem noſtram futuram, cum Sol incipiet oriri, & Luna occidere, quia tali horâ Chriſtus Dominus exemplar omnium reſurgentium à mortuis rediit, & eodem inſtanti omnis mo-

tus cœlorum conquiescet. Omnia verò opera Angelorum, quæ tunc intervenient, fient succesſivè, ſed quæ procedent immediatè à Deo, erunt inſtantanea. Idem autem numero corpus reſurget ut dicitur Job. 19, quia aliàs non eſſet reſurrectio, quæ ut ſit talis, debet eſſe circa idem quod cecidit. Inſuper ſi aliud corpus reſurgeret, non idem homo reciperet mercedem eorum quæ gesſit. Tam verò exacta hæc futura reſurrectio ut redituri ſint & capilli & ungues & quæcunq; partes corporis cum quibus decesſit homo. Omnes verò reſurgemus ut eſt Epheſ. 4. Reformati in virum perfectum in plenitudine ætatis Chriſti: quia inventus eſt defectus, nondum enim venit ad perfectionem, ſenectus jam à perfectione diſcesſit. Neq; tamen in eadem omnes ſtatura, ſed quam habuiſſet quisque agendo Chriſti ætatem nullo intercurrente vitio naturæ. Servabunt ſinguli ſexum, id enim Deus reparabit quod condidit: Aberit verò libido omnis, ideoque & effectus libidinis pudor exulabit: Appetitus enim propagationis inditus ad reparandum id quod periit, in illo verò ſtatu nihil interire poterit: Ad ſimilem finem inditus & alimenti appetitus ut

restauretur. Quod resolutum vel corruptum, cujus rei cùm in eo statu nullum periculum, cessare etiam necesse est appetitum. Quia verò corpora incorruptibilia, etiam impatibilia, & qualitates ligabuntur ne altera corrumpat alteram. Sensus verò, ut quisq; in beatis reportaturus suum præmium, ita pœnam in damnatis. Habebit visus quod oblectet vel discrutiet, habebit tactus, olfactus, auditus, gustus, nihil incoronatum, nihil impunitum. Sequetur temperiem felicem corporum in beatis odor svavissimus, sequetur in damnatis teterrimus, Beatorum aures laus vocalis Deo dicta recreabit; damnatorum verò, blasphemiæ, maledicta, insultationes, affligent. Illorum gustus quidam sapor gratissimus afficiet ut diffluant voluptate Domini; horum epulæ, quod visu audituque horridum. Habebunt corpora subtilitatem ut pro libitu quidvis penetrare possint, habebunt & agilitatem parem Angelis, habebunt claritatem ipsa corpora juxta Matth. 13. ut fulgeant Justi sicut sol in regno Patris eorum. Resurgent & damnati corpore integro, nullis confecto ægritudinibus, ne aliquid sit in eis quod sensum do-

loris impediat. Habebunt & isti infelicem incorruptibilitatem, ut pœnis possint sufficere æternis.

CAPUT VI.

De Judicio extremo.

Sed jam veniendum ad reddendam rationem supremo Judici. Recepimus corpora, ante tribunal constitimus, en quomodo totius vitæ peccata & maxima & minima statim menti cuiq; clarissimè, cum omnibus circumstantiis, aggravantibus, intensione, duratione, occurrunt: Neq; solum propria sed aliena, sed etiam Justorum ut evidens omnibus sit, à Deo nullam fieri cuipiam injuriam, cum illi instinctus ad bonum, cum illa monita, tum commoditates ad salutem, & hæc omnia omnium singuli clarissimè intelligent: Intelligent & quantam de suis malis egerint Beati pœnitentiam; & quare cuique illorum pœna & crimen condonatum, quod nullatenus Beatos afficiet confusione, sicut nec afficit modò S. Petrum aut Magdalenam quòd illorum noscamus delicta: At in hoc damnatorum intolerabilis confusio: Quod & ipsi cùm æquè è suis malis potuerint emergere, malitiosè aut desidiosè noluerint. Et hic est liber conscientia-

rum

rum unde mundus judicabitur: Nam ad hæc subſellia afferri aliquem materialem, S. Aug. 20. Civit. 14, habet pro inconvenienti. Omnia in ſingulis conſpiciemus idq; breviſſimi temporis impendio, vires naturæ divinâ ſublevante virtute, & hæc erit accuſatio, non aliqua vocalis, ut ſentit D. Aug. l. c. voces enim ſucceſſionem petunt, & tot mortalium voces ingentem moram. Conſpicietur tamen ab omnibus Chriſtus D. ut Judex.

CAPUT VII.

De loco ultimi Judicii,

Locus judicii vallis Joſaphat, hæc enim deſignata Joël 3. hæc verò poſita eſt circa radices montis Oliveti, ex quo Chriſtus & ad paſſionem ductus, & ad cœlos aſcendit, ita tamen ut omnia etiam vicina valli ad locum hujus Judicii referamus. Judex verò in ſumma claritate ſublimis in aëre patebit, ut omnium conſpectui ſit præſtò: Socios Judicii aſſumet Apoſtolos, ut eſt Matth. 19, imò nec ſolos, verùm omnes qui conſilia Domini ſecuti Apoſtolicè vixerunt, hi aſſeſſores hujus Judicii & ſimul in ſedibus ſublimè in aëre appenſis rationes à cæteris accepturi conſidebunt: Ita Gloſſa in Matth. 19.

Angeli verò non inter Judices ſed ſummi Judicis miniſtros conſiſtent, ut eſt Matth. 13. Aderunt & dæmones univerſi, utpote executores decreti, & jam Domini illorum qui ſe illis spontè per peccata ſubjecerant, hi carnifices jam ſunt judicati, neq; ad ſententiam audiendam, ſed ad rapiendos damnatos venient: Ut eſt Joan. 16. Poſt latam ſententiam, alii ad præmia æterna deducentur, alii ad ſupplicia nunquam finienda præcipitabuntur. Quæ diviſio ibi? Quis luctus? Quæ imago æternitatis in miſeris?

CAPUT VIII.

De mundi poſt Judicium renovatione.

Peracto Judicio mundus hic renovabitur, ut nimirum ex illius aſpectu Beatorum oculi corporei ſuam habeant voluptatem, quam primariò percipient ex Chriſti D. ac mutuo intuitu, & tum ut prædicit Iſaias c. 30. Erit lux Lunæ ſicut Solis, & Solis ſeptempliciter: ſed & terra, & elementa, ut eſt Apoc. 21, renovabuntur. Sed nullæ plantæ, nulla ſupererunt animalia, quia propter hominem hæc omnia facta, qui deinceps eorum nullo uſu indigebit. Elementa & cœli ſub iisdem manebunt formis ſubſtantialibus, alioqui non hic eſſet mundus renovatus

tus

tus, ſed alius conditus, & terram quidem docet S. Th. ob accidentales quas acceptura perfectiones fore pellucidam ut vitrum, aquam ſicut cryſtallum, qui tamen modus loquendi non indicat terram & aquam futuram luminoſam, ſed tantùm diaphanam ac cœli illuſtratam luce. Deum verò Beati non his corporeis ſed mentis oculis contemplabuntur, & in illo plurima, licet non ſinguli omnia, & alter altero perfectiùs. Aſpicient & pœnas damnatorum, ut habet gloſſa in Iſai. ult. ut comparatione ſui cum illis, magis ſuam agnoſcant felicitatem. Aberit autem à cordibus Beatorum omnis commiſeratio, omnis enim illorum affectus rationem ſequetur rectam, ratio verò dictat fruſtraneum eſſe compati damnatis, quos è pœna precibus eripere impoſſibile. Abſcindet & Deus miſereri amplius, quia juxta æquisſimum illius decretum non convenit damnatos liberari à pœnis. Imò verò ut Pſalmo 5. dicitur. *Lætabitur juſtus cum viderit vindictam*; Non quidem de pœnis ut ſunt illorum pœnæ ſed de hoc, quod cùm ſimiles pœnas incurrere potuerint ab illis ſint præſervati, itaq; non per ſe, ſed per accidens de pœna infelicium lætabuntur.

CAP.

CAPUT IX.

De Justorum præmio.

Accipient verò præter essentiale præmium quod in visione aut amore Dei consistit, Beati, pro diversa victoriarum ratione aureolas. Bella enim in hoc mundo gesserunt, ibi triumphant: & sicut essentialis gloria dicitur Corona, ita accidentalis vocatur corolla, seu aureola, estq; gaudium quoddam de operibus à se factis, talis competit apud Isai. 56. Virginibus, quæ carnem, Martyribus qui Tyrannos: Doctoribus, non quibuscunq; sed ut Glossa in Ephes. 1. qui diabolum non solùm in se, verùm etiam in aliis superârunt, docendo; instruendo, concionando: non autem illis quibus otiosum fuit nomen Doctorum, quia 1. Tim. 2. *Non coronabitur nisi qui legitimè certaverit.* Idq; requiritur ad aureolam labor non solâ mente, verùm etiam per corpus exercitus, ideò nec obtinget Virginibus quæ solâ mente conservârunt virginitatem si illam corpore deseruerunt, & licet aureola præcipuè mentem exornet, decor tamen ejus etiam in corpus refunditur, & quia tres hostes habemus. Corpus, mundum, diabolum, ideò solùm triplex victoria esse potest,

teſt, atq; triplex laureola ſupranumerata obtineri.

CAPUT X.

De pœnis Injuſtorum.

Non ſolùm verò ignem damnati tolerabunt in inferno, nam dicitur Pſalmo 30. *Ignis & ſulfur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum, & Job. 24. Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium.* Unde ſicut Beatis ex omni creatura cumulabitur gaudium, ita illis ex omnibus pœna accreſcet. Nam ut docet S. Baſilius. Quidquid ſordium ac fæcum in mundo eſt, totum in infernum dejicietur. Secundum quod dicitur Sapient. 5. *Pugnabit cum illo orbis terræ contra inſenſatos.* Ut ſicut in rebus mundi hujus, dum viverent, ultimum finem conſtituerunt, ita per illas torqueantur. Nomine verò ignis, illæ pœnæ potiſſimùm appellantur, quia hic maximè cruciativus: Transibunt autem ex vehementiſſimo calore ad intolerabile frigus, ſed ex eo tormentum geminabitur, non refrigerium conciliabitur. Præterea, ut Aug. 21. Civit. 9. Ignis & vermis pœna erunt carnis. Vermis ſcilicet, non materialis ſed conſcientiæ: Qui ideò dicitur vermis, qui ſicut vermis ex corruptione, ita ille ex putredine

tredine peccati oritur, & animam perpetuò corrodit fletus ex qua parte lachrymosus est, non erit in damnatis, quia nihil eorum per lachrymas poterit resolvi, cùm nihil per cibum possit reparari; Sed quâ parte fletus significat capitis atq; oculorum perturbationem, copiosus erit in his infelicibus.

CAPUT XI.

Aliæ pœnæ Injustorum.

De tenebris horũ miserorum ita opinatur D. Basilius in Ps. 28. Separabitur claritas ignis ab ejus virtute adustivâ, & ratio est, quia lux per se est delectabilis, erit tamen tantum lucis quantum illis ad pœnam serviet, videndo sibi nociva & repugnantia, unde ignis ibi est fœculentus, turbidus, ac fumosus, cùm sit in medio terræ nec fuliginosum extra se ejiciat. Est verò propriè materialis, ut sentit S. Gregor. 4. Dialog. 9, verùm neq; successione materiæ accessu eget, quia à Deo succendetur, ut dicitur Esai. 30. Sed bene velle nemo damnatorũ poterit, quia illorũ voluntas obstinata sicuti dæmonũ. Dolebunt de peccatis, ut dicitur Sap. 5. & illa amabunt, ac volent perpetrare; dolebunt ut sunt causa pœnæ suæ, sed amabunt

ut ſunt Dei offenſa. Deſiderabunt mori ut dicitur Apoc. 9. & mors fugiet ab eis, eo deſiderio quo in hac vita non pauci imprecantur ſibi mortem ut ſe per illam miſeriis ſubducant. Nam licet, non eſſe ſecundùm ſe nequeat appeti, appetitur tamen ſubinde quatenus malorum eſt ablativum, & ſic non eſſe per accidens eſt eligibile, ideoq; diei maledicent in qua nati ſunt. Et quia ſummâ pleni ſunt invidiâ, ideo optant ut quàm plurimi damnentur, ſicut Beati quia ſumma eſt in illis charitas, omnes optant ſalvos fieri, & ſicut hi de alieno gaudent bono, ita illi de malo alieno: Ex hac malitiâ oritur ut etiam propinquorum ac fratrum invideant gloriæ, & licet illorum pœna augeatur ex conſortio damnatorum, tamen odium prævalet, ut eligant cum pluribus magis torqueri, quàm ſoli minùs eſſe miſeri. Imò etiam ipſum DEum habent odio, ut eſt Pſal. 73. quia illum non ut eſt in ſe infinitum bonum quod odio nequit haberi, ſed ut eſt in effectu, in pœna ſcilicet, ſibi repræſentant.

CAPUT XII.

De merito & demerito poſt hanc vitam.

Non demerentur tamen ampliùs, quia

F ſunt

ſunt in termino meriti ac demeriti: Meritum enim ordinatur ad aliquod bonum conſequendum, cujus illi ampliùs non ſunt capaces: Demeritum verò ad pœnam, jam verò poſt diem judicii conſummatio erit omnis pœnæ & boni, unde ſicut Beati per bonam voluntatem nihil merebuntur, ita neq; damnati per malam: & hoc eſt de eſſentiali pœna & præmio verum. Nam de accidentali aliud eſt, ita enim dæmones cùm pertrahunt hominem ad peccatum, demerentur: Habent damnati memoriam eorum quæ in hac vita egerunt, cujus memoriæ dedit ſpecimen Epulo Luc. 16. nam ſpecies intelligibiles remanent in anima. Sed hæc ipſa recordatio non parùm aggravat pœnam: Idem Epulo docet, quòd damnati aliquomodo Beatorum gloriam conſpicient, ut cognoſcant eos eſſe in gloria inæſtimabili, ſeq;, unde exciderint. Ea tamen quæ inter vivos in mundo geruntur ignorant, quia cognitio iſtorum non multùm augeret illorum miſeriam.

CAPUT XIII.

De Pœnarum æternitate.

Pœna ipſa durabit in æternum. Ita Matth. 25. Sicut enim meritum etſi tempore brevi pera-

peragatur, perenne præmium recipit, ità & demeritum pœnam. Nam 5. Ethic. cap. 5. docet Arist. Pœna taxatur secundùm dignitatem ejus in quem peccatur, DEus verò infinitus est contra quem per mortale peccatum consurgit miserrimus mortalis, itaq; decet ut pœnam, si non aliter, saltem in duratione perferat infinitam. Quantitas intensionis pœnæ non eadem est in omnibus. Sed ut est Apoc 15. Nec beati pro his ampliùs orant, ut 21. de Civit. S. Aug. docet, cap. 24, ubi addit. Si nobis esset notum quòd aliqui ex nobis præsciti essent ad mortem æternam, non magis pro eis quàm pro dæmonibus orare possemus. Non ineptè tamen faciunt Christiani, qui pro mortuis exorant etsi ignorent utrum sint in itinere salutis, quia etiam in hac vita cum nescimus qui nostrûm electi, qui reprobati, non ineptè pro nobis oramus. Neque hæc est mera comminatio æternitatis, tum enim comminatio est, quando culpa mutari potest, cujus mutationis nulla spes in damnatis. Neq; opus est ut multa committat peccata ut quis damnetur æternùm. Dicitur enim Jacobi 2. Quicunq; totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est

omnium reus, jam ſcilicet totam amiſit juſtitiam. Et leges humanæ juſtè agunt dum pro uno gravi furto pœnâ mortis afficiunt, etſi quantum eſt in illis perpetua vitæ ſequatur privatio.

CAPUT XIV.

Pœnas alterius vitæ agnoverunt Gentiles.

Agnoverunt verò & Gentiles hoc à morte judicium, & pœnas iſtas, & præmia. Nam Triſmegiſti verba ſunt cap. 10. Aſclepii, prope initium. *Cùm fuerit animæ à corpore facta diſcesſio, tunc arbitrium examenq; meriti ejus tranſiliet in ſummi Dæmonis* (Hoc eſt Intelligentiæ) *poteſtatem, isq́; eam cùm piam juſtamq́; præviderit in ſuis competentibus locis manere permittet. Sin autem delictorum illitam maculis vitiisq́; oblitam viderit, deſuper ad ima deturbans, procellis, turbinibusq́;, aëris, ignis, & aquæ ſæpe diſcordantibus, tradet.* Idem ſenſit & docuit Epictetus apud Arrianum lib. 4. cap. 10. Plato in Phœdone. Imò S. Chryſoſt. Orat. 2 in adventu Domini, & hom 8. in epiſt. ad Theſſalonicenſes, communem hunc omnium gentium fuiſſe affirmat ſenſum. Sed neque ullus Gentilium pœnas inferni negavit, ſed tantum aliqua illis adjuncta fictitia adjecerunt. Nempe

Cym-

Cymbam Charontis, Lethen, Cerberum &c. excipe Atheiſtam Plinium, qui lib. 2. cap 63, ridendo effutiit. *Si ulli eſſent inferi, jam profectò illos avaritiæ atq; luxuriæ cuniculi refodiſſent.* Quaſi verò aliquis foſſionem ultra mili. germanica mille in profundum deduxerit, cùm tamen infra hanc menſuram inferorum retruſus ſit carcer!

Reſurrectio etiam mortuorum probabiliter per rationem deduci in hunc modum poteſt. Anima eſt immortalis, quia nulla ſubſtantia per ſe ſubſiſtens eſt corruptibilis. Anima etiam connaturaliter eſt forma corporis ſiquidem cum illo conſtituit ens per ſe, itaq; debet aliquando redire ad corpus. Et cùm nihil contra naturam ſit perpetuum, animam verò eſſe ſine corpore eſt non naturale, itaq; non eſt perpetuum. Jam verò poſtquam ſemel homines reſurrexerint, ampliùs non morientur, quia cùm animæ ſint immortales, perpetuò non decet illas eſſe ſine materia quarum ex natura ſua ſunt actus. Atque ulteriùs, cùm homines erunt incorruptibiles, neq; cibi uſum neceſſe, neq; propagationis, quia hæc tantùm ſunt ad conſervandam eam quæ perpetuò defluit vitam, vel ad illius augmentũ, quod

amplius nullũ erit. Erunt autē omnia membra tunc, et ā ea quorũ usus non erit, ut quæ nutritioni & propagationi serviunt, quia spectant ad integritatem. Jam verò quia cessabit generatio & corruptio, cessabit motus cœli qui ad illam est ordinatus, & quidem hic facilè potest cessare, cùm sit ab extrinseco. Motus etiam esse finis non potest, cùm semper in aliquid tendat, est enim actus entis in potentia, itaq; cessare debebit, quando ampliùs entia non erunt in potentia, ignis etiam cùm sit maximé activus, & omnia integrè corruptibilia sit necesse perire, ille omnibus finem imponet.

SECTIO SECUNDA
De Cœlo.
SUBSECTIO I.
De Sphæra cœlesti.
CAPUT I.
De tota Sphæra.

Sphæra solida seu globus, est corpus unâ superficie contentum, in cujus medio concipimus punctum, quod centrum appellamus, à quo omnes lineæ ad superficiem ductæ sunt æquales. Sphæræ mundi sunt partes 15. hoc est, quatuor elementa & cœli undecim, hoc ordine, terra, aqua, aer, ignis: Cœ-

Cœlum Lunæ, Mercurii, Veneris, Solis, Martis, Jovis, Saturni, Firmamentum, Cœlum cryſtallinum, Primum mobile, Cœlum empyreum. Hi cœli præter ultimum ex variis motibus ſunt à variis deprehenſi, & hi ſunt totales cœli, partiales verò ſunt multò plures & ſunt orbes peculiares ejusdem cœli ab invicem ſeparati, inter ſe tamen contigui & connexi, ita ut cùm unicum cœlum conſtituant, quilibet tamen ſuum proprium motum habeat. Ejusmodi orbium partialium duo ſunt genera, videlicet Eccentrici & Epicycli. Eccentrici ſunt qui diverſum habent centrum à centro mundi: atque hi rurſum in duplici ſunt differentia. Quidam enim ſunt eccentrici ſimpliciter, qui ſcilicet ſecundùm utramq; ſuperficiem concavam & convexam diverſum à mundo habent centrum, atque hi ſunt ejusdem ubique crasſitiei, & ſunt immerſi intra crasſitiem totius cœli, & appellantur Deferentes, quia deferunt Planetas, vel etiam Epicyclos Planetarum. Quidam verò ſunt Eccentrici ſecundùm quid, qui ſecundùm unam tantùm ſuperficiem, concavam ſcilicet, aut convexam, diverſum habent à mundo centrum, ſecundùm alte-

ram idem quod ille, quâ de causâ secundùm eam concentrici appellantur. Hi duo orbes difformis sunt crassitiei & semper unus supra Deferentes, alius verò infra collocatur, ita ut superior tenuissimus sit, eâ parte quâ Deferens maximè à centro mundi recedit, crassissimus verò in parte opposita, ubi idem Deferens proximus est terræ. Contra verò, in inferiori pars crassissima tenuissimæ superioris subsit, crassissimæ verò tenuissima. Ita enim tam convexa superficies superioris orbis, quàm concava inferioris, idem centrum habebit quod totum cœlum Planetæ, nempe centrum mundi. Concava autem superficies superioris, & convexa inferioris idem habebit centrum quod Deferens, atque adeò totum cœlum tam secundùm concavum quàm secundùm convexum æqualiter à centro mundi distabit, quod non contingeret si circa Excentricum simpliciter, seu Deferentem, non ponerentur duo posteriores inæqualem habentes crassitiem. Epicyclus est sphærula solida intra crassitiem Eccentrici seu Deferentis immersa, ita ut circa suum proprium centrum unà cum Planeta qui illi affixus est, circumvolvi possit. Quâ de cau-

ſâ appellatus eſt à Ptolomæo orbis revolvens ſtellam ſeu Planetam. Habent autem omnes Planetæ Epicyclum cum quoad motum Deferentis, circa terram circumvehuntur uno Sole excepto, qui non habet epicyclum, ſed in ipſo Deferente fixus ad ejus motum circumducitur. Concentrici punctum à terra remotisſimum dicitur Aux: terræ autem propinquisſimum dicitur Augis oppoſitum, & quæ recta ducitur per hæc puncta eaque nectit, vocatur linea Augis. Ponuntur autem ejusmodi orbes partiales ut ſalvari poſſint phœnomena hoc eſt, reddi ratio omnium eorum quæ apparent in cœlis circa conjunctionem & oppoſitionem, ac quamcunq; poſitionem ſeu varietatem ſtellarum, quæ potiſſimùm colliguntur ex eo, quia Sol & Luna & reliqua aſtra errantia nunc majora, nunc minora appareant etiam cùm cœlũ eſt ſerenũ, quod fieri non poteſt niſi quod aliquando magis, aliquando minùs à nobis diſtent, cùm enim ſunt ſtellæ nobis viciniores apparent majores, cùm magis diſtant minores apparent, hæc verò major aut minor earum diſtantia nonniſi ex ſolis eccentricis & epicyclis oriri poteſt, ut rectè Aſtronomi demonſtrant.

ſtrant. Quare cùm Sol eſt in Auge (quò pervenit cùm Cancrum percurrit) remotiſſimus à nobis eſt & minimus apparet, cùm in lateribus, eſt in principiis Arietis & Libræ, medio ſe modo habet ratione propinquitatis & magnitudinis. In Capricorno eſt Sol terræ viciniſſimus, & apparet maximus.

Motus & magnitudo cœlorum.

Cœlum empyreum manet immobile.
Primum mobile intra 24. horas revolvitur.
Cryſtallinum intra annos 49000.
Firmamentum intra annos 7000.
Cœlum Saturni intra annos ferè 30.
Jovis ferè intra annos 12.
Martis intra annos ferè 2.
Solis diebus 365. horis 5. min. 49. ſec. 16.
Veneris uno anno. Mercurii uno. Lunæ 27. diebus horis 8.

Milliaribus Germanis à terra diſtat Cœlum cryſtallinum. 16327966. 40.
Firmamentum 15091338. 2. Saturni 11318719. 22.
Jovis 7074306. 0. Martis 1010615. 0.
Solis 9272308. 38. Veneris 142652. 0.
Mercurii 55141. 37. Lunæ 28359. 0.

Craſſitiem cœli habent milliar. germ.

Fir-

Firmament.	1236628.	38.	Saturni	4772519	40.
Jovis	4244412.	22.	Martis	6063691.	0.
Solis	833764.	22.	Veneris	784586.	38.
Mercurii	87510.	23	Lunæ	16782.	37.

Circumferentiam habent cœli mill. germ.

Firmam.	10263291з.	0.	Saturni	94859839.	0.
Jovis	7146228.	0.	Martis	44467066.	0.
Solis	6354437.	1.	Veneris	5828359.	50.
Mercurii	899813.	0.	Lunæ	346605.	27.

Decimum cœlum, quod primum mobile appellant, uniformi & regulari motu eoq; citatiſſimo ſuper mundi polos; & ſuper circulum æquinoctialem movetur ab oriente in occidentem, totamque ſuam circuitionem complet ſpatio 24. horarum æquinoctialium, hoc eſt ſpatio unius diei naturalis: unde & motus illius appellatus eſt diurnus. Hujus motûs impetu omnes inferiores orbes, imò & tota ſphæra ignis, & magna pars aëris, & ſecundùm quorundam ſententiam, bona pars Oceani ab ortu ad occaſum rapietur, ex quo fit ut iſto motu diurno Sol & reliqua aſtra omnia cœlique puncta ſingula, quotidie paralellos circulos ad axem mundi rectos deſcribant circa polos mundi, eò quidem majores quò magis à polis recedunt, minores verò quò magis ad po-

los accedunt. Unde æquinoctialis circulus est omnium parallelorum maximus, eò quòd describatur è puncto maximè remoto ab utroque polo, nempe per 90. gradus. Porrò inferiores orbes omnes, eâdem prorsus, quâ primum mobile velocitate circumducerentur, nisi peculiaribus suis motibus aliquantulùm retrocederent. Nullam enim resistentiam reperit primum mobile in cœlis inferioribus.

Nonus orbis, quem cœlum crystallinum appellant, sub primo mobili, spatio 24. horarum ab occasu in ortum progreditur quatuor tertiis, & 20. quartis juxta tabulas Alphonsinas, ita ut singulis annis conficiat 26. secunda, 25. tertia, & 50. quarta. Ducentis verò annis unum gradum, 28. minuta, 9. sec 47. tertia & 45. quarta. Ex quo conficitur ut totum cursum per Zodiacum absolvat quasi 49000. annorum spatio. Nam si præcisè loqui velimus in tanto annorum spatio paulò plùs conficit nonus orbis secundùm dictas tabulas quàm integrum circulum, conficit enim gradus 360. tertia 5, & quarta 31. Atque hoc spatium temporis 49000. annorum appellari solet à plerisque

annus

annus Platonicus. Quo intervallo sidera omnia ad locum eundem reditura autumnant. Imò quidam etiam volunt licet temerè & fallò, omnia quæcunque in mundo sunt, eodem ordine reditura quo nunc cernuntur. Ptolomæus voluit hunc motum confici spatio 36000. annorum, ita ut totus orbis singulis centenis annis percurrat unum gradum. Albategni9 autem vult istum motum absolvi spatio 23760. annorum, ita ut unum gradum in 66 annis peragret.

Octavus orbis, quem firmamentum appellant, præter duos prædictos motus ab alienis orbibus sibi impressos, peculiarem adhuc & proprium motū habet, quem vocant motum accessûs & recessûs seu motum trepidationis, qui motus fit super principio Arietis & Libræ nonæ sphæræ, tanquam super suis polis. Principia enim Arietis & Libræ octavæ sphæræ, circa initia Arietis & Libræ nonæ sphæræ describunt circulos quosdam parvos, quorum semidiametri continent gradus novem. Tantùm enim distant initia Arietis & Libræ octavæ sphæræ à principiis Arietis & Libræ nonæ sphæræ juxta doctrinam Alphonsinam. Hinc sequitur, nullum aliud punctum octavi cœli,

præ-

præter initia Arietis & Libræ perfectum circulum conficere, sed quodammodò titubare, hoc est, nunc accedere ad polum Arcticum & ab Antarctico recedere, nunc verò è contrario, ad hunc accedere ab illo recedere. Absolvitur periodus hujus motûs spatio 7000. annorum, ita ut 20. annis ferè unus gradus absolvatur, atq; hoc etiam motu omnes Planetarum orbes moventur.

Saturnus præter dictos tres motus extrinsecos, habet etiam alium proprium, sicut & reliqui Planetæ, quem conficit ab occidente in ortum annis 30. ferè. Singulis enim diebus peragrat in Zodiaco minuta quasi duo, & tertia 35.

Juppiter suum cursum conficit 12. ferè annis, quolibet enim die pertransit minuta 4, sec. 59. & 15. tertia.

Mars absolvit suum motum ab occasu in ortum annis ferè duobus, percurrit enim in Zodiaco quâvis die min. 31. sec. 26. tertia 38.

Sol conficit suum proprium motum ab occidente in orientem diebus 365. horis 5, min. 49. sec. 16. Quod spatium annus Solaris appellari solet. Ex quo patet annum non præcisè continere dies 365. & horas 6. desunt enim minuta ferè 11. unius horæ.

Nam

Nam Sol ſingulis diebus conficit min. 59, ſec. 5. tertia 19. quarta 37. juxta doctrinam Alphonſinam : Ptolomæus enim majorem reperit anni quantitatem, & Albategnius minorem. Copernicus autem annum æqualem reperit ferè æqualem Ptolemaico his temporibus, ita ut nunc receptum ſit ab omnibus Aſtronomis, magnitudinem anni eſſe inæqualem.

Venus totum curſum quaſi eodem complet tempore cum ſole, progreditur enim in diem min. 59. ſec. 8. & tertia ferè 19.

Mercurius ferè tantundem omni die conficit, quamobrem totum ſuum curſum abſolvit eodem quaſi tempore cum Sole.

Luna deniq; totum Zodiacum percurrit 27. diebus, & horis ferè 8, tum quaſi biduum conſumit ut aſſequatur ſolem, cùm enim Sol interim percurrat ferè 27. gradus, quos Luna in biduo quaſi abſolvit, neceſſe eſt ut ab una conjunctione Lunæ cum ſole intercedant dies 29. & horæ ferè 12, & tale ſpatium menſis Lunaris appellari conſvevit de quo plura in noſtro Calendario.

Notandũ tamen hoc loco, prædictas periodos motuum cœleſtium, intelligi debere non de orbibus ſeu cœlis totalibus, ſed de pro-

propriis orbibus Planetas deferentibus, qui quidem sunt eccentrici in medio cœlorum collocati. In his enim Planetæ, vel eorum epicycli infixi, moventur ab occidente in orientem prædictis temporibus. Totales autem cœli planetarum, moventur ab occidente in orientem eâdem prorsus tarditate, quâ nonum cœlum movetur. Deinde moventur etiam motu trepidationis ad motum octavæ sphæræ, & quotidie ab oriente in occidentem motu diurno primi mobilis. Nullus tamen inferior Planeta movetur ad motum proprium Planetæ superioris, eò quod non circa idem centrum propriis lationibus ferantur, sicut circa centrum superiorum orbium.

Notandum præterea, hos novem orbes, infra primum mobile, iisdem omninò temporibus cursus suos absoluturos, quo nunc eos absolvunt, & non citiùs; etiamsi primum mobile quiesceret, vel eos secum non raperet ab oriente in occidentem, sicut patet in nauclero, qui motu proprio movetur contra motum navis: Item in formica quæ contra impetum rotæ fertur. Verùm tunc simpliciter ab occidente in orientem deferrentur, quemadmodum nauclerus manente

manente navi immotâ, eodem tempore ad puppim perveniret, & ſimpliciter ad Orientem, non autem ſolùm ad partes navis Orientales.

CAPUT II.

Magnitudo & diſtantia Cœlorum.

Diſtantiam & magnitudinem cœlorum tribus tabulis proponere ſolent & explicare, in margine autem earum ponitur diſtantia à terra ſecundùm communia milliaria germ. Prima tabula continet omnium cœlorum ſemidiametros, ſecunda crasſitudines, tertia eorundem ambitus in maximis circulis, tam ſecundùm concavum quàm ſecundùm convexum eorum, & cùm diverſi diverſas asſignent menſuras, nos Clavii & Maurolyci ſententiam proſequimur. Et jam præmiſimus ſupra diſtantiam cœlorum à terra in mill. germ. itidem, quæ fuit ſecundùm Eraſmum Schrechen-Fuchſium, quibus diſtantiis cœlorum addantur 859. mill. germ. habebitur eorundem à centro terræ diſtantia.

Terræ diameter continet mill. german. 1718. cum duabus undecimis, quibus juxta R. R. reſpondent ſtadia 48567. & tres undecimæ, Ambitus verò continet 5400. ſeu ſta-

dia 7413208509. cum una undecima unde sequentia deducimus.

CAPUT III.

Semidiametri cœlorum tam secundùm concavum, quàm secundùm convexum.

Lunæ semid. concava, hoc est distantia, ejus à centro terræ, continet semidiametros terræ 33 & duas decimas unius semidiametri terræ. Vel mill. 120630. & 15. vigesimas secundas. Continet autem semid. ter. 8. mill. Ital. 3436. Germanica verò 859.

Semidiameter convexi Lunæ, & concavi Mercurii, continet semid. terræ 64. & unam sextam, vel mill. 229687 cum dimidio.

Veneris semid. convexi Mercurii, vel concavi Veneris, continet semidiametros terræ 167. & septem vigesimas, vel mill. 600187. cum 14. trigesimis tertiis.

Semid. convexi Veneris, vel concavi Solis, continet semid. terræ 1121. cum 7. vigesimis, vel mill. 4013923 cum 7. vigesimis secundis.

Semid. convexi Solis vel concavi Martis, continet semid. terræ 1216. cum una duodecima, vel mill. 4353025, cum 25. quadragesimis quartis.

Semid. convexi Martis, vel concavi Jovis,

vis, continet ſemid. terræ 8853. cum tribus quartis, vel mill. 31692400. cum 25. quadrageſimis quartis.

Semid. convexi Jovis, vel concavi Saturni, continet ſemid. terræ 18378. cum una tertia, vel mill. 51467897. cum 8. undecimis.

Semid. convexi Saturni, vel concavi firmamenti, continet ſemid. terræ ſecundùm Alphraganum 22612. cum dimidia, vel mill. 80942471. cum 13. vigeſimis ſecundis.

Semid. convexi firmamenti, ſecundùm Alphraganum continet ſemid. terræ 45225. vel mill. 161884943. duabus octavis additis.

Quodſi quis à numero prædictorum milliarium auferret numerum ſemidiametro terræ reſpondentem, relinqueretur diſtantia cœlorum à terra, ſemidiametro terræ reſpondent mill. Ital. 3436. cum 4. quintis, quæ ſi auferantur à numero Lunæ reſtabunt 117194. quibus Luna diſtat à nobis, atq; idem etiam in aliis faciendum.

Secundum Joannem Mariam Bonardum, qui libellum integrum de menſuris cœlorum ſcripſit, Diſtantia Lunæ à nobis 160352. Mercurii 316528. Veneris 831826. Solis 6058289. Martis 6108409. Jovis 44472625. Saturni 27178444. Firmamenti 100768199.

Cœlum cryſtallinũ diſtat à nobis 281537409. mill. Cum eodem etiam ſentit Alex. Piccolominus. Secundùm Franciſcum Barocium ſic diſtant concava cœlorum à centro terræ: Lunæ mill. 119198. cum 19. vigeſimis ſecundis. Mercurii 229687. cum dimid. Veneris 597784. cum una undecima. Solis 4009090. cum 10. undecimis. Martis 4367045. cum 5. undecimis. Jovis 31772045. cum 5. undecimis. Saturni 5156335 2. & tres 11. Firmam. 72378409. & una 11. Deniq; concavum noni cœli diſtat à terræ centro 72412414 & 17. vigeſimis ſecundis. Atq; ſic in longitudine ſemidiametri terræ ſecutus eſt Ptolomæum qui vult eam continere 28636. & 4. undecimas ſtadia ſeu mill. Ital. 35. 79. cum ſex 11. Rabbi Moyſes putat diſtantiam à centro terræ usq; ad concavum cœli Saturni eſſe viam 7700, annorum, hoc eſt, quantum aliquis tanto ſpatio temporis iter conficere poſſet. Baroc. putat lapidem vix 500. annis de cœlo empyreo ad terram pervenire poſſe. Clavius putat Curſorem qui à condito orbe exiſſet, ad ſuum tempus tantum ſpatium non potuiſſe decurrere quantum eſt à terra ad cœlum empyreum.

CAPUT

CAPUT IV.

Crassitudines cœlorum.

Hæ crassitudines habentur, si usque ad concava semidiametri singulorum cœlorum extensi, ex semidiametris usque ad eorum convexa porrectis, subtrahantur. Itaq; crassitudo.

Cœli Lunæ continet semidiametros terræ 31. & septem 15. seu mill. 109056. cum sex 11. Mercurii semid, 103. cum dimid. seu mill. 370479. cum 61. sexagesimis sextis. Veneris semid. 953. cum 41. sexagesimis. Seu mill. 3413755. cum 59. sexagesimis sextis. Solis semid. 94. cum undecim 15. seu mill. 339102. & una quarta. Martis semid. 7637. & duæ tertiæ. Seu mill. 27339375. Jovis semid. 5524. & septem. 12. seu mill. 19775497. cum septem 44.

Crassitudo cœli Saturni semid. 8234. una sexta. Seu mill. 29474573. & 19. vigesimæ secundæ. Firmamenti ex Alphragani sententia semid. terræ 22612. & dimid. vel mill. 80942471. & 13. vigesimæ secundæ.

Ambitus cœlorum.

Tum secundùm concavum tam secundùm convexum ad milliaria reductum.

Ambitus concavi Lunæ continet milliaria 758250.

Con-

Convexi Lunæ vel concavi Mercurii, milliaria 1443750.

Convexi Mercurii, vel concavi Veneris 3772500.

Convexi Veneris vel concavi Solis 25230375.

Convexi Solis vel concavi Martis 27361875.

Convexi Martis vel concavi Jovis 199203975.

Convexi Jovis vel concavi Saturni 323512500.

Convexi Saturni vel concavi firmam[enti] 508781250.

Convexi firmamenti vel concavi Cryſtallini 4017562500.

CAPUT V.

Quantitas Elementorum.

Terræ.

Semidiameter continet milliaria Geometrica ſeu Italica $3579\frac{6}{11}$.

Diameter $7159\frac{1}{11}$.

Ambitus ſeu circumferentia circuli maximi 22500.

Diſtantia à centro terræ ad aërem 3631. Germ. 860.

Soliditas globi ex terra & aqua 1921093 $6734\frac{6}{4}$ milliaria cubica.

Diame-

Aëris.

Diameter globi ex terra aqua & aëre 7262.
Altitudo aeris quo vapores aſcendunt 52.
Ambitus totius aeris $22823\frac{3}{7}$.
Soliditas ſolius aëris milliar. cubicis 849 $5834503\frac{13}{21}$.
Soliditas globi ex terra, aqua, & aëre $200605171238\frac{10}{21}$.

Ignis.

Profunditas ſeu altitudo ignis ſolius 116999.
Soliditas totius ſphæræ ignis mill. cubic. $7207071996207\frac{1}{24}$.
Altitudo ignis quoad convexum à ſuperficie terræ 117051.

Totius ſphæræ Elementaris ad concavum Lunæ.

Semidiameter $120630\frac{6}{7}$.
Ambitus $758250\frac{10}{49}$.
Soliditas 7355921325133313. Milliar. cubicis.

Globi ex terra & aqua compoſiti.

Circumferentia maximi circuli terræ continet mill. Polonica ſeu Germ. 5400.
Diameter 1720. Semidiameter 860.
Superficies totius terræ continet milliaria quadrata 9297828.
Craſſities ſeu ſoliditas terræ continet mill. cubica 2665377523.

Aëris

Aêris ſoliditas 9463611.

Ignis
- Circulus maximus convexæ ſuperficiei continet mill. 1467586.
- Tota ſuperficies convexa mill. 63530 11568.
- Soliditas ignis continet milliaria cubica 533342289 72777.

Ignis major aëre 567001. Soliditas totius globi ex elementis conflati. 533347046 88[illegible]72. ſubtrahe ſoliditatem globi compoſiti ex terra & aëre manebit ſoliditas ignis. Item ſubtrahe ſoliditatêm terræ ex ſoliditate terræ & aeris, conſurget ſoliditas aeris.

Ex dictis patet nos à centro inferni ſeu à medio inferni abeſſe milliaribus 860. à convexa verò ſuperficie ignei, ſeu à concavo Lunæ diſtare milliaribus Germanicis 22488. Viciniores ergo ſumus inferno quoad ſitum quàm cœlo.

Nota triplicia eſſe milliaria ſimplicia ſeu communia quæ ſunt longa tantum. Quadrata quæ ſunt longa & lata cubica quæ ſunt longa, lata & profunda. Milliare porrò Geometricum cum Italico idem eſt, conſtans 8. ſtadiis ſeu mille pasſibus.

Quadrata milliaria ſcies, ſi aream maximi circuli per 4. multiplicaveris, vel totum diametrum in tota circumferentia. Cubi-

Cubica milliaria habebis, si semidiametrum duxeris in tertiam partem superficiei maximæ ejusdem globi.

CAPUT VI.

Celeritas motûs cœlestis.

Ex prædictis tabulis colligitur punctum quodlibet Firmamenti in æquatore positum conficere singulis horis milliaria 4239843 7. cum dimidio, quandoquidem in 24. horis absolvit mill. 1017562500. Est verò illud spatium quod in una hora quodlibet punctum æquatoris in convexo firmamenti conficit tantum, quantum in annis 2904. peragraret quis etiamsi quotidie sine ulla intermissione 40. mill. conficeret. Ac proinde multò velocior est motus ille puncti Firmamenti, quàm motus sagittæ, aut avis velocissimæ, quandoquidem tanto temporis spatio quo semel aliquis Salutationem Angelicam recitaret, conficit mill. 176660. atq; adeò circumiret totam terram ab ortu ad occasum sub æquatore sæpiùs quàm septies, cùm ambitus terræ mill. 22500, in hoc numero 176660. continetur sæpius quàm septies, residua enim sunt 2737. In quadrante unius horæ vix dici possunt 60. Salutationes Angelicæ, atq; adeò in una hora. 240. ex quo efficitur,

tur, tempus quo salutatio Angelica recitatur esse unam 240. unius horæ. Constat autem puncta æquatoris in firmamenti convexo conficere mill. 17666o. in una 240. parte unius horæ, cùm in una hora conficiant mill. 42398437. cùm dimidio. Quare necesse est ut tempore quo salutatio Angelica recitatur sæpiùs quàm septies terram circumiret. In integra autem hora circumiret totam terram 1884. Ex dictis etiam colligitur stellam polarem quæ nostro tempore à polo Arctico abest fermè gradibus sesquitribus, describere circulum, cujus diameter multò major est quàm diameter totius cœli solis, atq; adeò, ut tota sphæra solis intra illum circulum collocata, eum non tangeret, & tamen stella polaris vix locum mutare videtur.

Juxta Schrechenfuchsium mill. germ. singulis gradibus singulorum orbium respondent: Lunæ 960. Mercurii 1499. 29. Veneris 16189. 53. Solis 17645. 39. Martis 103519. 37. Jovis 197628. 25. Saturni 263499. 33. Firmamenti 285091. 25.

Circumferentias cœlorum ex diametris investigant. Nam 1. Multiplicata circumferentia per 7, & summa prodiens divisa per

22. dat

22. dat diametrum. 2. Circumferentia diviſa per $3\frac{1}{7}$ dabitur diameter. Vel, auferatur vigeſima ſecunda pars circumferentiæ, hæc habebitur ſi tota circumferentia per 22. dividatur, quotiens per tria dividatur prodibit diameter. 3. Ex diametro circuitus ſphæræ hoc modo elicitur. Multiplicatur diameter per 22. productum per 7. dividitur, quotiens dat circumferentiam. Vel multiplicatur diameter per $3\frac{1}{7}$ productus dabit circumferentiam.

Reperitur etiam diameter ſi totus circulus dividatur in partes 22, ſeptem ex iis in rectam extenſæ dant diametrum. Et è contrà, dividatur diameter in 7. partes æquales, talium 22. erit circumferentia. Nam licet circumferentia non habeat ad ſuam diametrum præcisè hanc proportionem quam 22. ad 7. ſed paulò majorem, ut enim Archimedes libello de dimenſione demonſtravit. Circumferentia ad ſuam diametrum proportionem minorem habet triplâ ſesqui ſeptimâ, ſeu, quod idem eſt, triplâ ſuperdecupartiente ſeptuageſimas: Majorem verò ſuperdupartiente ſeptuageſimas primas. Itaq; ſi ſumatur diameter ter cum ſeptima

parte hoc est cum 10. septuagesimis, efficietur linea paulò major quàm circumferentia: Si accipiatur ter cum decem 71. efficietur paulò minor. Veram autem proportionem inter prædictos numeros ignoramus. Accipitur tamen prior seu minor numerus, seu ter cum decem 70. & quod minùs à vero absit, & faciliùs fit ejus operatio. Unde si diameter fuerit septem partium, circumferentia in rei veritate major est paulò quàm 22. ad 7. atq; adeò ex supradictis regulis paulò major circumferentia reperitur quàm sit reverâ. Et contrà per easdem regulas ex nota circumferentia paulò minorem reperiri diametrum quàm reipsâ sit, licet notabilis error inde non emergat.

PARERGON.

Quantū Beatus quivis locū habere in cælo possit?

Hoc vice parergi adnectimus, & in hunc modum formamus. Indicatū est S. Birgittæ ut habet lib. 3. Revel. quòd à tempore S. Petri, usq; ad tempora Cælestini Papæ, in sola urbe Romana fuerint tot Martyres & Confessores, quot essent grana tritici, si illis ager consereretur latus & longus pedes 100, & quodlibet granum produceret centū grana,

factâ

factâ ſupputatione , prodirent grana 4096000000. hoc in una urbe, quid in Ægypto, Palæſtina, Græcia &c. ubi etiam plurimi fuerunt Sancti ? Jam verò certum, eſt ſi uni homini tantùm unus paſſus terræ daretur quadratus, & deeſſent aquæ, & alia impedimenta, non poſſe conſiſtere ſimul & ſemel plures homines quàm 14849719571850 42253. & conſideratis impedimentis non plures poſſe eſſe ſimul quàm 1484971950 42. etiamſi dicto modo collocarentur. Sed ſi commodè habitare debeant, licet mundus centum millibus annorum conſiſteret, & ſinguli homines tantùm 15. annis viverent, & novi poſt 15. annos ſubnaſcerentur, qui etiam ſolum 15. annis viverent, non plures inveniendos poſt centum millia annorum quàm 9899813000280000.

Ulteriùs. Doctrina eſt S. Simeonis Nili Abbatis, qui ſe pro citat S. Baſil. Chryſoſt. Ephrem. Theodoretum & plures alios SS. PP. ut eſt apud Baronium tomo 10. anno Christi 976. quòd ex decem millibus vix una ſalvetur anima, itaq; ſi proximè poſitus numerus hominum per 10. millia dividatur, numerum ſalvandorum per centum millia annorum ſuppoſitæ mundi durationis, erit

erit 9839513002. ſed demus quòd duo ſalventur è decem millibus, tum ſalvandi erunt 1979626004. Sed ex hypotheſibus Philippi Lansbergii nominati Aſtronomi, ſuperficies, quæ eſt quaſi pavimentum firmamenti eſt milliarium germ. quadratorum 163390694647014076056338. Ergo ſi cuique Beato locus in cœlo ſit dandus æqualis, obtinget locus unicuique major quàm ſit terra vicibus 88814.

Subſumo hic, & ſuppono quandam revelationem cujusdam Sancti factam illi, quòd è ſua Religione per tria prima ſecula nemo eſſet damnandus; per hæc verò ſæcula in illa Religione non plures morituros quàm 719279. quod ex eo deduco proportionatè, quia primo illius ſæculo mortui 16794. qui numerus triplicatus ut tribus ſæculis reſpondeat, dat 50382. Sed ſanè fuerit Religio illa duobus poſterioribus ſæculis diffuſior quàm priore, & certè fuit, nam intra poſteriores 32. annos ſuſcepti Novitii 14457. addo ad ſupradictum numerũ mortuorum 68897. ut conſurgat numerus mortuorum & moriturorum 119279 Si in hos per æquales portiones divideretur cœlum, ſingulis partem obventuram majorem quàm

ſit terra vicibus 1060557300б. & ſingulis qui primo ſæculo ſunt mortui pari proportione dividendo cœlum, terrâ majorem locum vicibus 149322171б.

SUBSECTIO II.

De Cœlo & Aſtris.

CAPUT I.

De cœlorum natura.

Cœli non ſunt corpus ſimplex, uti evincunt generationes in cœlo & corruptiones cometarum, & ſtellarum novarum. Item macularum & facularum emerſio in ſole. Et licet, ut dicitur 2. de Cœlo c. 2. Omni motui naturali phyſicè ſimplici debeatur corpus aliquod ſimplex tanquam principium ejus motûs naturale. Hinc motui deorſum reſpondet terra, aqua: motui ſurſum aër, ignis. Nihilominus hoc locum in cœlo non habet, cujus motus non ab intrinſeco ſed ab Intelligentiis. Neq; tamen ex Elementis noſtratibus mixtum, quia ratione prædominantis elementi deberet aut gravitare aut levitare, aut ſi utriusque elementi temperies eſſet æquilibris, deberet aliquo mixto motu moveri, aut certè quieſcere connaturaliter, atq; illi motus eſſe violentus, qui nunc eſt præter naturam, utporè

illi

illi quod ex natura est indifferens ad motum & quietem. Quare Philosophus vocavit illud quintam essentiam. Excipio hic cœlum empyreum quod simplex esse non abnuerim, cùm multi doceant, possibile corpus simplex completum, & sic magis universum exornatur cùm non solùm spiritus habeat completos & incompletos verùm & corpora. Octo cœlorum numerus traditus à Chaldæis diu retinebatur. Timocharis nonum addiderat. Alphonsus decimũ. Alii undecimum prout quiq; novum aliquem motum observârunt, suppositâ cœli soliditate, duritie. Verùm cœlos liquidos dicemus, ac proinde non erit opus totiùs cœli machinam in unius stellulæ gratiam asserere, ac propter unum piscem novum mare. Solus Auerroës cœlum spirituale censuit lib.4.de cœlo tt. 7. Sed contra antiquos, nam Elementarem materiam cœlis dedit Plato in Timæo. Dedit & Empedocles apud Plut. de placit. lib. 4. c. 11. Parmenides verò, Heraclitus, Strato, Zeno, & Arist. 2. Cœli cap. 9. tt. 56. hanc omnibus antiquis tribuit sententiam. Mixtum quid ex Elem. Cic. 2. de Nat. Deor. item Seneca 7. Nat. à quibus minimè diversi, asserimus.

Eandem

Eandem esse materiam cœli quæ est infra-lunarium. Animata astra ferè omnes è veteribus Philosophi & Astrologi tam Ægyptii quam Chaldæi opinati, Algazel, Alpharabius, Ptolomæus, Plato, Seneca. Imò huc vergere videtur & Aristoteles 2. de Cœlo cap. 3. tt. 13. & S. Th. contra Gent. c. 70. vult hanc sententiam esse Arist. & moveri ab intrinseco solùmq; ab intelligentiis motum illum regulari. Idem sensit Tycho ad Rothmannum epist. anni 1590. April. 18. Imò Theophrastus dixit non esse Philosophum qui negat cœlos animatos. Et Petrus Martinez defendi putat posse: Amplius progressi Alex. Aphrod. & Simplic. qui animam rationalem illis donant. Item Zeno apud Stobæum. Sed S. Th. 1. p. q. 70. a. 3. aliter doceat & solùm assignet assistentem animam, & id communis Philosophorum modò approbat sensus.

Certè Damasc. lib. 2. de fide cap. 6. *Nemo cœlos aut luminaria arbitretur animata, in anima enim sunt, & sensûs expertia.* Similia Basil. hexam. hom. 3. Nazianz. Orat. 8. & damnârunt oppositam Irenæus & Epiphanius in Marosii. Gentilium error potissimùm ex eo fluxit, quia cœlum & astra Deos

credebant. Uti credit Solem Plin. l. 2. c. 6. Julius Firmicus Mathem. l. 1. c. 3. secuti Manichæi atque Origenes. Et quia illis cœlum erat animal rationale immortale, hominis definitioni opponebant animal rationale mortale. Nullâ animâ cœlo opus. Ita 1. p. q. 70. a. 3. Habent cœli motrices intelligentias assistentes. Imò cœli neque potuerunt moveri naturali motu ut lapis deorsum, ut aer & ignis sursum, quia omnis motus naturalis est respectu determinatæ formæ, vel determinati termini, sed in motu circulari, nihil ejusmodi reperitur. Imò omnis motus localis procedit ex appetitu & indigentia termini, formæ etiam cœli si esset nturale illi moveri, stantibus in totam æternitatem cœlis in statu violento, quando omnia gauderent sola mœreret Et hoc voluit Aug. cùm 3. de Trinit. c. 4. dixit. *Omnia corpora à Deo administrari per spiritum vitæ*: scilicet per Angelos. Etenim cùm voluisset Deus cœlum esse primum movens, tale autem à seipso moveri debet, non dedit quidem animam viventem internam, sed assistentem, quæ cum illo componat unum quid, cujus altera sit pars movens, altera mota, ut docet Philos. 8. Phys. tt. 40. qui

motus

motus eſt cœlo naturalis propter principium paſſivum. Et ſic tandem poſtquam alibi variè Ariſtot. diſſenſiſſet 7. Phyſ. & 12. Metaph. ſtatuit, Intelligentias motrices à materia abſtractas. Quot omninò ſint ſtellæ numero, & quanta præcisè cœlorum profunditas incertum, quòd viſus ad hanc, inſtrumenta omnia ad illam deficiant ob immane intervallum. Tubus tamen opticus quocunque in firmamentum dirigatur, vix eſt, quin in ſtellulas admodum micantes incurrat, qui aliàs aciem omnẽ oculorũ naturalẽ effugerent. Idem tubus plures nobis detexit planetas. Nam præter principales ſeptem, omnibus hactenus cognitos, alii iſtorum velut aſſeclæ ſunt reperti: cum Jove quatuor, cum Saturno duo. Septem planetarum apogæorum ordo hic eſt. Luna, Sol, Mercurius, Venus, Mars, Jupiter, Saturnus, Centrum motûs Lunaris eſt terra, Solaris extra terram, Mercurialis & Venerei Sol, circa quam planetæ ſuperiores tres circumferuntur, deſcribentes nihilominùs motus proprios in epicyclis. Magnitudines ſiderum tam veræ quàm apparentes, necdum planæ ſunt perſpectæ aliis aliter cernentibus & decernentibus. Cauſa varie-

tatis hujus est major minorvè. Observatorum in stellis æstimandis accuratio, & visûs inæqualitas. Nam qui meliore visu pollent, iis sidera minora plerumque, qui deteriore, iis majora comparent: ex quo ab apparente ad veram quilibet magnitudinem judicandam ttansit, & sic visuum diversitatem, sequitur sententiarum diversitas. Ad hanc discrepantiam nonnihil conferunt astrorum colores. Nam quæ sunt albiora, majora se conspectui offerunt quàm illa quæ ad rufum accedunt: ex quo fit, ut oculus copiâ luminis oppressus, inde magnitudinem astri erroneè mensuret. Assumimus tubum hujus mysterii arbitrum, hic stellas rubicundiores etsi æqualem præseferant magnitudinem candidis, auget: candidas verò etsi aliquando duplò majores videantur, contrahit, atque sic errorem visûs tanquam incorruptus arbiter detegit. Ita eveniet, assume carbonem aut ferrum ignitum duplò majus, & prope candelam ardentem multò minorem colloca, ac utrumque è longinquo speculare, videre te videbis candelæ flammam multò majorem carbone, & ratio est. Quia candida feriunt oculum fortiùs & cæteris quodammodo ex-

tincti

tinctis sese ingerunt sensui. Diversitas verò colorum tam in fixis quàm errantibus syderibus non à Sole, sed ex illorum interna aut externa affectione provenire videtur. Nam ipsa licet in se expertia lucis, & lux Solis ipsa sibi non sit dissimilis, nihilominus tamen ubi recepta est à corpore astrorum variatur, & ad nos sub aliis aliisq; redit coloribus, è quo dimanare verisimile est. Ipsam tam variam in hæc inferiora, vim quemadmodum experimur calorem aliter à ferrea, aliter à testacea fornace profectum afficere nostra corpora: ita videmus aliter tingi radios Solares dum crystallum, ac dum coloratum transeunt vitrum: quâ etiam de causâ videmus solem, & ejus radios per solos vapores aut pallere, aut subinde rubescere.

CAPUT II.

De Cœlorum concentu & soliditate & aliis accidentibus.

Cœli non excitant suâ collisione concentum musicum, uti volebat *Pythagoras* apud Arist. 2. Cœli tt. 52. & eum se audire affirmabat, cæteros verò, vel auditu esse hebetiore, vel illis continuo sonitu aures, sicut fabris occalluisse, ut deinde vix strepitum perci-

 piant.

piant. Assensus illi Cicero in Somnio Scipionis. Et Philo Judæus lib. de Somniis; imò Plato, qui ideò dicebat singulis cœlis assidere Sirenes, pro qua sententia verba S. Job. trahi possunt. *Concentum cœli quis dormitare faciet?* sed maluimus illa intelligere de concentu morali, qui in symmetria consistit. Et certè quod in minori mundo, scilicet homine, est cor, hoc sol in universo: Cerebri locum occupat Luna, renum Venus, fellis Mars, hepatis Juppiter, splenis Saturnus. Ita omnia cõncinnè artifex disposuit Deus. De Cœlis vero discursus hoc modo ex Kircheri itinere extatico potest institui, quo multa, quæ de illis asseri possunt, fundabuntur. Demus quod à congestis Patrum à Scheynero testimoniis in Rosa Ursina, & à ratione certum esse videtur, cœlos esse liquidos: Itaq; globi astrorum ab iis sustentari nequeunt, neq; tam tenui liquido innatare nisi habeant sua centra instar telluris ad quæ gravitent; quod si centra habeant, consequens est quòd ad illa partes accedant graviores, & leviores expellantur, faciantq; circa astrum atmosphæram. Quodsi atmosphæra admittitur, quædam partes admittuntur liquidiores, quodsi liquidio-
res

res, debent esse & aliæ solidiores quæ contineant liquidas. Hoc verò stabile ac perpetuum esse nequit sine calore humidum resolvente atq; aëre illud recipiente, itaque ingredi oportet elementorum compositionem, quæ si ingrediuntur, cœli sunt quædam mixta. Jam si mixta, habent mixtorum proprietates, effluvia scilicet, alterationem, generationem, & corruptibilitatem. Itaq; sequitur legitima assertio astra esse corruptibilia, quia alterantur, alterantur verò, quia sunt mixta, mixta quia elementata, elementata quia solido, humido, aëreo, igneo, constant. Jam si elementata, atmosphærano levium graviumq; confluxu agitatam habent, quod si hoc, itaque habent centra, itaq; non habent necesse ut à solidis retineantur cœlis, itaq; cœli sunt liquidi. Ita faciliùs expeditur. Quomodo sine penetratione anno 1572. ad 9. Nov. circa taurũ in constellatione Cassiopææ stella primæ magnitudinis visa; & duravit circiter menses 16. Anno 1616. in constellatione Cygni tertiæ magnit. Anno 1604. circa 9. Octob. prope sagittarii sydus lucidissimum astrum quod suo lumine stellas primæ magnitud. superabat, & postquam multis du-

râsset mensibus tandem evanuit: Et hæc nova astra circa viam lacteam apparuerunt. Sed & Antiquiorum observatio idem evincit. Proclus Cometam supra Jovem aspexit. Albumasar supra Venerem. Hipparchus inter fixa sydera, Apollonius & Æschylus in cœlis aliis. Cometam anno 1577. demonstrat Cornel. Gemma altiorem fuisse Lunâ. Tycho Brahe cometis annorum 1585. 1590, eosdem locos attribuit, nec ullus Geometriæ peritus unquam contradixit: Vel si in horum altitudine erratum, erratum & circa stellas. Planetarum etiam motus cum soliditate cœli conciliari nequeunt, considera Mercurium, & Venerem qui jam infra jam supra solem, considera vix observabilia Martis volumina, satellitum Jovis & Saturni. Non negamus tamen solidos esse in eo sensu quo accipitur hæc vox ab Euclide lib. 11. def. 1. capaces scilicet trinæ dimensionis. Duros autem & quasi ære fusos Eliu imprudens apud Jobum 38. v. 2 imaginatus. Jam vero si liquidi sunt primo mobile opus non est reali: Motores verò censet, 3. contra Gentes S. Th. c. 8. & opusc. 10. art. 17. esse Hierarchiæ secundæ. Firmamentum dici ex eo quod firmum re-
tinent

tinent in eo stellæ ordinem, vult Hugo Sempil. de Mathem. discipl. lib. 10. c. 4. Itaque si cœli solidi sunt neq; facilè permeabiles, (excipimus firmamentum) non est via explicandi Cometas qui sæpe in cœlis variorum planetarum sunt deprehensi. Itemq; stellarum de novo apparentium. Sed neq; motum Martis exposueris qui sæpe infra sæpe, supra solem: neq; macularum solarium ortum & interitum, neq; motus Planetarios Jovis ac Saturni Satellitum, neq; incrementa & decrementa Veneris facilè cum soliditate composueris. Proinde eccentrici & epicycli licet ad explicandam astrorum scientiam, sint admodùm utiles, nihilominùs merè imaginarii sunt? Quatuor autem motibus ferri cœlos hactenus est notatum. Primùs est diurnus ab ortu ad occasum. Alter ab occasu ad ortum astris planetisque proprius, sed magis fortè apparens quàm verè retrogradus. Tertius à septemtrione in austrum, & è contrà, quem alii librationis primæ, alii trepidationis appellant, & hic ultra 24. minuta non procedit, imò utrum attingat controvertunt Astronomi. Quartus modicissimus ab ortu in occasum, & è contrà.

CAPUT III.

De Lunæ natura.

Planetæ quod à sole qui in medio eorum positus, mercentur lumen, probat Luna, Venus: Sæpe corniculatæ; quod idem in Mercurio spectaremus, nisi tam vicinus esset soli. Idem de planetis superioribus. Luna suam diurnam revolutionem quasi 25. horis absolvit, ita ut quando mediocriter elevata est supra terram singulis horis conficiat milliaria 50400. quâ velocitate si quæpiam volucris terrâm circumvolaret, intra horam quinquaginta & sex absolveret circuitus. Zodiacum percurrit Luna diebus 27. horis 7. min. 43. Luna est ferè quadragesies minor globo terrestri, apud Veteres tantùm novies & decies minor habebatur. Phases illius variæ. Quòd nimirum subinde cornua, subinde gibbum exerat, subinde plena luceat, oriuntur ex varia ejus cum sole oppositione. Sed cum increscit versus orientem cornua vertit dorsoq; solem respicit, & è contra quando est in decremento. Maculæ illius sunt partes profundiores ad quas solaris radius non æquè pertingit. Quando est in mediocri à terra distantia, à centro terræ distat, semidiametris terræ 56.

Luna apogæa 61. perigæa 52. ut Mercurius, Venus, Sol in mediocri à nobis remotione semid. terræ. 1142. dissiti sunt. Mars verò 1745. sed hic in minima 761. in maxima 2729. Juppiter in mediocri 3990. Saturnus in simili positus 10550. Stellæ fixæ 14000. Sol in apogæo distat 1182, in perigæo 1101. Si quis ad firmamentum peregrinationem institueret in directum sursum, concedereturq; ipsi vita bis mille annorum, viriumq; tantum ut 100. mil. singulis continuis diebus perageret, nondum post mille trecentos annos perveniret ad concavum firmamenti. Hæc è sententia quorundam Astronomorum. Quòd umbra terrestris aliquantò clarior, id provenit à luce solis refracta in vaporibus sublunaribus, verùm si Luna sit intra terræ umbram valde modicum habet lucis. In novilunio, proximis diebus, Lunæ pars à sole non illustrata conspicua est, verùm quò magis ab illo elongatur, redditur obscurior: Quod inde provenit, quia lux solaris à terra in illam reflectitur, quam reflexam non recipit ubi distantiam accepit à Sole. In Luna non conspicitur solis facies veluti in speculo, quia nunquam corniculata appareret, cùm eandem semper faciem solis

redderet: Reddere verò aliundè nō̃ posset nonnisi per modū puncti siquidem in sphæris convexis minuitur valde objecti imago, talis autem est Luna. Lunā ita quidā descripsit Poëta sed de hoc infrà pleniùs.

Terret, lustrat, agit, Proserpina, Luna, Diana
Ima, suprema, feras, sceptro, fulgore, Sagitta.

CAPUT IV.

De stellis fixis.

Veteres putaverant solas scintillare fixas, sed nunc certissimum est scintillare & planetas, sed inæqualiter: Saturnus plurimùm sed agitatione leni scintillat, fulgurat Jupiter, reliqui utroque modo; plurimùm præsertim Mars Apogæus, Venus verò tam Apogæa, quàm Perigæa, Mercurius semper, Luna & Sol vix notari potest. Hanc scintillationem ex eo provenire censemus cum Scheinero in disq. Mathemat. quòd species astrorum in oculum nostrum descendentes ab irrequieta vaporum variè affectorum incursatione intercidantur. Hinc etiam ratio redditur, cur magis stellæ humente quàm puro scintillent cœlo, & cur eadem stella admota horizonti, magis quàm ab illo remota, & cur parvo ac debili prædita lumine, magis quàm robusto

ac generoſo, debilis enim lux faciliùs vaporibus cedit atque ab illis inciditur, generoſa conſtat ſibi. Hinc, quia Planetæ, ſi non numeres Saturnum, robuſtum habent lumen, cæteris paribus ſcintillant minus. Splendores enim fixarum ſunt quaſi diluti, Planetarum verò vividi ac ſinceri. Unde licet Canis majoris lux albior, atque ad viſum movendum efficacior ſit, quàm aliorum planetarum; lumen non eſt tamen vivacius ac robuſtius, cum ad Veneris lucem legere posſis, non verò ad Canis majoris. Numerus & locus conſtellationum hic eſt.

Ad Boreæ *partes* ter ſeptem *ſidera fulgent*
Arctus, Draco, Bootes, Gemma, Corona, Genuq́;
Prolapſus, Lyra, Avis, Cepheus, & Casſiopea,
Auriga & Perſ*eus, Deltoton, Andromedæ aſtrum*
Pegaſus, & Delphin, telum, hinc Aquila, Angvitenensq́;.

Signifer *inde ſubeſt*, bis ſex *qui ſidera complet.*
Sunt Aries, Taurus, Gemini, C*ancer, Leo, Virgo,*
Libraq́;, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces.

Poſt ter quinq; *tibi ſigna hæc vertuntur ad Auſtrum.*
Cetus, & Eridanus, Lepus, & nimboſus Orion
Syrius, & Procyon, Argo ratis, Hydraq́; Crater,
Cor-

Corvus, Centaurus, Lupus Ara, Corollaq́ᵹ, Piſcis
Sydera bis ſex *ſunt quæ ſemper* condit Horizon
Phænix, cum Muſca, Chamelæon, atq́ᵹ Columba,
Trigonon, inde volans Piſcis, Volucris Paradiſi,
Indus, cauda Nopæ, Pavo, ardeaq́ᵹ Indica, Pica.

Sphæram octavam in conſequentia ſignorum progredi intra annos 100. obſervavit Tycho 1. g. m. 25. Idcircò tantum eſt auferendum in futuros annos in antrorſum ab inventis longitudinibus ſtellarum in ſingulos annos centenos quæ inveniuntur apud Veteres. Nam cùm circa polos Eclipticæ ferantur, mutant longitudinem latitudine inviolatâ, ita ut annis 70. & menſibus 7. unum gradum varient.

CAPUT V.

Quòd ſtellæ ſine miraculo posſint videri de die.

Posſunt ſine prodigio claro die ſtellæ videri, certum enim eſt illas de die etiam in cœlo exiſtere, & quò ſoli viciniores, eò luce auctiores, proindeque ſpecies viſibiles ſive lucem copioſiùs ac vivaciùs vibrare, cauſa itaque eſt, cur non conſpiciantur, quia lux minor præſente majori videri non poteſt, ſicuti ſi modica facula è remotiori contra ſolem aſpiciatur, non diſcernetur. Lumen enim

enim copiosius dum oculum nostrum ingreditur luminosas stellarum species in illo extinguit. Idcircò si quis ingressum luminis robustioris in oculos evitet, debiliores species agent suum munus: probârunt id qui in profundum demissi puteum vel antrum, quò solis radii non deferebantur, ex illis tenebris claram habuerunt stellarum lucem. Sed astrum Veneris ante cætera faciliùs hoc modo conspici potest, maximè dum est pleno lumine, tunc enim est tantæ lucis ut faciat umbram. Sed non solo puteo solaris lucis incursus temperari potest, potest & concursu densarum nubium, quæ cùm cæteras omnes texerint partes cœli, solam relinquant veluti fenestram patulam quâ astrum prospectetur, & tali modo patuit Venus die claro An. 1626. uti in cent. Astron. scriptum reliquit P. Osvaldus Kruger. Potest etiam lumen solis dilui, si oculus umbroso statuatur loco, qualiter idem astrum spectavimus Brunsbergæ in Prussia Anno 1665 Sept. 18. horis à meridie, spectârunt & alii Vilnæ ejusdem anni sed mensis sequentis die quinta.

CAPUT VI.

De Terræ respectu cum Luna.

Orbem hunc *terræ*, qui ex alto despiceret plane-

planetam alium Lunæ germanum crederet, in eo maculas à nubibus formatas, lumen intensissimum à mari glaciali & nivibus reflexum velut faces, maria velut partes fuscas, scabram superficiem ac dentatam propter montes intueretur. Et quò magis in altum levaretur, tantò illi iste tam vastus decresceret globus sublatus enim 8000. mill. horizontem terræ 3600. mill. videret. Et è Luna gradûs unius amplitudine, & simul phases planè has quas in Luna jam nova, jam in plena, jam cornuta habemus, miraretur. Sed ad veros planetas calamum referamus.

CAPUT VII.

De Luna in se.

Luna habet suos lacus, montes, flumina, sed & centrum proprium versus quod omnia feruntur. Hæc detexit canna Batava. Valles habet & montes, & Oceanum, & insulas, & fontes è montibus deciduos, & saxa montium inter candidum variegata, atque striis diversi coloribus inducta, quam partem Lunæ Oceanum Philippicum appellamus, ibi ingentes vortices cum regurgitationibus, ut quidquid intra corpus Lunare virtutis continetur, agitatione in influxus excutiatur. Et si divinare licet, vapores con-

concreſcunt in nubes, ſolvuntur in pluvias, & aliquid rori ſimile demittitur, quo ſublunaria quæ ſunt ad hoc idonea, recepto turgeſcunt in pleniluniis; proinde ſi homines noſtræ conditionis Lunam incolerent, eorum cerebrum ac medullæ immanè quantum diſtenderentur, nec aëre obtenuitatem gauderent. Opinio de effluviis robur ex eo accipit, quia unus planeta activitatis ſuæ ſphæram miſcet alterius planetæ activitati. Maculæ Lunares ſunt radii Solis ad montium plicaturas inæqualiter reflexi, & inde mons quidam, fons dicitur lucis, quia lucis plurimùm recipit ob plicaturas in circum. Foſſæ intra montes nigrorem exhibent, quæ decreſcunt prout Solis acceſſum experiuntur. Nullum eſt fundamentum aſſerendi ſaltē alterius indolis incolere Lunare corpus homines, ut meritò temeritatis damnandi Xenophanes, Plato, & poſt eos Nic: Cuſanus, lib 2. & tandem Kopplerus in Aſtron. Communior Aſtronomorum tribuit diametro Lunari mill. germ. 495. Umbra autem tereſtris manifeſtè evincit longè minorem ipſam eſſe tellure. Siquidem in eclipſi intra conum umbræ jam multùm anguſtatum tota mergitur ac deliteſcit. Baptiſta

Bolianus voluit Lunam in centro universi esse, stabilemque manere, sed nec Copernicanum eo loci patimur Solem. Blancanus lib. 9. supputat cœli Lunaris ambitum mill. 1200600. quorum partem vigesimam quartam id est 50400. motui assignat nec malè, horario. Nunquam eclipsatur Luna nisi plena, quia tunc solùm opponitur Soli. Conus terrestris umbræ cùm brevissimus est ad 213. semidiametros terræ extenditur. Lunæ verò distantia etiam maxima vix 20. semid. excedit. Habet verò hic planeta aliam à Sole viam, declinatque ab Ecliptica gradibus quinis, quâ de causâ etiam non omni plenilunio accidit eclipsis: secat verò suo cursu Eclipticam in punctis duobus mobilibus, in quibus si reperiatur tota in umbram abibit, minùs verò deliquium patietur prout his punctis vicina extiterit. Alterum eorum nodus Evehens & Boreũ, per quem Luna ad Boream transit, Alterum descendens & Austrinum per quem ad Austrum fertur. Primus Anaximander causam phasium Lunæ veram attigit. Nimirum eas oriri ex vario ad Solem positu. Quod è Lunæ eclipsi Proclus ratiocinatur, castigatione eget. *Luna* inquit *in primis arietis gradibus eclipsata ædium*

dium incendia, combustiones nemorum &c. portendit, In Tauro Reginæ obitum. In Geminis incursiones & rapinas hostium, repentinos exercituum motus, viri præstantis famæ obitum &c. Certius illud, qui lenta deficiunt tabe, plerumq; Lunâ deficiente & ipsi deficiunt; sicut è contrario in pleniluniis, qui humorum & phlegmatis abundantiâ, aut etiam hydrope laborant. Cæterùm ut ait Joh. Bapt. Ricciolus lib. 4. Almag. *Multa efficiuntur à Luna quæ turpiter ab homine ignorantur ea non ignorantibus brutis.* Lunam vivere ac pasci halitibus terræ censuit Plin. lib. 8. c. 9. & non plenam apparere cùm nondum satura. Has ipsas phases dabit tibi globus, si eum diversè respectu oculi tui Soli opposueris, semper enim ut Luna à Sole, ita à luce ille cornibus aversis lucebit, semper dimidius illustrabitur, & sic tibi varius spectabitur. Interlunium dicitur Neomenia quando Luna Soli conjungitur, & tunc maximè illustratur, cùm maximè vicina sit Soli. Dichotomos vocatur, cùm est in quadrata à Sole distantia, amphikirtos, cùm minùs quàm plena, plùs quàm quadrata, discedit à Sole in singulas dies gradus 12. m. 11. diebus novilunium secutis post Solis occasum

apparere consvevit. Post plenilunium, solis exortum anteit. Quinis ferè quibusq; diebus duo Zodiaci signa percurrit, ita ut in uno moretur dies duos horas 6. min. 39. Hebræi, Arabes, Turcæ, Sinæ, Lunaribus utuntur annis, hoc est, annus est illis cùm Luna Zodiacum duodecies pervasit, quod ante solis unum circuitum qui nostrum constituit annum, diebus 11. evenit, unde origo Epactarum. Post. 19. annos loco priore sita solem consequitur. Methon. Atheniensis primus id notavit, & Romani Calendario suo aureis characteribus inscripserunt, unde hæc revolutio decemnovennalis, aureus numerus vocari cœpit. Prima Luna anni, est Martia, illaq; cujus Plenilunium propius est verno æquinoctio. Vulgaris autem versiculus qui docet, cujus mensis quæ sit Luna. *In quo completur mensi Lunatio detur.* Dicit ejus mensis esse Lunam, in qua habet saltem unicam ultimam diem. Si sol minor tellure esset, singulis mensibus eclipses lunares evenirent, durarentq; diebus quinque aut sex. Luna semper eandem terræ faciem obvertit ut è maculoso ipsius vultu convincitur, etsi non omninò eandem adæquatè, quo fit ut necessariò corpus illius

supra

ſupra axem proprium in polis propriis ſui epicycli gyros agat, qui quidem motus etſi circularis ſit, librationis tamen cujusdam eſſe & dici debet. Et ita una lunaris globi abſolvitur converſio, dum una Epicycli. Et ſingula Lunæ puncta ſemel convertuntur ad ſui Epicycli centrum. Splendor in Luna alter eſt primarius, alter ſecundarius, hunc oſtendit nova ad octo circiter dies in ea facie quâ ſolis radios nequit excipere. Quia verò confinium lucis & umbrarum in arcum modo convexum modo concavum ſinuari videmus, conjicimus ſphæricitatem Lunæ. Hæc lux primaria non per lineam perfectam ſed anfractuosè partes lunæ ingreditur, neq; æquali ubiq; fulget claritate, neq; continuâ. Nam viſuntur in luna plena apices quàm plurimi inſtar gemmarum intenſiſſimi candoris, & in partibus umbroſis innumeræ veluti ſtellulæ ab alia luce ſejunctæ: & inter ipſas planè illuſtratas partes intercedunt quaſi innumeræ nigricantes maculæ, quæ cum vicisſitudine menſtrua veniunt & abeunt, neq; aliud eſſe poſſunt quàm aliarum partium altiorum opacarum projectæ umbræ, quarum reditus uniformis corpus Lunæ mi-

nimè variari probat. Secundarius Lunæ splendor non est adeò modicus ut nonnullis videtur, siquidem sole adhuc supra horizontem constituto nonnunquam potest conspici: Imò constitue te eo loci, ut alicujus domûs fastigium tibi Lunam eâ tegat ratione, ut primario splendore partem Lunæ illustrem omninò abscondat, alter nitor tantus erit qui tertiæ magnitudinis stellam & quandoq; secundæ, si non superet, certè exæquet. Experientia certa & cuivis obvia. Hunc tamen splendorem non censeo esse innatum, alioqui maximè in eclipsi fulgeret, neq; sumitur à Venere, aut alio quopiam astrorum. In conjunctione solis, Veneris, & Lunæ æquè affulget, quo tamen tempore nullus radius in Lunam à Venere vibrari potest qui in nostrum oculum incurrat. Sed neq; potest à terra esse quia in hujus splendoris ambitu lucidior annulus invenitur, atq; deberent luce reflexâ à terris media æquè atq; extrema Lunæ feriri. Insuper quis credat tantam à terra lucem in Lunam propagari, quanta à Sole communicatur Saturno? Atqui deberet esse tanta, siquidem splendor ille Lunæ proximè accedit, vel certè adæquat lumen Saturninum.

Præter-

Præterea certè Venus magis lucet quàm tellus, & tamen illa quantillam ſpargit facem in terram? Imò omnia ſimul aſtra in abſentia Lunæ & Solis tantum ſplendorem terræ nequaquam conferunt quantus eſt Lunæ ſecundarius, neq; enim dubito quin ſi quis Lunam conſcenderet, ejus ſplendor iſte ad legendos quosq; ſufficeret characteres, cùm non ſufficiat nocturnus omnium ſyderum in terra. Splendor hic ut magnitudine deficit creſcente Lunâ, ita videtur in intenſione ad diem nonum perſeverare, quòd verò oculis noſtris non ita pateat, in cauſa eſt ſplendor primarius. Sed tandem quid de eo ſentimus aperiamus. A ſole illum proficiſci opinamur hoc modo. Sol totam radiis pervadit Lunam, quæ ubi eſt craſſior minùs tralucet, magis circa extrema quæ ſunt tenuiora, & indè annulus ille exoritur, qui paulatim auctu Lunæ evaneſcit ob radiorum ſolarium à noſtro viſu declinationem. Hæc ita ſe habere etiam hoc confirmat, quia in circulo ejusq; vicinia eminent apiculi innumeri micantiores, quod cur non fieret à terra multò magis in medio Lunæ, ſi Lunam illuſtraret terra? Ratio nequit reddi. Poteſt verò, ſi à ſole

tralucente ſplendor hic oriatur. Quod ipſum luculenta approbat experientia. Nam in ſolari eclipſi, tota Luna inſtar vitrei corporis tralucet variè tamen, annulum etiam ad peripheriam luculentiſſimum exhibet. Hoc ſe expertos antiqui & Recentes Aſtronomi profitentur. Luna nova ſemper minor apparet quàm plena. Luna plena in ortu aut occaſu nunquam ſphærica conſpicitur ſed ſemper oblonga ſecundum horizontem extenſa, cujus rei cauſa eſt refractio. Solis diametrum & Lunæ diligentisſimè exploravit P. Scheyner anno 1620. & die 9. Decemb. ab hora 4 ſcrupulo 18 ſecundo 24. poſt meridiem Oeniponti, cujus altitudo poli eſt gr. 48. ſcr. 18. quo tempore initium Eclipſis Lunæ acciderat, & duravit ad horam 7. ſcr. 52. ſec. 16. Immiſit enim diametrum ſolis per anguſtiſſimum areæ lamellæ foramen, erat partium minimùm 102, qualium radius totus fuit 10000, ipſius igitur arcus per tabulam ſincuam implevit ſcrupula 35. ſec. 10. Superavit ſolaris diameter Lunarem ſec 40. circiter. Id quod exactiſſimâ utriusq; per tubum eundem omnibus invariatis trajectione comprobavit, igitur viſibilis Lunæ diameter extitit min. 34. & ſec. 30. Plin. 2, c. 9.

CAPUT

CAPUT VIII.

De astro Veneris & Mercurii.

Natura *astri Veneris* ita se habet, circa proprium axem intra 14. circiter horas revolvitur, ad instar Lunæ accipit à Sole lumen, proinde patitur eadem incrementa atq; decrementa sed annuo spectaculo incundissimo in remotissima à terra distantia est plena, in media quadrata, inter hanc & illam amphikirtos, in conjunctione inferiore seu perigæa luce privatur, inter hanc & mediam elongationem falcata conspicitur, ita ut Luna annua meritò dici possit, ex quibus illustrationibus seqvitur necessariò, illam circa Solem volui. Dum ante Solem manè oritur dicitur Lucifer, dum ante ejusdem occasum Hesperus, humiditate Solis ardorem temperat, & ab eo ferè ad duo signa recedit. Sphærica perfectè non est ob easdem rationes atq; Luna, constat humido lucidissimo & quasi crystallo: Luce blandâ ac nihil molestâ: vim cosmeticam & decorificam in apta refundit subjecta. *Mercurius* habet sua maria & montes, & hinc facit has partes nobis lucidas, illas sub-fuscas apparere facit vivaces ac spirituosos, quos reperit idoneos ad suos recipiendos influxus. Inde

mercurialibus ineſt ingenium: ut omni ſui parte influat varietque effectus, ipſe circa ſuum axem varius intra ſex horas faciem aliam atq; aliam terris objicit: Noctem nullam habet, ſed modicam obſcuritatem, quia ab una parte à Sole, ab altera illuſtratur à Luna, niſi ſit ab illis averſus.

CAPUT IX.

De Sole.

Sol eſt veluti quidam igneus mundus, in omne latus inſtar Æthnæ flammeos, ſed nequaquam picatos, eructat globos: Propter quod Hebræis ignis dicitur, & Eccl. 43. & ab Eccleſia vocatur igneus, ibi oceanus liquore igneo agitatus faciem exhibet cupri fluentis. Tanta verò hujus globi vaſtitas, ut ſi quis in dies ſingulas, horarias denas leucas conficeret, nondum intra annos 19. totum circumiret. Millies major eſt quàm globus terræ, uti recentiorum Aſtronomorum induſtria conſecuta: Quas maculas putamus, nubes ſunt ex ebullitione maris exortæ; non ſtellæ; quæ infra ſolem nullæ: Et multò aliæ facies & motus, quàm ſtellarum eſſe posſit, plusq; in hac re ſedulitati infractæ in obſervandis per annos ferè 50. Scheyneri quàm aliorum conjecturæ tribuimus.

buimus. Liquidus Sol eſſe nōn poteſt, in tam enim rapido curſu mutaret ſæpiùs figuram: Nec totus ſolidus, nam virtus centro vicina ſe non facilè ad nos expediret. Præterea in liquido lux major, uti fabriles docent officinæ. Partibus heterogeneis conſtat, uti tam diverſi ejus probant effluxus. Ille eſt, ſi non datur alibi, vera ignis ſphæra. Faculæ ex regurgitatione maris ignei oriuntur, dum quod in altum tollitur, variè ſplendeſcit. Umbræ aliquæ conſpiciuntur, illæ ſunt voragines dehiſcentium marium, utræque diſparent cùm prior ac tranquilla facies redit ſyderi. Nubium ſolarium ſi quæ ad ſuam non ſtatim redeant originem Cometas generat. Ut verò ſol omni ſuâ parte proſit terris, ſe circa ſuum gyrat axem, in quo curſum dierum 27. conſumit. Nec dubito ingentem exauditurum fragorem qui vicinior adſtaret. Non ſemper æquè ebullit aſtrum, ſiquidem ſubinde à vicinorum affluxu planetarum ſtringitur, ut à Mercurio, Venere, qui humiditate ſua fervorem illum mitigant. Aliquando totus fervet ac maculis tegitur, propter quas viſus nonnunquam ſine radiis, fuſcus, ac pallidus, pallorem faciebat exhalationis tenui-

tas; obſcuritatem craſſities, hinc ſeqvutæ variæ in terris mutationes, ac mortalibus inimicæ, poſtquam ita copiosè ebulliit, quieſcit, ideoq; nullæ maculæ etiam toto anno, uti obſervatum, poſt ejusmodi pathemata ſunt conſpectæ. Solis globus intra 24. horas conficit leucas horarias 69143. Sol unicus eſt planetarum qui nunquam ab Ecliptica deviat. Quotidie manè & veſperi in horizonte aut illi vicinat contrahitur, & longior apparet, cujus rei tota cauſa eſt in vaporibus per quos conſpicitur, quod fusè in Sole Ecliptico P. Scheyner pertractavit. Maculæ illius nigræ mutant locum & percurrunt illum ſpatio quaſi trium & decem dierum idq; motu duplici, & longitudinis ab ortu ad occaſum, & latitudinis ab Auſtro ad ſeptemtrionem, atq; è contra. Produnt ſe etiam areolæ cæteris lucidiores, & ipſæ mobiles inſtar macularum, ſed phaſi inconſtantiore & hæc omnium helioſcopium tubusq; opticus oculis offert. Sol hyberno tempore ſeptimâ parte major apparet quàm æſtate.

CAPUT X.

De Marte.

Martis facies etiam viſu gravis: choleram

ſtatim

ſtatim ciet, Flammas eructat horridas, ac nigrore veluti piceo ſqualentes, in eo quidquid ſolidum eſt, fuligine nigreſcit. Odor atque affectio illa quam experiêre, ſi ex ſulfure, auripigmento, arſenico & cæteris malignis, naphta bitumine, mixto confectam mollem, accenderis. Hæc enim maniacū ac furioſum reddet. Mare tetricum, montes aſperi ac valles obſcuræ ac inamænæ, æthna piceus ſubobſcurè ardens potiùs quàm aſtrum. Lacus eructant flammas ſed quales mare aſphaltites. quam credimus in centro ejus maculam, vorago eſt obſcura ac inſtar barathri abſtruſa, quæ non ſemper apparet, cùm non ſemper eâdem nos facie planeta reſpiciat. Habet enim ſuum axem quem circumit. Hujus aſtri interiora concitant Angeli cum juſſu vindicis DEI ſcelera mortalium plagis proſequuntur ſupra eam voraginem in altum jactati ſubinde apparent globi, quos quia non ſemper videmus quidam eos ſemper negant. Hi ſunt globi qui ab internis evehunt abſconſas activitates. Hic globus quidquid eſt alibi virulenti ad ſe attrahit ac depaſcitur, & inter benigna ſydera medius, nec omni parte ſui æquè nocet. Lux ſangvinea illi propria, ſed aliâ

parte

parte quâ totus piceus atque fuſcus nullam recipit lucem, eamque dum nobis obvertit, dimidiatus apparet inſtar Lunæ ultra aut citra quartam partem à cœli Sole diſtantis. Supra terras cùm maximè diſtat elevatur ſemid. terræ 21069. ex ſenſu Kircheri.

CAPUT XI.

De Jove.

Jupiter benignus recreat poſt Martis pericula, quadruplici globo veluti toties Lunâ circumdatur. Ex his una plena, altera deficiens, nova altera, ultima denique plena; omnes luce ſuaviſſimâ conſpiciuntur. Jovis globus à terra diſtat ſemidiametris terræ 40478. montes in eo pulcherrimi ac diaphani, pulcherrimum & mare, ex ſe totus ad ſerenitatem pronus niſi à Saturno aut Marte præpediatur. Effectus ejus qui delibare deſiderat, maſſam ex ambra griſea, cinnamomo, gariophyllo, muſco, aquâ roſaceâ, ſpiritu citriorum conficiat, & in vaſe fictili pleno aquâ eâdem coquat, efficiet etenim hic vapor excitatum, hilarem. Qui ſtatim corrumpitur naphtâ, ſulfure, aut bitumine addito veluti Jovis influxus à Marte corrumpuntur. Mare Joviale diſtinguitur

tur per zonas ſtructas è montium catenis, fuſcas illas ſed odoratas, fuſcas nobis viſus demonſtrat, odoratas facilè in tam ſvavi planeta conjecturamus: hæ nunc rectæ nobis nunc obliquæ conſpiciuntur prout planeta circa ſuum axem revolvitur, ambiunt totum globum illi montes, revolutio eſt horarum 284. ita ut cùm ſemel decurrit Zodiacum, revolvatur vicibus 865. in ſuo verò circulo maximo intra horam peragit leucas 77. Primus Jovis comes diſtat ab illius centro lucis horariis 20888. habet in diametro ejuſmodi leucas 549. Secundus comes diſtat horariis leucis 27784, quas in diametro 822. cõtinet. Tertius numerat à centro Jovis leucas 41676. in ſua verò diametro 1185. Ultimus diſceſſit à Jove leucis ſimiliter horariis 69460, diametrum verò extendit ad leucam 1736. unde minimus ferè æqualis Lunæ, alter Mercurio, tertius Veneri, poſtremus terræ. Exhibent phaſes in modum Lunæ, ſed ſine obſcuritate, pars latebras affectans eſt ſolùm fuſca, ſæpius verò accidit globos eclipſari cùm unus alteri opponitur.

CAPUT XII.

De Saturno. ♄ ○

Saturnus ipſe plumbeus licet habitus fuerit,

rit, aurei sæculi Pater. Totus melancholiâ frigore & putore squallet. Magis rhombus quàm scaber globus, ita montium immensitas eminet. Unus apparet, sed in re sunt tria divisa corpora, ita ut ipse Pater, Saturnus medius, duos habeat comites. Naturam Saturninam globus exhibebit, qui fuerit ex plumbo, antimonio, hydrargyro, succis theamonii, aconiti, napelli, hellebori, mandragoræ. Hic enim carboni impositus faciet, stupidos, lethargicos, anginâ, paralysi, nervorum convulsione miseros, ac demùm sine vita. Hoc tamen confert Saturnus terræ quod ab aliis perustam planetis refrigeret, & ne humore diffluat adstringit, spiritusq; in homine aliàs volatiles alligat facitq; sedentarios ac discendo idoneos. Comites non apparent, si post corpus Saturni se recipiant, si obliquè spectentur se in corpus unum confusos repræsentant. Quia verò circa Saturnum atmosphæra admodum crassæ est caliginis, comites variæ fiunt imaginis, nunc in globum se colligunt, nunc in formam pyri producunt, nunc Saturnum ansulis veluti forficibus tondent, nunc dimidium sui retro Planetam reponunt, ipsiq; solùm Lunularum instar phænome-

nomenon exhibent. Quod tum fit quando partes comitum obſcuræ cum obſcuris Saturni concurrunt, ſic enim reſidua luminoſa veluti hiatum quendam admittunt, ſed & ipſi fortè per dimidium lucem cum obſcuro in ſuis globis exhibent. Globus Saturni in ſe major tellure eſt 165. vicibus. Diametro leucas horarias adæquat 11262, circa axem ſuum unâ revolutione unum menſem conſumit, comites terræ molem aſſeqvuntur. Poëtis dictus, temporum dux, quia tardisſimè revolvitur inter planetas, Falcifer & filiorum interemptor, quia tempus abſumit omnia. Pythagoræi dixerunt ex ejus lacrymis mare enatum, quia author pluviarum. Atq; hæc de Planetis ex mente Kircheri.

CAPUT XIII.

De Stellis fixis.

Stellæ fixæ centuplo magis levantur ſupra ſolem, quàm hic ſupra terram. Circa Caniculam eſt globus, qui mendicat ab ea lucem ut Luna à ſole, ac ſimiles exhibet phaſes. Polus nullus realis. Sed ita diſpoſiti à Deo globi aſtrorum ut alter ab altero minimè impediatur, & tamen nobis oriatur atq; occidat. Omnes ſtellæ differunt à ſe figurâ,

colore, luce, calore, influentiis. Stellæ in in æquinoctiali sitæ intra horas 24 decurrunt mill. germ. 255018o. proinde si essent in distantia Lunaria terræ, non ut astra, sed ut circulus continuus ob tantam velocitatem comparerent. Cœlum empyreum verè corporeum est, quia sanctorum recipit corpora, summæ autem svavitatis lucem habet, & tantam, cujus respectu omnia reliqua sint tenebræ. Non transibunt cœli deficiente mundo nisi in melius esse, & novi solùm fient quoad accidentia, respectu quorum etiam nos olim, uti speramus, innovabimur sed hæc obiter. Xenophantes putabat ex nubibus componi stellas, ac noctu accendi, de die extingui. Epicurus, Diogenes, Antipho, ex pumicea materia, ut mundi essent spiracula. Anaximander ex aëre ac velocitate accendi. Anaxagoras lapides ignitos. Euripides fortè Poëticè, glebas aureas dixit. Plato, cœlum & astra voluit esse ignea. Heraclides singulas stellas, mundos singulos habitabiles constituere. Ptolomæus quas visu discrevit numeravit 1022. & in asterismos 48. distinxit. Nunc 300. his adjiciuntur, & Sinæ insuper apponunt 400. Hyeme cùm aër defæcatior & nox obscu-

obſcurior, plures apparent quàm æſtate. Cynoſuram apud Græcos obſervavit Thales, cujus ductu quia cæteras venatus de nomine Canis vocavit: ſed abſolutum omnium computum nemo inierit, cùm ſolius Galaxiæ ferè ſint infinitæ. Habent motum etiam juxta conſequentiam ſignorum ſeu ab occaſu verſùs ortum, quomodocunq; interim is explicetur. Nam Thales Mileſius qui ſub Cyro floruit lucidam Arietis ſolùm duobus gradibus antecedere interſectionem æquinoctialem notavit. At illam ipſam coincidere Meton. Atticus vidit. Timocharis duobus gradibus remotam habuit, Ptolomæus gradibus ſex, Albumazar 17, Alphonſus 23, Copernicus 27, & nunc ampliùs 27. gradibus abcesſit. Ideò reor veteres initium Zodiaci ab Ariete ſumpſiſſe quia eorum diebus puncta æquinoctialia tenebat: at modò propter illius receſſionem duo Zodiaci debent aſſignari, alter ſignorum, aſteriſmorum alter; ita ut unus incipiat à puncto æquinoctii verni, alter à lucida Arietis quæ eſt prima illius ſtella. Stellæ intra annos 100, unum peragunt gradum & minuta 25. idcircò ut totum decurrant cœlum opus annis 28800. imò ampliùs,

quæ menſura veteribus magnus Platonis annus dicebatur, intra quam credebat mundum interire ac rurſum renovari : Ex hoc lumen accipimus ad intelligendam S. Petri prophetiam, quâ prædicit cœlos circa finem mundi impetu magno tranſituros, reliqvum nimirum cœli velocisſimè decurſuros circuli. Et hic fortaſſe eſt lapſus, quo caſuras de cœlo ſtellas Redemptor dixit Matth. 25. hæc noſtra conjectura, non aſſertio.

CAPUT XIV.

De Solis natura.

Conformiter Sacræ ſcripturæ ac SS. Patribus dici poteſt *Solem eſſe ignem* nam vox Schames quâ Sol Hebræis appellatur, quæ idem eſt, ac ſi dicas, *ibi eſt ignis.* Etenim ſolos & omnes effectus habet quos ignis, calefacit, inflammat, trementibus flammis conſpicitur, ut eſt Roſæ Urſinæ lib. 2. cap. 4. cujus author Patres numerat lib. 4. c. 17. Aug. Ambr. Athanas. Baſil. &c. pro quo Tertull. lib. de anima aptè *Sol corpus eſt ignis ſed quod Aquila confiteatur, neget noctua.* Habet autem intra ſe pabulum ſicut flammivomi montes, materia enim exuſta rurſus relabitur ac denſata fit ignis pabulum. Solis verò

partes

partes non inflammatæ maculas, quæ verò ardent exhibent faculas. Hinc lymbus solis tremulus ac inæqualis, in sphæram verò ardet nactus proprium centrum. Globum solis hoc modo se visui offerre scribit Scheynerus. Quando directè supra nostrum ponitur caput est rotundus, sed justò minor. Si inferior spectetur, rotundus etiam, sed justò major, cùm nondum pervenit supra caput nostrum non rotundus videtur. Fateor tamen scripturam posse intelligi Metaphoricâ locutione usam. Sicut Eccl. 16. Solem vocat spiritum, & Ps. 103. 4, Angelos ignem urentem &c. Heraclitus solem putavit esse Scapham, quæ nobis in Eclipsi cavam partem objiceret. Notabiliores Solis ponuntur Eclipses istæ. Anno 878. Octob. 29. tanta fuit ut stellas de die detexerit. Similis anno 840. uti scribit Voscus de progressu idolat. lib. 2. c. 20. Scalig. exerc. 79. n. 3. legitur in vita Caroli Magni meridie solem defecisse triduò postquam fuisset Eclipsis, sed hoc nubi alicui aut maculæ tribuimus. Ptolom. lib. 2. de Judic. Astror. multa ex Eclipsi divinatus afficere scilicet Provinciam cui incubuit, & tot annis, quot horis duraverit eventus juxta naturam signo-

rum in quibus contigit, & Planetarum dominantium, qui citiùs se produnt, si Eclipsis fuerit orientalis, tardiùs si occidentalis. Lunaris Eclipsis tot mensibus effectus spargit quot horis Lunā texit. Habet similia & Proclus. Mirum promittit Phænomenon Scalig. exerc. 75. his verbis: Si *luminis miracula vis videre vitreum cantharum super tabula in sole pone ubi sunt muscæ, earum imagines miris monstris omnem excitant admirationem.*

Solis diameter, quòd major sit pedali clarè evincitur per Ægyptiorum discursum, dum horizontem primus solis limbus cœpit stringere, clepsydram aperuerunt, & fluere permiserunt, donec totus sol oriretur. Hanc mensuram aquæ per totam diem fluere ac refluere voluerunt, inveneruntq; fluxus & refluxus fecisse 750. ex quo bene inferebant, si sol esset tantum diametri pedis unius intra diem non nisi pedes 750. confecisset, atqui terra incomparabiliter major, ergo nec millesimam terræ partem circumîsset. Alii evincebant esse majorem quàm milliari, dum enim inciperet exoriri, eqvum velocissimum emittebant, hic intra ipsius integram emersionē milliare conficiebat unum, itaq; intra diem confecisset milliaria 750, atqui

qui terra multò adhuc major, itaq; non totam obiiſſet. Itaq; eſt major diametro milliari. Cleomedes oſtendit ex umbra majorem quàm ſit tellus, hoc diſcurſu. Luminoſum æquale umbroſo dat umbroſi umbram intra paralellas ac proinde infinitam: Umbroſum minùs luminoſo dat conicam: majus, dat creſcentem umbram: atqui umbra terræ eſt conica, & conus ejus ad ſtellas non pertingit, alioqui nobis illas noctu abſconderet, itaq; terra longè minor eſt ſole. Quæ adduxiſſe placuit ut Aſtronomorum demonſtrationibus Geometræ faciliùs acquieſcant. Curſum annuum ſolis incertum habuerunt veteres. Philolao Pythagorico fuit dierum 365. Harpalo 12. horis major. Novem horis Oenopidæ. Metoni ſex, & hunc Soſigenes ſecutus, ſed adhuc erat juſtò major. Proinde ad æquos limites à Gregorio XIII. reduci debuit. Verùm non eſt idem momentum quo punctum æquinoctiale Sol ingreditur. Anno ante Chriſtum 142. ingrediebatur 25. Martii. Sed anno Chriſti primo 23. Anno Chriſti 140. Ptolomæo obſervatore ingreſſio facta 22. Tempore Concilii Nicæni 21. ejuſdem menſis. Anno 831. Thebit obſervavit ingreſſum.

17. Alfraganus 16, Anno 1090. Arzaël 15. Anno 1316. die 13. nostrorum Patrum ævo die 11. itaq; correctio Calendarii debuit fieri per dierum 10. ejectionem, quòd optimè confirmat, quia Eclipses Lunæ non eveniunt juxta Plenilunium quod vetus ponit Calendarium, sed sæpe aliquot diebus aliter id est, ut novo stylo. Zodiacum primus Anaximander Thaletis Milesii discipulus anno ante Christum 700. observavit. Hic est via omnium planetarum, lata gradus 12, licet à Luna excedatur.

CAPUT XV.

De luce Lunæ in Eclipsi.

Eclipsis in genere, est radiorum à lucido emissorum intercisio. Quando itaque Luna inter solem & terram directè incedit, fit Eclipsis solis, quando verò terra inter solem & lunam statuitur; accidit Lunæ Eclipsis. Quia terra est corpus opacum, ac solis radios sibi illapsos ulteriùs ferri non sinit, imò in aversam sui partem umbram projicit, quæ si superficiem Lunæ attigerit, eandem quasi extingvit. Præter hanc communem atque ordinariam umbram, est alia tenuior instar fumi aut vaporis lunam inficiens ante & post veram obscurationem, quæ tinctura, durat

durat ad 12. aut etiam 15. ſcrupula, & occupat in Luna ampliùs quàm tres digitos, umbra hæc admodùm exilis eſt, obtundit tamen ſplendorem Lunæ, & quaſi velo ſubtilisſimo præcingit, quæ umbra verſùs centrum Lunæ rareſcit, denſatur ad marginem, & umbram genuinam antecedit ſemper atque ſubſequitur, ut ſolem crepuſculum. Umbra ordinaria in eclipſi Lunæ rotunditatem præfert, & circumferentiam mundè præſcindit, ſi oculo ſpectetur libero, at ſi tubo utaris optico undique inciſam, qualis eſſe ſolet ora panni continuâ filorum dependentium, & ſemet conſequentium ſerie diſcriminata. Luna cùm tota obumbratur circa centrum ſive oculo ſive tubo ſcruteris, nihil penitùs lucis dabit, umbra autem ipſam obveſtiens verſus oram lividum quid è viridi & cæruleo repræſentabit, quæ verſus centrum umbræ terrenæ ſunt, ad cæruleum nigro mixtum vergunt. Luna cum centrum umbræ terreæ tranſit, tota latet, margines autem umbræ ſuâ luce perrumpit, tam in ingreſſu quàm in exitu. Color tranſparentis Lunæ per marginem umbroſum eſt ſubobſcurè albicans, flavo & rubro tinctus, in partibus verò centrum reſpicientibus ferru-

gineus, nigrore & ferri candentis rubóre immixtus, qui in partibus luci imperviis in colorem cœlesti similem desinit & durant istæ affectiones quamdiu Luna aliquid solennis lucis obtinet in immersione, aut recipit in emersione: interim superiùs versùs septemtrionem lux quædam flavo rubroque mixta satis notabilis Lunæ ingruit, quæ augetur usque ad exitum. Umbra terrestris quando extra discum lunarem versatur nullo indicio à reliqua cœli plaga discerni potest. Hæc partim ex observatione P. Scheyneri, partim ex nostra, postquam retulerimus: quærendum primò est quare Luna tralucet per umbræ medullam: non tralucet per umbræ segmenta: hoc est constituta sub umbræ medio affulget tota, sub particula verò umbræ lateralis penitùs obtenebrescit? Hoc inprimis non ex umbra videtur oriri: quia umbra in medio densior atque obscurior, in extremis rarior & luculentior existit, uti Optica docet, & in eclipsi dum Luna magis centro umbræ vicina, obscuratur magis, si ergo secundarium Lunæ lumen umbram in medio densiorem perrupit, cur non penetrâsset in latere rariorem? & si eadem umbra terræ centrum Lunæ supergressa eidem tran-

transſitum ad viſum præbuit, cur negâſſet initio, ſiquidem cauſa in ſola umbra cæteris invariatis reſideret? itaque ex umbra iſta phaſis non procedit. Neque iſte effectus adſcribi poteſt ſecundario Lunæ fulgori: aut enim fulgor ille Lunæ nativus, aut adventitius eſt, ſi primum, itaque ſemper lucet, & multò magis ſub extremitate umbræ tenuiore, quàm ſub medulla denſiore, ſi ſecundum, tum ille fulgor à ſole venit, nam aliunde venire non poteſt. Jam verò ſi hunc fulgorem Luna centraliter oppoſita participat, quando nimirum medium umbræ pertranſit, quantò magis ſi ex latere conſtituta vicinior eidem exiſtit? per defectum igitur ſecundariæ lucis in Luna hæc difficultas non tollitur: cùm lux hæc per totam eclipſim atque umbram terrenam vagetur, & major quidem ad margines, minor ad centrum. Quare igitur centralis conſpicitur, marginalis diſparet? Imò non diſparet; nam eadem umbræ ora centrum lunare ſupergreſſa ejuſdem ſuperficiei trajectum præbere incipit, quem paulò ante centrum conſtituta negavit, quare hoc? Perimeter Lunæ extra umbram æquali quoad oculum luce effulget, margo Lunæ idem obit oram Lunæ

orientalem ſub initium, & eam Lunæ partem viſui penitùs ſubtrahit: obit occidentalem ſub plenum Lunæ in umbram ingreſſum,& conſpicuam relinquit oculis,cùm tamen per ſe notum ſit æqualiter lucida ab eadem invariata & æqualiter applicata umbra æqualiter affici: item,idem lucidum invariatum, à duabus umbris æqualibus & ſimilibus ſimiliterque applicatis diverſimodè inumbrari non poſſe, Non igitur,vel duæ Lunæ extremitates diametraliter oppoſitæ diverſimodè ab eodem umbræ margine obſcurabuntur, vel duæ umbræ terrrenæ extremitates æquè claræ vel obſcuræ,denſæ vel raræ eandem Lunæ partem diverſimodè obumbrabunt, ita ut altera nihil, altera totum oſtendit, quod tamen fit. Itaq; rei hujus cauſa neceſſariò aliunde quàm à lumine petenda. Neq; poteſt hæc affectio rejici in variam medii temperiem. Quod enim illud? aër, vapor, exhalatio? Hæc omnia hebetant quidem Lunæ aſpectum, ſed non tollunt. Vel ſi tollant, cur tam regulariter in omni Eclipſi non recurrunt? Vel ſi recurrerent, totius Eclipſeos non ſolius Lunæ partis conſpectum eriperent. Non autem ſolam Lunæ fimbriam, eamq; tum

ſolùm

ſolùm cùm umbra vel creſcit vel decreſcit in Luna, minimè: Verò quando ab umbra penitùs inſidetur. Imò cùm Luna reſpectu vaporum ſit alta admodùm, vapores autem demisſi, mora etiam quâ Luna ſegmento umbræ fuit concluſa & abdita, dimidiatæ plùs minùs horæ exiſtit, ſequitur, vel illam vaporum colluviem unà cum umbra intrâſſe, unà cum umbra motu tam difformi incesſisſe, & ejusdem cum umbra figuræ fuiſſe, vel Lunæ totum corpus obtexiſſe, quæ omnia incredibilia, & ultimum evidenter falſum, cùm Luna puriſſima totumque cœlum defæcatiſſimum tempore eclipſeos aliquando ſit, & eadem illa circa lucem affectio æquè contingat, quòd nimirum Luna initio & in fine diſpareat. Neq; ab Aſtronomis omnibus, neq; omni ævo, neque ex omni loco hic effectus æquè ſpectaretur, ſi temperie medii contingeret. Cenſemus itaq; ſegmentum Lunæ, licet principio & fine eclipſeos penitùs obumbretur, à parte rei tralucere, & neceſſe eſſe ut traluceat, tametſi non videatur, & non videri neceſſe eſt, tametſi traluceat. Quod objectum lucere poſſit & non videri, manifeſtum eſt ex ſtellis, quæ de die lucent clarè radiosq; ſuos in

in oculum cœli contemplatorem mittunt, tamen non cernuntur. Stellæ minimæ noctu cœlo puro lucent, tamen in visum non veniunt. Maculæ solares quæ sunt sub sole, suas ad nos quotidie species demittunt, eas tamen libero oculo quis advertit sole horizontali conspicabili? Quòd verò Luna in tenebris traluceat, hâc ratiocinatione evincitur. Id quod in tenebris lucidum est tralucere per medium, sive suas species lucidas propagare necesse habet: Luna verò eclipsata est lucida, igitur eam tralucere est necesse. Primam propositionem quotidiana solidat experientia, quia tenebræ etiã densissimæ tantùm non valent, ut carbo ignitus, cicindela, lignũ putridum, lapis Bononiensis in illis non luceant. Et ratio est, quia omne lucidũ, lumen, seu radios luminosos, seu speciem lucentẽ positivã à se sphæricè emittit. Umbra autem, seu tenebræ nihil sunt, nisi lucis privatio, ergo ubi lux est, ibi ejusdem privatio esse non potest, itaque quod lucidum est, dum manet lucidum, impossibile est ut sit obtenebratum. Jam secundam proportionem firmamus, quæ adstruebat Lunam in Eclipsi esse lucidam. In meditullio umbræ densissimæ lucet Luna, ergo

&in

& in terminis raræ umbræ, idque multò magis. Item lunaris margo ortivus emicat ex ora Lunæ orientali, idem itaque facit sub ora occidua, cùm Luna sit ejusdem lucis & margines æqualis densitatis, itaque quòd sub exitum atque ingressùm eclipseos transparitio Lunæ lateat, sola, unica, & genuina, causa est, Lux lunæ primaria adhuc durans. Hâc enim solâ demptâ luce prodit transparitio, hâc redeunte abit. Quod ipsum accidit in vetere & nova luna, quæ quò minus habet lucis primariæ, hoc plus ostentat secundariæ, quò plus illius acquirit, hoc amplius deperdit hujus. Ratio est. Quia omnia lucida vehementiora hoc habent, ut suffocent aspectum debiliorum. Sic solis præsentia diurna omnes ex aspectu stellas eripit. Sic Luna erigit minora sydera obtutui: sic fumus, uti in officinis calcinariis & metallicis passim est cernere, est fumus de die, de nocte ignis. Species visibiles in loco tenebricoso visum afficiunt, in luculento nihil movent, aut nihil proficiunt, non quia non sunt, sed quia lucis copiâ obruuntur. Hujus ipsius ratio ulterior hæc est. Species visibilis ab objecto vehemente in organo visûs recepta, ita ad se potentiam videndi attra-

attrahit, uti minùs species potens in eandem potentiam valeat nihil, id quod clara, indubitata, quotidiana experientia reddit indubitatum. Cùm ergò primaria Lunæ lux admodùm sit efficax, secundaria langvida valdè existat, fit ut hujus species in oculo depicta ab illius vivacitate hebetetur, & sic admodùm ægrè, vel omninò non sentiatur. Veteres Eclipsim Lunæ maleficis attribuebant, credebant enim illam de cœlo propter carmina magorum descendere, & sic herbas humectare. Unde Lucan. lib. 6. cecinit.

Et patitur cantu tantos depressa labores.
Donec suppositas propior despumet in herbas.

Hinc passim traditũ carminibus Lunã detrahi de cœlo, de quo Virgil. Eclog. 8. Ode 5. Horat. epod. Ovid. Metamorph. 8. hinc apud Plin. lib. 2. c. 11. ne Luna incantationem audiret ejus cultores crepitaculis obstrepebant. Sed quid illa, inquies, & unde sit lux secundaria? utrum adventitia à sole, an congenita Lunæ? diximus ubi naturam Lunæ explicuimus, & nunc idem dicimus, à sole videtur non esse, quia manet in plenissima Eclipsi, & quia in senescente ac nova Luna maximè apparet hic splendor, quando à tergo solem habet, igitur videtur esse non

posse

posse à sole. Est tamen à sole orbem lunarem utpotè naturâ diaphanum penetrante, quòd jam pridem Scheynerus in suis disquisitionibus fusè demonstravit, & nunc breviter ostendimus. Primo: Si splendor ille innatus esset Lunæ, quò densiores affunderentur à terra tenebræ, hoc ipse magis eluceret, quia hæc est lucidorum indoles per tenebras clarescere. Atqui hujus contrarium accidit, minùs enim conspicua est Luna in centrali quàm laterali Eclipsi. Secundò. Splendor Lunæ innatus eâdem semper fulgeret intensione in omni loco, & ex omni parte Lunæ, eò quòd innatus, adeoque invariabilis esset; at verò tam Luna tota, quàm pars ejus quælibet debiliùs atque obscuriùs ex umbra densa promicat, fortiùs & clariùs ex rara. Varietas etiam colorum hanc lucem inficientium arguit, non à Luna, sed aliunde omnia ista evenire. Quocirca radij solares in atmosphæra terram ambiente refracti, Lunam etiam centraliter eclipsatam, pervadunt, uti probat Scheynerus in refractionibus cœlestibus cap. 56. itaque illi hanc in Luna phasim excitant. Si enim tantæ iidem radii potentiæ sunt, ut solem nondum exortum, vel jam tectum horizonte con-

ſpectui noſtro ſiſtant, auroræ varietatem in vaporibus contemperent, idque unius & ſimplicis refractionis in atmoſphæra beneficio, quantò magis hanc luculam ſuperficiei lunari impingent, ubi radiorum ſolarium geminatur refractio? ſed unde tandem ille tantus ac tam diuturnus in Luna ex parte Boreali ſplendor? tantum ab atmoſphæra fulgorem produci improbabile, eundem ab aliqua nube ex latere Aquilonari reflecti impoſſibile. Conſiderato itaque loco Lunæ, atque ſitu terræ, qualem exhibet globus à Tychone exquiſitè elaboratus, alteri rei hanc lucem nequeo tribuere, quàm refractioni ſolis in Oceano Arctico factæ. Radios verò ſolares ab aquis non tantùm reflecti, verùm & refringi notisſimum eſt. Ex hac Philoſophia eruo, unde ſit, ut Eclipſes Lunæ magnitudine alioquin æquales inæqualiter tamen luceant cæteris omnibus paribus, inde nimirum id evenit, quia atmoſphæra aliter & aliter afficitur, & quia non eodem modo aſpicit Luna Oceanum, qui ſi tinctos ſolis radios in Lunam deferat, ſplendidiorem reddet, quàm ſi iidem radii extremitatem raderent terræ, ſic enim extra Lunam caderent, Ex eodem fundamento rationem diverſi-

versitatis colorum eruimus, ex eodem ántecedentes & consequentes, veluti fumos aut nebulas in Luna deprehendimus, sunt enim ij umbræ ab atmosphæra vel per radios refractos coni umbrosi ramenta dilutiora ex eadem etiam ejusdem umbræ extremitates asperas explicamus, & varia Judiciariorum terriculamenta ridemus.

CAPUT XVI.

De Cæli mirabilibus.

Exhibet verò cœlum, multa quæ miretur Philosophus, pauca ex doctissimis Astronomis proponimus. Sol moratur diutiùs in signis æstivis dies 8. horas 8 quàm in brumalibus, quamvis utraque ejusdem cœli constituant semicirculos. In auge motu proprio peragit min. 57. in opposito verò Augis gradum 1. min. 1. sec. aliquot, cum itidem sint semicirculi. Lunæ motus aliquando in die graduum est 14. min. 24. aliquando graduum 12. min 8. Superiores planetæ, & infima omnium Luna, ita à sole digrediuntur, ut varios aspectus, etiam oppositiones cum illo constituant: medii verò planetæ, Mercurius & Venus, nunquam ita elongantur. Sol nunquam deserit Eclipticam, alii planetæ ab illa recedunt, neque æ-

quales moras recessui impendunt, & Luna, quidem usque ad gradus, quinos evagatur. Saturnus toto biennio diutiùs moras trahit in latitudine septemtrionali, quàm in Austrina. Mars singulis annis mutat latitudinem, licet aliquando diuturnior sit in australi. Quoties Saturnus, Jupiter, Mars, Soli conjunguntur, toties sunt in apogæo suorum epicyclorum: quod si verò illi opponantur, semper sunt perigæo, tanti est conjungi Principi, ut ab illo discedere. Saturnus cùm à Sole signis tribus discesserit, stat. Idem evenit Jovi, si tertiâ parte cœli se ab illo amoverit. Eccentricus Lunæ, & deferens Apogæum in diversas partes moventur hâc lege, ut lineam medii motûs solaris relinquant in medio, illaque transeat liberè inter apogæon eccentrici & centrum epicycli; ac proinde centrum epicycli Lunæ in omni oppositione & conjunctione mediet in apogæo deferentis, in quadraturis verò in ejusdem perigæo reperiatur. Venus à Sole ultra gradus 50. non abit. Mercurius neque accedit propiùs, neque magis elongatur gradibus 30. Idem est Apogæum Solis & Veneris. Prostaphæresis etiam centri Veneris ferè est æqualis prostaphæresi

anoma-

anomaliæ Solis: Mercurius & Venus quoties cum Sole conjungitur, semper est in apogæo aut perigæo sui epicycli. Venus omnes latitudines contrarias perficit Mercurio, planetæ qui maxime à Sole remoti, minimos habent epicyclos ratione suorum deferentium, ut Saturnus, & Luna majores, Jupiter & Mercurius; maximos, Mars & Venus qui sunt proximi Soli, sed tardiorem conficiunt motum epicycli qui sunt viciniores Soli, ut Mars & Venus, citius moventur Mercurius & Jupiter, velocissimus est motus epicycli Saturnini & Lunaris. Mira & planetarum facies, quæ nunc major, nunc minor comparet. Mira illuminatio Lunæ, mirus ordo planetarum, qui musicarum consonantiarum proportionem ut est nunc apud Kircherum in Musurgia & olim apud Pythagoricos, scitissimè efficit. Miræ parallaxes, motus fixarum, conspectus Eclipsium ita admirandus ut authorem suum omnis sapientiæ ac scientiæ omnis, fuisse & esse protestetur.

CAPUT XVII.

De Cœlo empyreo.

Fides nos docet, DEum sibi veluti gloriæ sedem, cœlum elegisse supremum, hoc em-

pyreum dicimus, cui Beatorum pedes ut so-
lido inambulant. Intra hos cœlos Beati, non
non verò solùm supra, alioqui tota Beato-
rũ corpora essent extra cœlos, commoran-
tur; quare benè commentatur Lessius, Caus-
sinus, ac alii, intra hujus cœli vastitatem pœ-
nè immensam, fornices quosdam esse cry-
stallinos, eosque repletos loco aeris corpo-
re quodam suavissimo atq; spirabili, quod
sensationibus serviat, Beati etiam non sem-
per penetrant, sed pro libitu, alioqui nu-
spiam possent consistere. Motus hic nullus
corporum inanimorum, quia nulla motio-
nis causa, aër & aqua moventur ne putre-
scant, astra ut nobis designent tempora. At
cœlum illud est Dei domus, quam decet im-
mobilitas. Decet etiam Beatos non circum-
agi, sed stare in atriis illius sanctæ Jerusalem,
ac domicilii perpetuæ quietis. Habet illa
domus lucem quâ gratissimâ oculos illo-
rum felicium demulcet Incolarum. Quid
verò intra illam domum lateat Paulus non
dicendo dixit. Nec oculus vidit, nec auris
audivit, Joannes dixit esse civitatem, Eze-
chiel templum, Sunt illic gemmæ, sunt u-
niones, sed qui nostris ampliùs præstent,
quam nostri luto. Ibi Angelorum innume-
ræ

ræ myriades, frequentia enim civitatem decet, ibi dulciter memorant quæ in terris perpeſſi, quæ egregiè geſſerunt, & toti in laudibus miſerationum Dei, hæc illius templi actio. Recordantur quàm miſeras in terris nobiſcum habuerunt ſcientias, quibus obnoxii erroribus ac caſibus, ibi vitam in ipſo fonte bibunt, quàm nos hic deguſtamus & tam fæculentam! Ibi inquit Aug. in Pſ.36. *Vacabimus, vacabimus & videbimus videbimus, & amabimus, amabimus, & habebimus. Ibi* ut Greg, 2. in Job c. 7. *Deus inter omnia, extra omnia, ſupra omnia, infra omnia, &c. Surſum regens deorſum continens, extra circumdans, interior penetrans, nec aliâ ex parte ſuperior aliâ inferior ſed unus idemq́ꝫ, totus ubiq́ꝫ præſidendo ſuſtinens, ſuſtinendo præſidens, circumdando penetrans, penetrando circumdans.* Nomen empyrei primus apud Cauſſ. de Domo DEI circa annum 850. induxit Strabo monachus Fuldenſis.

SECTIO III.
De Cœli activitate.
CAPUT I.
De Aſtrorum influentiis.

Lux aſtrorum habet inter cætera, ut ad

ſe attrahat plantarum ramos. Accipe enim cucumerem maturum, eique infige grana avenæ, ac loco obſcuro ſuſpende, tantummodò exiguâ relictâ rimulâ, quâ à luce reſpiciatur, ubi effloruerit avena, tota ſe verſus rimã obvertet, ſed idem ſpectabis etiam in aliis plantis ſimili enatis loco.

Sed præter lucem dantur etiam aliæ vires aſtrorum, quas vocamus influentias, & quia non ſunt communes illis, quas in aliis corporibus experimur, vocamus occultas, quibus præter cætera, metallorum attribuuntur intra viſcera terræ generationes, quò lux nullo modo pertingit, idque juxta illos verſiculos.

Nobile ſub terris Sol *igneus educat aurum*:
Argentumque nitens frigida Luna *parit.*
Martius *abſtruſis* ferrum *erro meatibus infert,*
Plumbea Saturnus *creſcere* dona *jubet.*
Progenerat ſtannum *Rex Jupiter ipſe Deorum,*
Mercurium Mercur. percoquit, æra Venꝰ.

Verùm iſta combinatio magis ſimilitudini, quam habent metalla cum planetis, quàm efficientiæ adſcribenda. Tribuitur Saturno plumbum quia eſt frigidiſſimum, ut juxta Galenum etiam Nymphæam ſuperet. Ferrum Marti, quia ferrum & ſiccum & metal-

lis

lis calidius, & ignem continet, & est amarum. Mercurius claram habet cum suo planeta similitudinē, quia fit unum quodq; cum quovis metallo, sicut enim planeta ille cum bono bonus, cum malo malus, ita argentum vivum cum plumbo est plumbum, cùm ferro ferrum. Hâc discurrendi methodo vegetativa quædam subjiciuntur planetis, *Saturno* quidem omnia quæ nascuntur loco horrido ac inamæno, quæ colore sunt fusco aut nigro, aridis fibris, odore ingrato, locis gaudent nemorosis atq; obscuris, talia sunt cicuta, aconitum helleboris, cupressus, &c. *Jovi* quæ sapore & odore svavi, colore rubro vel cæruleo, foliis planis, quæ sunt oleosa, quæ pingui gaudent solo, ut balsamum, lilium, centaurium, rosa, corallium, amygdalus. *Marti*, quorum color tendit ab rubiginem, quæ sunt aculeata, aspera, corrosiva, sapore acri atque urenti, quæ siccos amant locos. Ejusmodi sunt urtica, cardui, rubus, rhamnus. *Soli* quæ odorata, grati saporis, colore flavo, vel fulvo, loco aprico & meridiano, ut Crocus, helenium, rosmarinus, hypericus. *Veneri*, quæ odorata, dulcia, flore albo, foliis glabris non laciniatis, humore lento, ut

lilia omnia, satyria, narcissus, nymphæa, ficus, hiacynthus. Quæ coloris sunt varii *Mercurio* attribuuntur. Gaudent locis arenosis, siliquas gerunt, odore sunt subtili, ut Juniperus, trifolia omnia, corylus, juglans, sambucus. *Lunæ*, Mollia, crassa, succulenta, sapore aqueo, vel subdulci, locis palustribus, citò adolescunt, ut cucurbita, cucumeres, melones, brassica, lactuca, pæonia, fungi. Sic civitatem alicui subjiciunt signo quia illius influxus exprimit. Ex hoc discursu vocant aliqua signa masculina, quòd sint magis efficacia in agendo, quàm alia: quæ vocant fœminina. Taliter planetis attribuunt *morbos* certos, ut *Saturno* frigidos, siccos, diuturnos, quales sunt phtysis, catharrus, hectica, hydrops, lepra. *Marti* morbos acutos, calidos, ut febres &c. Sic etiam subjiciunt ex humoribus, Jovi sangvinem, Marti choleram, Saturno Melancholicam, phlegma Lunæ. Sic potentias: attractivam, quia est calida & sicca, Soli. Digestivam, Jovi, Retentivam Saturno. Expulsivam Lunæ. Ita è membris quædam signis Zodiaci, correspondent. Nam tria sunt in cœlo calida signa, nempe, Aries, gemini, Leo, his respondent Cor, hepar, & generativa.

nerativa. Tria ſigna frigida, Cancer, Taurus, Virgo, his inteſtina, diaphragma, veſica. Tria humida, Scorpius, Aquarius, Piſces, his cerebrum, ſtomachus, pulmo. Tria ſicca, Capricornus, Sagittarius, Libra. Iſtis proportionantur, Splen, fel, renes. Eodem modo generatio animalis noſtri planetis adſcribitur. Quia materia embryonis coagulatur per ſiccitatem & frigiditatem aliquam, hoc Saturni opus eſſe cenſetur, & ſic illius primus menſis eſt quo utero fœtus defertur. Alter menſis Jovis qui materiam calefacit & humectat, tertius Martis qui calore format membra. Quartus ſoli, qui corroborat. Quintus Veneri datur, quæ partes teneriores, ut digitos, aures, &c. effingit. Sextus, Mercurio, qui inſtrumenta vocis, ſcilicet guttur, lingvam, palatum, labra. Septimus Lunæ, qui carnem humiditate replet. Octavus rurſus Saturni eſt, qui ſiccat & infrigidat. Idcircò nati hoc menſe non ſunt vitales. Regna etiam ipſa plantis ſubjiciunt prout mores temperamento planetæ ſymbolizant, ſic divisâ ſphærâ in climata ſeptem. Robertus Flud Saturno ſubjicit clima quod per Meroën Jovi quod per Sienen, Marti quod per Alexandriam,
Soli

Soli quod per Rhodum, Veneri quod per Romam, Mercurio ſextum clima, ultimum quod per Boriſthenem, Lunæ. Sed unde vires hæc ſumit argumentatio? Certè nunquam excurrit planeta tam procul ut directo radio feriat quintum, ſextum, aut ſeptimum clima. Mores etiam hominum ſub eodem climate ſunt diverſiſſimi, quod facilè patebit, ſi orientales cum occidentalibus contuleris, neque urbes unius climatis eodem Planeta dominante ſunt erectæ. Herbas & plantas alii aliâ ratione Planetis attribuunt, quòd ſcilicet quoad gradus caloris frigoriſvè, quos illi deſignant tàm in plantis quàm Planetis conveniant. Nam calidum in primo gradu volunt eſſe Jovem, in ſecundo Solem, cum Jove; in tertio Martem cum Sole; in quarto Martem. Frigidam in primo Venerem, in ſecundo Lunam, in tertio Lunam cum Saturno, in quarto Saturnum. Humidum in primo Mercurium cum Jove, in ſecundo Venerem cum Luna, in tertio Venerem, in quarto Lunam cum Venere & Mercurio conjunctam. Siccum in primo Jovem, in ſecundo Mercurium cum Sole, in tertio Solem cum Marte, in quarto Martem cum Saturno.

CAPUT

CAPUT II.

Quædam falsò astris attribuuntur.

Influxibus plura à nonnullis attribuuntur quam recta sinat ratio: cùm certum sit ea nullatenùs directè in animam nostram agere nisi corpora alterando, cui ita obsisti potest ut dictum sit meritò: *Sapiens dominabitur astris.* Hoc nomine infames habentur Astrologi, quod necessitatem in liberos nostros invehere credantur actus, sed ut nonnisi rei vapulent, distingvendum est inter Astrologiam naturalem & judiciariam. *Naturalis* est quæ ex conjunctione oppositione, ortu, occasu, siderum; prædicit tempestates aereas, morbos, fertilitatem, & ista nititur præcipuè concludere ex ista constitutione stellarum, quæ est initio diei, veris autumni, vel anni, ut possit de toto die vel anno pronunciare. Imò ulteriùs sæpe progreditur & ex constitutione stellarum quæ inveniuntur in instanti quo homo nascitur, pronunciat de temperamento & humore infantis, an futurus sit ingeniosus, sangvineus, &c. *Judiciaria* prædicit ea quæ ex libero arbitrio pendent. & à meris fortuitis casibus ut de divitiis nati, de matrimonio, honoribus, genere & tempore mortis, de officiis. &c.

CAPUT

CAPUT III.

Dari occultas qualitates astrorum.

Dari occultas qualitates non in solis astris sed etiam in magnete experimur, quib9 acum nauticam agitat: ab astris autem illæ proveniunt, quæ conchylia implent, quæ generant angvillas, quæ in lignis teredines, ex putrilagine limaces, mures; ex fimo bubulo vespas, fucos: ex madore aëreo erucas. Hæ noctambulones erigunt; medullas arborum, ossium, cerebrum augent, aut attenuant: Morbos Epidemios & universales, repentinos, animalium luem, ventos, frigora, æstus, siccitates, tempestates, serenitatem inducunt. Hinc solem sequuntur heliotropium, Tragopogon, Ornithogalum, Lupinum, Trifolium, quod ter in die mutat colorem, nam mane candet, meridie purpureum, vespere puniceum. Caniculæ exortu silet luscinia & Coccix. Milvus à solstitio podagrâ laborat. Item ut Joan. Jonstonus in Thaumatogr. Animalia anno Bissextili sterilescunt, etsi hoc nescio, quid faciat ad rem, cùm Bissextilis ex humano sit placito? Pelles Zebelli crescente Lunâ erigunt capillos, decrescente flavescunt. Qui nascuntur interlunio sunt langvidi & membris

bris affectis. Qui in Novilunio existente Lunâ in Ariete vel Scorpio, melancholici. Die solstitii, olea, tilia, populus, ulmus, salix, folia circumagit, & aliâ facie cœlum respicit quàm pridie. In Brumali solstitio aridum pulegium pendens florescit. Ocymoides nonnisi noctu floret & fragrat. Cichoreum, Heliotropium, Lupinum, Malva, Tragopos, ornitogalos flores obvertit soli, eumq; consequitur, (quanquam in heliotropio maturo non ita fieri observavi) convertuntq; se ab ortu ad occasum, idq; etiam nubilo die, & quidem in ortu se explicant, in occasu contrahunt. Lothos de die folia explicat, noctu colligit. Oriente Syrio tinni marini æstro corripiuntur, occyx occultatur, mare magis æstuat; cùm Luna, omnia ostrea, conchylia, conchæ, crescunt quoad carnem, & decrescunt. Arbores cæsæ crescente Lunâ si in ædificium convertantur, cito putrescunt. Lunaria herba quot diebus Luna recedit à novilunio, tot folia protrudit, & quot illa discedit à plenilunio, tot dejicit. Selenites lapis (ut vulgò creditur) imaginem Lunæ juxta incrementa diurna refert. Formica esto sit cæca juxta Aristotelem,

totis

totis noctibus in plenilunio laborat, in novilunio quiescit. Plinius refert, soricum fibras numero dierum Lunæ respondere. Galenus de menstrua mulierum purgatione docet quòd Lunam sequatur. Medicinæ exhibitæ dum Luna in aliis signis, aliter operantur, quàm dum est in aliis. Cùm Luna in Tauro aut Cancro est, humidissima omnia facit. Cùm in Ariete, Tauro, Capricorno, si medicinæ purgantes exhibeantur, vomitum cient & nauseam. Dum Luna est in Geminis, vena brachii non sine damno secatur. Dum Luna Jovi conjuncta pharmacum laboriosè operatur. Marsilius se expertum scribit, quando Luna est juncta veneri medicinam vix movendo proficere. Et plura habet Macrobius Maginus, & alii. Murium jecora hyeme grandiora, semina malorum die solstitii in contrarias se vertunt partes. In Germania fuit Juvenis teste Forrero, cui superius labium usq; ad enormitatem Lunâ crescente crescebat. Qui vulnus acceperunt vel ossis fracturam, in Lunæ aspectibus patiuntur. Puero cuidam, eodem Forrero teste, signum instar fragi erat in pede, hoc maturescentibus fragis & ipsum rubebat. Lunam seqvuntur

æstus

æſtus marini. Eſt arbor quædam teſte Pineda in Salomone, proæmio lib. 3. cap. 22. cujus radices quæ ſpectant Orientem ſunt antidota, quæ occidentem venena. Prodit etiam aſtrorum influxum tenera puerorum ætas, qui dum Mars bella viris parat, arma tractant; præliis præludunt, acies inſtruunt. Dum Saturnus funera diſponit, pueri funebria tractant, deducunt ſimulata cadavera, pompas exequiales inſtruunt, cantus celebrant: & in aliis fortè aſtrorum influviis qui vellet obſervare, in hac ætate, ſimilia notaret. Cùm ova gallinis ſubjicienda non interlunio id fiat, quia exſucca, & quod inde prodibit membra præcipua affecta habebit. Hæc arguunt occultas qualitates.

CAPUT IV.

Connexio Corporum ſublunarium cum aſtris.

Sydera cum diversè locantur diverſè influunt, patet id in ſole & Luna, quædam enim in novilunio fiunt, quæ non in plenilunio. Et ideò nautæ & agricolæ eorum rationem habere tenentur. Ex influxu oritur, ut inferiora cum aſtris habeant ſympathiam, multa id docent. Videre id eſt in herbis & lapillis, ſic heliotropium & lupi-

num conſeqvuntur ſolis motus : ulmus verò, ſalix, tilia, populus, olea, motum ſolis in latum reſpiciunt. Reperiuntur & animalia apud Indos quæ colorem variant, prout variatur Luna. Et in Hybernia corrigiæ, inquit Campanella, de porcelli marini piloſo corio factæ erigunt ſubmittuntq; pilos ad fluxum, refluxumq; maris, quod Lunā ſequitur: item formicæ & apes Lunā imitantur. In Provincia Chinenſi Xenſi narrant lapidem quendam ad Lunæ incrementa & decrementa variari, idem de Selenite dicitur: ſed Kircher in China ſua utrumq; inter fabulas habet. Origo verò fabulæ, quia hi lapides ſicut talcum politi, & ſic perfectè Lunæ imaginem inſtar ſpeculi reddunt, ex hoc modo ejus phaſes referunt. Maria fluxum & refluxum quàm diurnum, tam menſtruum habent à Luna, idem de multis fontibus, idem de morbis certum. Quæ ſeqvuntur à Nierembergio in hiſt. nat. habemus. Cynocephalus horas diei noctisque latratu & lotii emisſione indicat, teſtis Horus Apollo. Gallus & coturnix tempora noctis notat, himerobios cum ſolis ortu naſcitur, cum occaſu occidit; heliodromos avis cùm ſol oritur orientem petit, cum occaſu

casu occidit. Ælurus oculis diei progressus indicat, manè enim oblongiores habet, meridie rotundos, sub noctem obscuros, idem ejusdem oculi imitantur lunam crescendo & decrescendo. Cynocephalus silente Lunâ se abscondit & cæcutit. Scarabæus novilunia indicat globulo quem volvit, uti Crollius scribit lib de signat. rerum. Eumq; per dies 28. abscondit, dum nova Luna oriatur proles excludit. Verùm excludit & alio modo & velociùs. Die solstitii visio avis prodit. Cynocephalus æquinoctium manifestat, cicada æstatem, papilio ver, pluvias prædicit lasciviens Delphinus, affixus echinus, volitans loligo, matutinus fulicæ clangor, rana vociferans, noctua garrula, grus silens, alcyon nidulans, mergus fugitivꝰ, anas expurgans plumas, ardea tristis, bos odorans. Parra avis die Syrii orientis fugit: Oryx fera Ægypti cœlum speculatur & caniculæ ortum observat. In solstitio olea, tilia, populus, ulmus, salix folia circum magunt. Caussinus de domo Dei lib. 2. cap. 14. etiam sangvinem humanum cum accessu & recessu Lunæ crescere & minui: Stengelius lib. de Monstris cap. 5. & 6. Halæ in Tyroli fuisse juvenem dictum Bonaquistus,

cui Lunâ crescente, caput Tauri cum cornibus ex ventre excrescebat, decrescente decrescebat. Aliqui flores aperiuntur sole orto qui per noctem contracti fuerunt. Id quidem fieri credimus, quia humore suscepto atq; moto remitti iu latitudinem est necesse. Alii clauduntur, quia parum obtinent humidi abeuntibus particulis calore digestis curvantur, curvantur autem quia rarefactis mentibus in abeuntium partium loca solidas partes succedere necesse est, condensatur ergo superficies, ideò fit brevior Nic. Caussin. de Domo Dei, scribit. Malum punicum quot diebus ab interlunio seritur, tot annis dat fructum, pulegium suspensum in tectis floret mediâ hyeme. Arist. in probl. Orionis exortu dies maximè Variari flatusq; importunos commoveri. Cepa decedente Lunâ reviviscit, crescente decrescit, &c. quæ & dictam connexionem probant, & occultas astrorum qualitates.

CAPUT V.

De Pseudo Astrologia.

Peripatetici veteres negabant dari dæmones, sed eos omnes effectus qui per Cacomagiam procedunt, astris attribuebant durum id visum Platonicis, quia videbant mul-

multos in energuminis effectus, ut loqui variis lingvis, occulta prodere, & ejusmodi astris non posse attribui, Aristoteles fortè corruptus eo loci in probl. & Gal. hoc effectus atræ bili tribuerunt. Sed quàm priores quàm istos Communis refutat omnium sensus. Quis enim credet quòd vel astra inanima, vel humor exuperans possit lingvarum dare notitiam, & quæ peregrè geruntur, hic denunciare? Finxerunt alii dæmones aëreos, quos directè subjecerunt actioni cœlorum, astra etiam animata voluerunt esse, atque ita animam nostram directè animæ illorum voluerunt subjectam, quo solo fundamento Pseudo Astrologi ad horam interrogationis erigebant themata, quia credebant ab astris interrogantem impelli ad interrogandum. Et his falsis principiis Astrologia divinatrix nixa, multa invexit absurda, ut dicitur 1. p. q. 115. a. 6. Sed & in agentia non libera & si cœli agant directè, non est tamen semper effectum sequi necesse, quia non semper sunt adæquata causa, proinde potes alia concausa deficere, scilicet materiæ dispositio & aliæ conditiones. Præterea primi Chaldæi & Ægyptii qui maximè hanc Astrologiam excoluerunt

fuerunt Idololatriæ deditisſimi, ac in Philoſophia naturali parùm verſati, ut ait Hugo Sempilius, & fatum invehebant ac neceſſitatem, atque ita futura libera neceſſariò fieri, & certò poſſe prædici. Horum qui ſecuti ſcientiam ſecuti & errorem, uſque adeò ut omnem homini libertatem adimerent, ob quem errorem Aquila Ponticus Chriſtianitate excluſus. Erexit deinde hoc malum Priſcillianus Hiſpanus Epiſc. Abulæ, à quo Priſcillianiſtæ, uti eſt apud Baron. anno 381. quo ipſo damnatus hic error à Concilio Cæſar Auguſtano, & tandem ipſe author luit capite. Plura de hoc in noſtro Calendario. Eſt ſcriptura contraria in locis pluribus quam perſequi non eſt noſtri inſtituti, ſunt PP. Irenæus lib. 4. c. 71. Athanaſ. ſerm. de Paſſione. Baſil ſerm. de lib arbitrio, Epiph. hæreſi 16. Damaſc. de fide lib 2. c. 26. S. Aug. 5. Civit. 10. Leo ſerm. 16. de Paſſ. Bern. lib. de gratia & libero arbitrio, & alii. Sed & Ariſtoteles contrà, qui docet dari in nobis electionem, & in libertate eligendi, virtutem conſtituit. Eſt ſanior contrà & Aſtrologia. Nam Ptolomæus lib. 1. de Judiciis cap. 3. dixit. *Qui ſciens eſt, poteſt multos effectus ſtellarum avertere,*

tere, quando naturam eorũ noverit, & ſeipſum præparaverit. Imò inſanæ Aſtrologiæ Profeſſor Julius Firmicus idem docet lib. 1. cap. 3. Idem Albumaſar in defenſione Aſtrologiæ. Jura etiam libertatem ſupponunt, quæ pro delictis juſtas infligunt pœnas. Demum quis non rideat ſi dicas, omnes Judæorũ filios debere ſub eodem naſci aſtro, quia omnes die octavo ſors eadem manet circumciſionis. Quis non rideat omnes Chriſtianos ſub eadem cœli conſtitutione, debere oriri, quia omnes baptiſantur. &c. Quis non rideat Manilium lib. 4. Omnia ſcelera per aſtra excuſantem. *Non noſtrum hoc bellum eſt, inquit, coguntur tanta movere. Inq́ſ ſuas ferri pœnas lacerandaq́ſ membra.* Hinc etiam dicit tanto magis bonos amore dignos, quia, *tanto eſt gloria major quæ cœlo gaudente venit, & nocentes oderimus magis in pœnam culpamq́ſ creatos.* Hujus Aſtrologi authoritatem adducit Lutherus aſſert. art. 36. pro ſuo ſervo arbitrio *certâ ſtant omnia lege.* Nec tamen deſunt etiam ex iis qui ſe volunt dici Catholicos, qui his turpibus & damnatis veſtigiis hæreant, quæ nemo Gentilium Sapientum attingere dignatus. Quocirca ſoli interim rectæ rationi inſiſtendo,
 dicimus

dicimus cùm Philosoph. 8. Phys. tt. 261. *Omnes motus qui sunt varii & multiformes reduci tanquam in causam in motum uniformem, qui est motus cæli.* Nimirum, sicut motus voluntatis nostræ juxta S. Thom. l. 2. q. 9. a. 5. reducuntur in causam uniformem quæ est in intellectu, ita materialia in motus cœli, sed cum certis limitationibus. Idem S. Aug. 3. de Trinit. c. 4. docuit, cùm dixit. Corpora inferiora moveri per superiora. Nam cœli influxus, ut causæ universalis, est indeterminatùs, & à causis particularibus determinatur. Itaque ex eo determinatè colligi etiam circa materialia nihil potest. Egent præterea subjectis agentia ut sint proxima, ut materia disposita: ex quo evenit, ut non omnes qui eodem nascuntur tempore, sint mares aut fœminæ. Et nati eodem tempore cum Aristotele non æquè ingeniosi, ut argumentatur contra Astrologos Phavorinus apud Gellium. Fatetur hoc ipsum Avenezra, cùm dicit. Multa quæ cœlum destinavit possunt non evenire. Vel quia materia non fit idonea influxui suscipiendo: vel quia humana ab arbitrio nostro dependent, vel quòd fatum particulare fati universalis potestate superetur, vel quòd fato

omni

omni potentior, & cœlo major divina providentia fieri aliter ordinet. Imò evitari prævisa possunt, & ad hoc prævideri ut evitentur. Nam Ptolom. *Potest sciens multos stellarum effectus avertere, ac se ipsum ante eventum rerum præparare.* Hinc Astrologus qui judicia tanquam certa de actibus humanis à libero arbitrio pendentibus, & casibus fortuitis ferre audet, incurrit juxta multos Theologos crimen hæreseos, nec in Hispania ab aliis quàm ab Inquisitoribus hæresum absolvi potest, quod latissimè deducit Pererius de Magia toto libro 3. ex PP. ex Jure sacro & Civili. Ex quo Pererio hoc argumentum non decuit omitti. Christiana fides vel est bona vel mala. Si bona, bene damnat Astrologos quoad libertatem humanam, si malæ, itaq; homines ad illam ab astris coacti, ac proinde tantùm mali astra causârunt. Vide quæ navarrus de restit. lib. 2. cap. 2. in p. salas 1. 2. q. 9. a. 5. d 2. sect. 3. a. n. 26. Suarez eodem cap. 11. a. n. 13. ad finem. Alex ab Angelis. Affini subjacent errori, qui astra quidem non esse causas nostrorum actuum, esse tamen signa infallibilia volunt, ita ut relictâ libertate nobis, certò nihilominùs futura prænuntient ad eum

modum quo prophetiæ. Hujus erroris reus Origenes apud Euseb. lib. 6. de præparat. Evang. cap. 9. reus Plotinus ejus condiscipulus, Porphyrius. His Julius Sirenus lib. 9. de Fato cap. 35. assistit, scripturam adducit, quæ Isai. 34. cœlum dicit aliquando instar libri complicandum, quasi modo sint libri aperti, ex quo possit legere peritias. O rem ridendam! item Gen. 1. ubi astra dicuntur posita in signa. Imò & Augustinum lib. 2. contra Manich. c. 21. sed ineptè adducitur hoc totū nā Aug. ibi nomine corporū cœlestiū utitur ad significanda gloriosa beatorū corpora. Ex Isaia deductionē refutat illud, simia etsi nobis similis non tamen est homo. Enim verò signū Philosophis, est vel ad placitū quale astra esse non possunt, quis enim illa constituit futurorum indices? Vel naturale, talia verò signa debent esse, vel causa, vel effectus rei, vel concomitans, ut simul cum aliquo à natura conjungatur, nihil verò ejusmodi, astris convenit. Sunt ergo solùm signa temporum, & licet cœli instar libri id est voluminis sint aliquando complicandi, non tamen sequitur nostros actus in illis scriptos, & nobis ad legendum propositos.

CAPUT

CAPUT VI.

De Astrologia sana.

Nimis tamen in alteram partem inclinant navim, qui nihil tribuunt astris. Datur Astrologia sana, quæ naturali Philosophiæ conformis, aëris constitutiones inquirit in ordine ad Nauticam, Medicam, Georgicam & animorum propensiones observat, sed nulla necessitate aut certitudine adstringit. De hac gloriatur Salomon sap. 7. 59. se à Deo accepisse stellarum dispositiones, & tenere scientiam illam quæ de futuris æstimat. De hac scripsit S. Th. opusc. 21. *Inprimis oportet te scire, quod virtus cœlestium corporum ad immutanda corpora inferiora se extendit, & ideò si quis astrorum judiciis utatur ad prænoscendos effectus corporales, puta tempestatem & serenitatem aeris, sanitatem & infirmitatem corporis, & similia quæ ex naturalibus & corporalibus causis pendent, nullum videtur esse peccatum.* Nec propter abusus tollendus videtur usus, alioqui nullæ scientiæ, nulla dona Dei essent admittenda, non cibus, non vinum, non vestis. Oderant multi primorum Christianorum universim Astrologiam, quia & id odium à Judæis, ex quibus orti acceperant vel à qui-

bus conversis, ipsi conversi oderant verò: Judæi quia plerique Astrologi fuêre Magi, cùm enim non potuissent arcana eruere per stellas, inquirebant per dæmones, & suis sacrilegis prædictionibus turbabant societatem humanam, rixas, odia, suscitando. Judæis præterea fuit cautũ lege ne Græcorum artibus filios instruerent, unde fuit exosa illis & Rhetorica, Poëtica, imò pro sacrilegio habebatur si quis vel nomen Jovis vel Apollinis pronunciâsset, inquit Nic: Caussinus de domo Dei: sed debellatâ penitùs idololatriâ, Eclesia resumpsit scientias, & ab infectione Gentilium repurgavit. Neque enim minùs decet nosse vires stellarum, quàm herbarum, aut lapidum. Triplici itaque casu Astrologiam cum magna voluptate atq; utilitate possumus exercere. *Primò* cùm de aëris mutatione, temporum varietate, tàm in genarali quàm speciali agitur. *Secundò* etiam Thema nativitatis inspicere si quid tamen in eo roboris, in ordine ad effectus naturales, uti docet Hugo Sempilius, qui scripsit in Regis Hispani aula. *Tertiò* cùm observanda tempora, loca, in ordine ad Medicinam, Agriculturam, vel Nauticam. Quod & dæmones in suis

operi-

operibus attendere notavit S. Thom. apud Campanellam, & Alb. M. in speculo, neq; enim hoc est arbitrium nostrum Stellis subjicere, sed scirè uti Stellis, præter hæc omnia alia, atque alia judiciorum genera suspecta sunto. Proinde electiones temporum ad quædam agenda licitè fiunt, tales sunt 1. Quando sangvis minuendus extra necessitatem. Quo in casu spectatur tempus vernum aut autumnale, dies serena, venti orientales aut septemtrionales, lenes, hora matutina post peractam digestionem, signa bona in quibus Luna existit, boni planetarum aspectus. 2. Tempus balneorum & scarrificationum licet eligere, sive illæ munditiei causâ, sive medicamenti adhibeantur, id autẽ tempus est ab experientia, cùm Luna est in libra, aut piscibus, & Venus benè affecta. 3. Expedit eligere tempus in sumendis medicinis, quia aliquando naturales potentiæ in hominibus excitantur, ut attractio, quæ viget ex caliditate & siccitate; & expulsio quæ in humiditate & frigiditate radicatur, ut juventur. 4. Non inutile est, tempus eligere, quo tondendæ oves, quia teste Varrone, utiliùs todentur Lunâ crescente, nam citiùs vellus recrescit.
Imò

Imò observavit Origanus, si ungves inepto tempore resecentur, deformantur, aut apostematibus complentur. Observatum præterea lacerari circa ungves carnem si crescente rescindantur. Item ligna cædendi tempus, pecora mactandi, saliendi carnes. Imò idem sentiendum censet Scheinerus cap. 10. Isagoges in ablactatione infantium. Idem est de tempore sationis. Nam quæ in radicem debent crescere, Lunâ crescente svadent serere. Quæ in fructus, supra terram, ea crescente Lunâ serenda. Item ad ligna cædenda pro ædificiis Lunã observari voluit Plin. lib. 16. cap. 39. cùm dixit. *Quercus nonnisi à vicesima Luna ad trigesimam cædi volunt, vel in novilunio, idq; noctu dum Luna est sub terra, erit æterna materies.* Alias omnia quæ *cæduntur, carpuntur, exceduntur, imò ut citiùs decrescente Luná quàm excrescente fidunt.* Sed meræ nugæ sunt, observare tempus ex astris, quo cum Magistratu cum Religiosis, cum viris agendum, quo parandæ, quo induendæ vestes, & omnia cætera quæ ab hominum prudentia atque judicio pendent. Quales etiam sunt nugæ, imò scelera majora, res præteritas aut futuras occultas investigare, ut furtum occul-

cultum, thesaurum, virginitatem, hæc enim mera superstitio, omni prohibita jure. Ita Soar. Sanchez, Sotus, Salas, Manuel, Navarrus, Delrius. Hæc enim absque dæmonis ope sciri nequeunt, atque adeò in cap. 2. de sortilegiis, quidam qui per Astrolabium conatus est investigare furem, etsi absq; intentione dæmonem invocandi, damnatus est gravissimi peccati, ac cùm in sacris fuisset, suspensus ab altaris ministerio per annum.

CAPUT VII.

De observatione puncti Nativitatis.

Ex puncto nativitatis in themate cœlesti (de quo tamen in meo vide Calendario) hæc licet colligere temperamentũ nati, formã, staturam, habitum corporis, propensiones naturales (punctum nativitatis Campanella definit, hoc momentum cùm extra uterum primò incipit respirare infans exposito capite) quia docet id posse ex astris colligi S. Thom. 1. p. q. 115. Item morbos ac mortem naturalem. Sed non licet ad miseriam fortunamque nati progredi in specie. V. g. An dives sit futurus, & quâ occasione, modo quo, licito an illicito, an divitiæ sint perseveraturæ, quando incrementum & decre-

men-

mentum accepturæ. Non licet etiam inquirere, an ſit habiturus Fratres, vel Sorores; & cujus conditionis illi futuri, quo animo erga ipſum. Item nullo fundamento nititur, judicare, an natus ſit legitimus, an concordes ſint futuri ejus Parentes, an natum amaturi, an ille ſit Parentum bona ampliaturus vel dilapidaturus. Huc ſpectant judicia de liberis, an ſcilicet natus, ſit illos habiturus, quot, cujus ſexûs, quo tempore, quali thoro, & quâ morte perituros. Ejuſdem generis nugamenta de Amicis, an natus habiturus ſit amicos, agricolas, ſenes, Prælatos milites, Principes, & quâ conſtantiâ. Idem eſt de conjugibus, Dominis, ſervis, collegis, an ſcilicet apud illos in amore vel odio victurus? Idem ſenſus eſt de inimicis nati, an futuri aliqui an multi, an pauci, aperti, occulti, & cætera hujus fœcis. Ut, ſi quis naſcatur Marte in nona domo feliciter conſtituto, ſolâ ſuâ præſentiâ pellet dæmones ab obſeſſis. Si Jovem habeat propitium, eum etiam poſt vitam beatum fore. Formicus docet, eorum qui Saturnum habent in Leone, animas poſt mortem cum Diis evolaturas. Albumaſar eum qui Lunâ & Jove conjunctis Deum oraverit, omnia exoraturum, quod

quod Petrus Aponensis erroneè & sacrilegè affirmat se expertum, dum scientiam oraret neq; enim Deum astra regunt. Non ineptè tamen facit, qui tempus ad orandum eligit, quo corpus expeditius, &c. sic cum astra disponerent ad melius orandum, sed non ad Deum rogandum. Hâc scientiâ stultâ idem Albumasar prædixit legem Christianam non duraturam ultra annos 1460. Abraham Judæus Messiam venturum anno 1460 quia tum futura erat positio astrorum eadem sub qua populus de Ægypto egressus. Petrus de Alliaco, post Concil. Constantiense turbas secuturas, cùm tamen secuta fuerit pax. Vide plura apud Picum lib. 2. cap. 5. & lib. 5. c. 11. & seq. Punctum verò nativitatis potissimùm attendunt, quia tunc homo incipit vivere per se & non cum alio. Et ex puncto nativitatis colligunt punctum conceptionis quod potest sustineri, cùm hoc regulariter distet ab illo considerato cursu Lunæ. Nam ut Gavenetus notat, maxima mora in utero dies 287, media 273. minima 258. excipe abortus. Et hinc causa Astrologica redditur in natura arcani, cur qui nascuntur octavo aut sexto mense non supervivãt, etsi jam sit absolutus fætus, quia

ſcilicet debet ſol eſſe in ſigno ſymbolo illi in quo fuit tempore conceptionis, unde ſi diſſimiles cauſæ ſuſceperint conceptum & natum non ſupervivet, ut obſervavit Halii. In quinto autem & quarto & tertio etſi reſpiciat Sol eodem modo natos, non eſt abſolutus fœtus. Unde ſeptimeſtres partus ungues imperfectos & cutim impolitam habent. Ptolomæus libris aliquot optimè de ſimilibus diſcurrit, ſed toto tertio ſe Chaldæorum fabulis tradit: quibus etiam inhæſit Julius Firmicus, qui ævo Conſtantini Magni ſcripſit. Nugarum pleni Hermes, Bethen, Almanſor, Omarzaël, Maſſala; & Cardanus qui ſæpè vaniſſimus. Dicimus etiam inſanum eſſe, planetarum obſervare horas. Domibus etiam planetæ ſine ratione attributi. Quas domos aliter diſponit Firmicꝰ, aliter Campanus, aliter Alcabitius, aliter Regiomontanus, aliter Gazulus aliter deniq; Cardanus: omnes arbitrariè, ex quo patet quid illis tribuendum, ſed iſta fuſiùs in noſtro Calendario.

CAPUT VIII.

Quid poſt Bullam Pontificis Sixti ex aſtris prædici poſſit.

Aſtrologos Judiciarios certum eſt peccare. Quia ſcientiam futurorum Deo propriam

priam ſibi arrogant, & illi qui Aſtrologum conſulunt, adſcribunt eam Aſtrologo, quod eſſe crimen Idololatriæ cenſet Pererius in Magia. Iterumq; peccare omnes qui adhibent eorum prædictionibus fidem, cùm non niſi levis neq; ſatis probabilis poſſit haberi conjectura. De quo negotio S. Aug. lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 24. *tota hæc agendi ratio plena eſt peſtiferæ curioſitatis, cruciantis ſollicitudinis, mortiferæ ſervitutis.* Et quidem ante Bullam Sixti V. latam anno 1585, quæ incipit, *Cæli & terræ Creator*, ex conſtanti etiam Catholicorum conſenſu poterant probabiliter contingentia prædici à libero arbitrio dependentia: ſed ob intolerandos abuſus res hæc per eam Bullam eſt prohibita ex qua Bulla hæc deducunt Theologi. 1. Poſt hanc Bullam ex aſtrorum aſpectu non ſolùm tempeſtas, ſterilitas, fæcunditas terræ, ſed etiam inſpecto Nativitatis puncto temperamentum ac propenſiones hominum prædici poſſunt. Ita Abbas c. 2. n. 7. de ſortilegiis. Cajet. 2. 2. q. 95. a. 5. Soar. tom. 1. de Relig. tom. 2. de ſuperſtit. cap. 11. a. num. 8. ad 11. Salas 1. 2. q. 9. a. 5. tr. 5. d. 2. ſect. 8. n. 79. Manuel. 1. tomo ſummæ cap. 7. n. 3. Th. Sanch. lib. 2. Summa c. 38. num. 28. Ad-

dunt tamen Soar. & Sanch l. l. cc. hanc de temperamento inclinationibus divinationem conjecturæ & suspicionis terminos egredi non posse sine temeritatis impudentiæ ac mendacii nota. 2. ubi Bulla non est recepta, tenuis conjectura de rebus à libertate pendentibus & casibus fortuitis admitti potest, quia talis cognitio haberi potest ex astris, uti docet D. Th. 22. q. 95. a. 5. Ita Abbas ubi suprà. Index prohibitorum librorum. Sayr. in clavi Regia lib. 4. c. 7. n. 4. Manuel tomo 1. Summæ c. 7. n. 3. Cajet. l. c. Valent. 2. 2. d. 6. q. 12 punc. 3 col. 2. Toletus lib. 4. Summæ c. 15. n. 5. Delrio lib. 4. Disq. q. 1. concl. 2. Imò etiam ubi Bulla est recepta, si quis semel aut iterum astra inspiceret in suis actionibus, judicando rem incertam esse, non peccaret graviter. Ita Tolet. l. c. Th. Sanchez in Summa lib. 2. c. 38. n. 31. in fine. Delr. disq. lib. 4. c. 3. q. 1. Quando verò hæc conjectura non ex solis astris sed etiam ex aliis circumstantiis & causis sumeretur, ut ex temperamento personæ, & aliis ejus actibus, esset licita. Ita Sanchez in summa lib. 2. c. 38. n. 33. qui pro se citat Soar. & Lessium. 3 Qui præter casus prædictos ex astris probabiliter futura prædicit, etiam ubi

ubi Bulla non recepta, censet Soar. l. c n. 30. non deesse culpam ratione scandali, Salas absolutè damnat culpæ lethalis 1. 2. q. 9. a 5. tr. 5. d. 2. s. 3. n. 36. Th. Sanchez in Summa lib. 2. c. 38. n. 34. quia hic modus divinandi communitatibus perniciosus, & multis superstitionum periculis expositus.

CAPUT IX.

De Actione Astrorum in nos.

Geminus dicebat, astra non magis causas esse caloris aut imbrium, quàm facem accensam bellorum. Sed contra est Aristot. Galen. S. Aug. 3. de Trinit. c. 3. Th. 1. p. q. 115. qui ibid. docet, agere astra in animam nostram indirectè: nam intellectus noster in operando ab imaginativa eo modo quo diximus in lib. de Anima dependet, memorativa, cogitativa, quæ sunt influxibus subjectæ cœlorum, inde in hominibus diversæ oriuntur dispositiones, quibus operationes intellectûs aut juvantur aut impediuntur. Sed ex hoc capite nullatenùs cœlum est volitionum nostrarum causa. Bonum enim cognitum est objectum voluntatis, ideò malum eligere non potest, nisi in particulari judicium peccet, bonum vero repræsentatur ab intellectu non ab astris, & voluntas

illud liberè amplectitur, quod si faceret ab astris impulsa utpotè à causis necessariis, faceret necessariò ut brutum, & sicut bruta quia necessariò agunt, & ad unum determinata, semper, iisdem utuntur mediis, ita & nos uteremur, sicuti quia à natura habemus prima principia, eadem omnes habemus. Neq; tam frequenter erraremus, quæ enim fiunt necessariò sunt rectè, natura siquidem in paucis delinquit.

CAPUT X.

Quæ circa nos ex Astris colligi possint ex doctrina S. Thomæ.

Quid ex astris haberi possit in ordine ad futura circa homines, collegit S. Thomas ex cujus fusiore doctrina hæc ejusdem verbis breviùs adnotamus. lib. 3. contra Gentes, c. 85. & opusc. 28. a. 4. sic docet. *Effectus stellarum in inferioribus esse, ex quibus futura vitæ dispositio & causatur & noscitur, absq; necessitate,* ut possit non tantùm de sanitate corporis conjici, sed de moribus & ingenio, de felicitate & miseria. *Sic eos qui in sua nativitate in aliqua domorum Saturnum eumq; fortem habent in suo esse, bonitatem intelligentiæ habituros, sic caput Medusæ luminaribus conjunctum & iniquo Martis aspectu percussum omino-*

ominosum. Et opusc. 28. de fato. *Fatum dici tribus modis. 1. Dispositionem divinam. 2. Mortem vi periodorum cœlestium inductam. 3. Ex Hermete, appellare formam ordinis esse & inferiorum, causatam in ipsis ex periodo cœlestis circuli, qui suis radiationibus ambit nativitatem eorum.* *Neq; istud* (S. Thomas) *ineptum quid esse* (ait) *dummodò nulla necessitas in voluntatem humanam inducatur. Quoniam præscientia divina ea quæ ordinavit exequitur, & administrat, ministerio causarum naturalium, maximè verò stellarum.* Unde infert Caussinus in domo DEI Sicut dicimus de scientia media, si Deus hâc vocatione Petrum vocaverit, respondebit Petrus liberè, ita si eum sub hac stella nasci voluerit, hoc vel illud etsi non certò, tamen operabitur. (Qui tamen discursus disparitatem habet, nam scientia illa fundatur in superstitione consequenti, adeoque everti non potest, nihil simile est in astris.) Sic, Deus, ait Campanella, cum aliquem destinaverit fore Religiosum ordinat ut eo tempore nascatur quando est combinatio quæ ad pietarem dispositos reddit. Pergit S. Thomas. *Hæc autem forma quam imprimunt astra est inter necessarium & possibile, necessarium est quid-*

quid est in motu cœlestis circuli, possibile autem & mutabile est, quidquid est in materia generabilium. Idcirco ibid. S. Doctor duplicem distingvit Astrologiam. *Unam de motibus & qualitatibus astrorum, & ad hanc perveniri per demonstrationem: alteram de effectibus astrorum in inferioribus, quæ nonnisi mutabiliter recipiuntur, & ad hanc non perveniri nisi per conjecturam.* Ibidem solvit objectiones de Geminis diversam habentibus fortunam, & alia quæ Astrologis objici solent. Et certè ait Caussin. aliqui Gemini diversam habuerunt indolem, habuerunt plures similem. Ut Cosmas & Damianus, Gervasius & Protasius, Medardus & Gildardus, simul nati, simul Pontifices facti, simul mortui. Multi ita per omnia similes, ut vix dignosci possint. De quibus Campanella & Hippocr. Sed educatio ad vitam non solùm astra conferunt. Jacob in tabernaculo, Esau in agro educatus. Expertus hoc Licurgus in uno cane qui in culina, & in altero qui sub disciplina venatoria enutritus, facit semen multum nutritio, occasio &c. Ex qvibus etiam patet, ea qvæ circa nos prædicunt Astrologi, posse ita evenire, & posse modo contrario, atq; ita nihil omninò certi. Idem

lib.

lib. 2 de generat. & corrupt. hæc verba habet. *Periodum vitæ facit relatio signi supra horizontem ad omnia signa circuli cum suis stellis & Planetis in hora generationis rei inferioris, quæ causatur à circulo cœlesti, hoc enim modo quorundam mensura est. Plùs vel minùs secundùm effectus signorum & stellarum quæ sunt in eis fortitudines.* Et infert. *Hoc etiam modo innotescit quòd qui sciret virtutem signorum & stellarum in eis positarum, dum res nascitur aliqua, posset prognosticari de tota vita rei generatæ, licet hoc necessitatem non poneret, quia posset impediri per accidens.* Hoc itaq; modo scilicet instar conjecturæ licita est juxta supradicta Astrologia. Et ut Scotus in 2. d. 14. Accidit frequenter Astrologos vera prognosticare de moribus hominum, *propter pronitatem eorum ad sequendum appetitum sensitivum* Et D. Damasc. lib. 2. cap. 7. *Alij & alij planetæ diversas complexiones & habitus & dispositiones in nobis constituunt.* Quos terminos dum excedunt Astrologi non mirum quod errent, dum illud ex astris cõjiciunt ad quod astra nõ pertingunt, quos ipse Ptol. lib. 1. prædict. damnat, ubi fatetur. *Ea tantùm ab Astrologicis prædici posse, quæ temperamento pendent, eos autem qui extra na-*

turales causas aliquid divinant questûs causâ, divinatoriam venditare, & vulgò imponere: Et centiloq; sent. 1. *Fieri nequit ut qui sciens est, particulares rerum formas pronuntiet, sicut nec sensus particularem, sed generalem quandam suscipit rei generalis formam, oportet tractantem hæc rerum conjecturâ uti, soli autem numine afflati prædicunt particularia.* Ecce quid dicat Princeps Astrologorum Quocirca securissimum est Bullæ Sixti ad literam inhærere. Prædici enim aliqua utcunque possunt in genere, sed non in particulari.

CAPUT XII.

Quam Astrologiam damnabant Patres & Sapientes.

Aperuimus supra fontem ex quo profluebat contra omnem Astrologiam odium primorum Christianorum. Nunc ad PP. & Sapientes veniendum. Explicatæ hactenus modo sumptæ prædictiones Astrologicæ fuerunt in veneratione apud veteres Philosophos. Nam Plato lib. 7. de legibus, Astrologiam asserit præclaram disciplinam, civitatibus utilem, & Deo gratissimam. Pythagoras teste Censorino de die Natali c. 13. docuit. *Stellas vagas mortalium geneses modera-*

derari, Arist. in Meteor. *Mundus hic inferior est contiguus Superioribus motibus, ut vis universa inde gubernetur.* Meritò tamen solis Regibus, uti nunc apud Chinas, aut Sacerdotibus permittebatur, ut Cic. de divin. l. 1. nam apud vulgus facilè ob questus cupidinem degenerare potest. Neque hanc vetant jura. Nam Panormit. super 5. Decretalium de Sortileg cap. *Ex tuarum tenore* sic habet. *Astrologia nec per jus Canonicum, nec per civile est prohibita, nec in se mala, cùm sit una ex artibus liberalibus, & jura præmient has scientias exercentes, modò non dicant Astrologi necessitari homines à corporibus cœlestibus.* Quodsi alicubi divina Scriptura vetet recursum ad divinatores, ut Deut. 10. 8 de ariolis, somniatoribus, auguribus, agit, quorum opera tota dæmoniaca: Et illis Judæi se tradiderant, ut est 2. Reg. 23. 24. aut de Babylonis ut Isai. 47. 13. qui relicto Deo totam ponebant fiduciam in astris, & spretis Prophetarum oraculis, Astrologiæ vanæ credebant. Apostolus ad Galatas 4. 10. reprehendit quòd ad Sabbata & Neomenias defluerent. Patres reprehendunt Astrologos, sed necessitatem invehentes, aut astra instar Deorum habentes, aut animam nostram illis subjicientes.

Damna-

Damnavit & Lateranense Concil. Arnoldū de Villanova,& alios qui diem judicii ex astris certò prædicebant. Hæc enim dies nulli cognita. Quod totum explicuit Concil. Trident. de libris prohibitis reg. 9. *Episcopi diligenter provideant, ne Astrologiæ Judiciariæ libri, tractatus, indices, legantur vel habeantur, qui de futuris contingentibus, successibus, fortuitisq; casibus, aut illis actionibus quæ ab humana voluntate pendent, certi aliquid eventurum affirmant.* Alios libros non vetat. Vetant tamen alicubi SS. Canones observari astra, etiam in ordine ad tempestates, sed hoc est contra eos, qui ut habet Nicephorus. Homologeta juxta *revelationem Pauli & Commentarios de fulminibus, de prædictionibus mensium, & auspiciis Calendarum* agebant dies fastos & nefastos Gentilium, & quosdam falsò Patriarcharum adstruebant. Quibus addo dies Ægyptiorum fatales quos Lilius Greg. Gyraldus lib. de annis & mensibus his versiculis comprehendit, datâ qualibet voce ordine mensi uni inchoando inclusivè à Januario, ita ut prima vocis litera quota est in alphabeto designet diem Ægyptiam illius mensis, ab initio tot distare. Secundæ verò syllabæ litera prima

ma ſi à numero dierum menſis ſubducatur dabit ſecundam diem Ægyptiam in illo menſe. Verſiculi ſunt hi & nullâ ratione aliâ quam Ægyptiorum ſuperſtitione nixi.

Auguſto, decies, auditus, lumine, clangor,
Liquit, olens, abiit, colet, excute, galle.

CAPUT XIII.

Solvuntur quæ Aſtrologis objici ſolent.

Licet aſtra ingenti velocitate ferantur, quia tamen non ſtatim mutatur actio ad unum gradum vel alterum cœlo moto, ſic facilè poteſt obſervari, atq; obſervata eſt aſtrorum influxio. Et licet hactenus nemo ultimas minutias obſervavit motuum, ex quo factum, ut tabulas Aſtronomicas ſæpius oportuerit renovari, uti contigit illis Canonibus quos confecit Hipparchus Rhodius, ſubſtituente ſuum Ptolomæo, & huic ſuum Abbatagnio; cui deinde Arzaëlis ſucceſſerunt, his Alphonſinæ tabulæ, tum Copernicanæ, Rudolphinæ. Et his aliæ, parum hoc præſenti uſui officit, ubi ſigna integra, aut Decani ſaltem ſignorum, non iſtæ minutiæ ſpectantur. De cætero nulla ſcientia eſt in qua de aliquo non controverſum ac certetur, & hoc nihil officit ſcientiæ. Quod ſi innumeræ ſint ſtellæ, non omnium

tamen æquè ad nos vis pertingit, magis vicini nobis planetæ, magis in nos agunt, itemq; stellæ primæ magnitudinis, utpotè majores, minorum minima ratio est habenda. Sed neq; Physici omnia naturalia norûnt corpora, neq; Medici omnes plantas, imò sæpe neq; omnes morbos. Observationes sæculorum sunt pro veris Astrologis. Nunquam Juppiter cum Luna conjungitur, quin saltem aliquâ parte diei cœlum videat. Nunquam Saturnus, quin nubilum, aut frigidum, aut subtriste adducat &c. & licet nunquam ferè eadem cœli redeat facies, redeũt planetæ, ex quib9 non ex toto cœlo cõjectura sumitur. Sic neq; duo corpora per omnia dantur simillima, non ideo tamen fallax habenda est Medicina. In puncto nativitatis imprimitur qualitas corpori infantis, sed totâ vitâ durat, quia non statim tota prodit, sicut nec semen statim fit animal, aut infans vir, aut granum spica, patet tamen jam in initiis, quid sit deinde futurum, quem Martius est futurus, infantem statim se prodit morosulum, in pueritia iracundum in adolescentia præcipitem ac ferocem. Miscent astra suas qualitates intra calorem nostrum aut frigus & illas excitant, aut componunt.

Unde

Unde Cic. de divin. lib. 1. *Ars opinabilis fallit nonnunquam, sæpissimè ad veritatem dirigit*, quæ juxta supradicta intellige.

CAPUT XIV.

Eadem materia continuatur.

Quòd etiam in his fallantur Astrologi quæ verè subjecta sunt astris, provenit, vel quia non attendunt ad vera tempora: Vel non ad omnia advertunt ad quæ opus, sæpè etiam pessimè & non ex arte astra computant: Quia rarus in arte perfectus reperitur, deinde, conjectura est, non scientia; ita & in Civili, & in militari, & in Medicina falli contingit: Ubi sæpè dicitur quid sequi deberet, non quid secuturum. Oportet, attendat materiam Astrologus, sitne capax influxûs an pertinax: Eadem procella à cœlo immissa, alios è natis adusta, alios ad blasphemias excitat, ut ait S. Thom. lib. 3. contra Gentes, & diversos effectus eadem astra in diversis faciunt, sic in Germania Juppiter ascendens albos, in Æthyopia nigros facit; item aliter idem astrum in una familia quàm in alia operatur: Sol sub æquatore fervefacit, sub zona temperata calefacit, tepet sub gelida. Sic radium solis per lentem convexam omnia suscipiunt; sed

non

non omnia illo uruntur. Natura materiæ nunc auget, nunc minuit decreta cœlestia: nunc tardat, nunc promovet. Circumstantiæ, regionum, religionum, legum, morum, parentum, institutionum, educationis, commercii, locorum, temporum, semper variant effectus. Attendendum non solùm ad veterum observationes, sed & propriæ & quidem pro sua patria instituendæ, nam stellæ alium nunc locum habent. Hinc olim in Italia non erant dactyli, sunt modò. Non maturabantur in Cypro, at modo non sic. In Gallia non erat vinum, modò reperitur. Adde, errare sæpè in discursu Astrologum & ineptè inferre, cum sæpè immisceat se Medicina aut Physica, cujus ille non semper peritus, discurrendum sæpe est; si fuerit v. g. hæc constellatio, erit ver nimis humidum, jam si nimis humidum putredo fructuum sequetur, & copia herbarum inutilium, si fructus putridi, succedent febres & lippitudines æstate, dum humores putridi excalefacti fuerint. Rursùs ex Autumno in hunc modum ferendum judicium, si fuerit nimiùm humidus, putrefaciet fructus maturos, itaq; anno sequenti caritas fiet annonæ, ergo &c. Vel si autumnus fuerit siccior,

ſiccior, penuria erit millii, quia hoc legumen multo humore gaudet, malè verò habebunt biliosi, quia bilis accenſa, manias, deliria, excitabit. Sol purgat ſpiritus animales & attenuat, itaque homines ſuaves, ac proinde gratos, perſpicacesque facit. At ſi nimio adjuvetur calore, comburit, fuliginoſa itaque reddit ingenia. Sic Cardanus Prudentiæ Civilis cap. 128. ait, Exitus violentos alicujus poſſe conjecturaliter inferri per cauſas importunas, veluti ſtultitiam, iram, impatientiam, ludos, laſciviam, ubi addit, *bene aſtra talium eventuum non eſſe cauſam ſed præparationem.* Eventus autem fiunt ex errore aut prudentia tractantium. Idem de variet. lib. 1. cap. 1. Sic de morte Principum diſcurrit. Exorto calido planetâ tenuatur ſiccitate aer, venti graves ſequuntur, inde morbi ſicci, & mors imbecillium, qui non exercentur, qui curis multis diſtrahuntur, qui cibis delicatioribus utuntur, qui Veneri indulgent, qui facilè ægrotant, ad ſenium inclinant, parum dormiunt, tales ſunt tam de plebe quàm Principes, ſed plebis funera nemo æſtimat, Principum ſunt conſpicabiliora, quo diſcurſu S. Thomas mores Gentium planetis tribuit, & Judæos cum

O Ma-

Macrobio Saturninos facit,& laudat dictum Hermetis , quod putat esse Ptolomæi , ut scribit Campanella in Astrol. *Mercurius in domo Saturni in bono esse, dat intelligentiam rerum medullitùs.* Nimirum dispositivè. Discursus autem Astrologorum ad hæc ferè capita reducitur , quorum aliqua valdè debile faciunt fundamentum. 1. Ex causis veris,cujus supra dedimus exemplum. 2. Ex causis per accidens. 3. Ex effectibus ad causas, sic ex colore planetæ ad naturam ejus. 4. A simili,ita deducunt,si Eclipsis fiat ad Orientem,circa primos quatuor menses eventus prodibit,si ad meridiem secundis quatuor mensibus. Ratio eventuum, naturam signorum, juxta istos, imitatur. Si fiunt Eclipses in signis humanis (par judicium de planetarum passionibus) hominib9 nocent, in brutalibus brutis, in tropicis verò , aeris mutationes & imperiorum conversiones. In septemtrionalibus & terreis, motus terræ. Orientales, fructibus & teneræ ætati, meridianæ templis, Regibus , virili ætati. Occidentales , senectæ, favent aut nocent, quæ reverà sunt anilia ut infra ostendetur. 5. E signo aliquo,sic è coloribus Eclipsium colligunt quis Planeta præsit Eclipsi, & inde

de effectus inferunt. Nam si fuerit niger & lucidus, notat Saturninos effectus, si candidus Joviales, si rutilus, Martios, si flavus Venereos, si varius Mercuriales, hæc ex Ptolomæo. Jam ulteriùs, si effectus Saturnini: itaque rigida hyems, morbi diuturni, dyssenteriæ, febres quartanæ, mortes præcipuè senum, brutis etiam illis nocet, quæ usui apta hominum, quia magis melancholica, frigus nebulosum, densæ nubes, tempestates & nives magnæ, unde multitudo serpentum concrescit, & in mari naufragia, piscium interitus, in terra erucæ, locustæ grandines, inundationes. Juppiter facit bona omnia. Mars febres tertianas, sangvinis eruptiones, morbos acutos, ventos calidos, pestilentias, fulmina. Venus eadem facit quæ Juppiter. Mercurius accomodat se astro, cui cõjungitur. 6. Ex invento uno necessario aliud contingens infertur, taliter ex constitutione aeris possunt prævideri morbi & quædam alia. Si enim fuerit ver humidum copia sequetur herbarum inutilium, fructuum, putredo, febres, oculorum lippitudo: si calidum, festinam floritionem, morbos acutos, si frigidum paucos fructus, penuriam vini, si siccum frumenti raritatem. Si æstas

viosa fuerit, putrefaciet fructus & corpora, creabit morbos pestilentes, atq; catharros, si sicca, fructus quidem dabit salubres, sed inopiam segetum, atq; piscium mortes proferet, itemque biliosas ægritudines, quod si frigida fuerit, dabit quidem serotinos fructus, verùm non incolumem annum. Quod si æstas vehementiùs arserit, ardentissimas febres, & deliria concitabit. Jam quod spectat *Autumnum*, si hic fuerit humidior, vina sequenti vere corrumpet, & morbificam hyemem faciet, si siccior fuerit, pituitosis beneficium præstabit, sed exitium biliosis. Si calidior, morbidus, & malus. Si frigidior jacturam faciet autumnalium fructuum. *Hyems* frigida & sicca, laudatissima est, sed si sæva, interficit: Si calida & humida, insalubris. Taliter futuræ pestis colligit signa Kamiutus Episcopus Arusien, & hæc ponit. In æstate si aura eadem die sæpius mutetur, ut manè sit pluvia, deinde nubilum, tum Austro perfletur. Si æstate nubili dies, si muscæ nimis numerosæ, si stellæ nimis frequenter cadant, si tonitrua & fulgura assidua idq; ab austro, si venti multi Austrini S. Th. in 2. de Ortu & interitu vitæ metas colligit ex motu obliquo signorum, alii aliter. Colores

res nati ex planetis deducuntur, verùm hi non eodem modo in quovis climate tingunt. Nam Saturnus in Italia ſubnigros, in Germania minùs, in Æthyopia facit nigerrimos. Si verò fuerit illi planetæ ſociata Luna, perpetua fit mutatio colorum, ut inquit Campanella, adeò ut ejuſmodi natum pictor difficillimè poſſit depingere. Sic etiam prædicere poſſunt qui ſunt futuri gibboſi, muti, ſteriles, ad laſciviam proni, cum ſint res merè ſenſuales. Poteſt etiam tenuis conjectura duci, qualem ducturus uxorem, ſiquidem poteſt fieri conjectura in qualium amorem propendeat, juxta illud: *Oderunt hilarem triſtes triſtemque jocoſi.* Qualis etiam de amicitiis formari poteſt, experimur enim non iſtis potiùs quàm aliis affici. In morbis utile eſt ſpectare quo loci fuerit Luna morbi initio, quando ad quadratum devenit, & diebus Criticis, in quos aſpectus incurrat, multa inde præſagia nec omninò incerta, ſed omnia in genere, nihil in particulari.

CAPUT XV.

De *Mortis prædictione ex aſtris.*

Mors naturalis prædici ex aſtris videtur poſſe, cùm ſit merè quiddam phyſicum; poteſt enim colligi qualitas humorum, & hi quam

quam citò in hac posſint combinatione putreſcere: Verùm poteſt quis mori citiùs, ſi in occaſionem ſe conjecerit. Præterea mortis concauſæ ſunt multæ, quæ ſoli Deo notæ. In variis etiam terris diverſa vivacitas. Sub Tropicis anno ætatis quadrageſimo fiunt decrepiti, ſimiliter ſub polis citò ſeneſcunt, ibi calorem exhauriente calore, ibi frigore obruente. Verùm horam mortis præcisè nemo poteſt aſſequi: proinde vanæ Aſtrologorum directiones, revolutiones, tranſitus, protectiones. Quidam ad bella notant planetas, nam ſi Mars ajunt à tergo fuerit, poteſt fortè convertere ſpiritus animales antrorſum. Sed quomodo id probabunt? Sed genituras urbium deſcribere & ex illis divinare, omninò vanum. Proinde ridendus Albumazar, qui dixit regna ſub eodem ſigno durare annis 360 & idem ſtatuit de Religionibus. Similiter erravit Halii, qui illas ad magnas planetarum conjunctiones retulit, & Cardanus qui anno 1583. novum admirandum portentoſum dominatum ex iſta conjunctione ominabatur. Eodem ſpectat illud ratiocinium cujuſdam Monarchias verſùs ſeptemtrionem vergere, quia Sol verſùs terram ſemper deſcendit ut eam ex-
urat,

urat,& jam ad 55. millia leucarum se demisit, ex quo à Babiloniis ad Medos, & ab his ad Persas, tum ad Græcos, tandem Romanos dominatio inclinavit. Hanc demissionem solis nemo peritissimorum Astronomorum notavit.

CAPUT XVI.

De Conjectura Aereæ constitutionis.

Tempestates aeris ut quis ex astris prædicat, opus habere pro horizonte proprio obſervationes. Nam omnia intra aliquot gradus variationis poli variantur, Parisij à Roma gradibus sex tantùm differunt, tamen omnia Parisiis uno mense tardiùs quàm Romæ eveniunt. Attendendæ Solis eclipses: attendendæ & lunares, nam hoc astrũ multum operatur in regionibus, quæ polos respiciunt, ut docet Cardanus. Kircher in arte magnæ lucis & umbræ, confecit è variis Canones quosdam eclipsium, ex quo huc illos transferimus sub compendio. 1. Eclipses solis multùm, lunares minùs refrigerant, sed exsiccant. Ideoque cum eclipses magnæ multiplicantur, sterilitatem sequi necesse. Certa item fames si imbres eclipsibus successerint, aut inundationes. 2. Virtus illarum oritur generalis ex conjunctione

aut oppositione, propria verò ex locis in quibus contingunt, quocirca svadet Ptol. ut maximè attendatur ad naturam planetæ, qui dominatur Eclipsi. Item ad stellas fixas quæ cum Eclipsi oriuntur, aut medium cœlum tenent, vel illas comitantur. 3. Dominus Eclipseos si fuerit Saturnus, corrumpit ob frigus corpora, & morbos longos inducit, quales sunt, tabes, catharri, quartanæ, pavores. Inducit etiam glaciem, nebulam, densas nubes, tenebras, nives, mortem piscium, ac mari turbatô naufragia, inũdationes, aquarum corruptiones, fructuum putredinem, & quod ista consequitur, erucas, locustas, & alia insecta. Sed si Juppiter dominetur, inducit abundantiam utilium, interitum noxiorum, aerem reddit salubrem, vẽtosum, humidum, incrementa fluviorum excitat mediocria. Mars verò, morbos biliosos, sanguinis eruptiones, infirmitates acutas, ventos calidos, pestiferos, tabificos, fulmina, turbines, siccitatem, maris æstum, sterilitatem. & ob siccitatem facilè conflagrationes. Venus fæcundat, ventos temperatos adducit & humiditatem, tempestivas pluvias, animantium utilium copiam. Mercurius morbos siccos, febres quotidianas, tusses,

tuſſes,phtyſes, anhelitum, ventos validos, inordinatos,inſtabiles,tonitrua ignita. Si tamen Occidentalis fuerit,fulmina: plantarum & animalium minuit interitum. 4. Influunt in Eclipſim & ſigna Zodiaci, & ſtellæ fixæ. 5. Notat color niger & ſublucidus Eclipſim Saturninam, candidus Jovialem, rutilus Martiam, flavus Veneream, varius Mercurialem, 6. Eclipſes totales pluribus provinciis impertiuntur effectus. 7. Si Cometa accidat in Eclipſi, ſignũ vult eſſe Martis ac belli, Albumaſar. 8. Eclipſis ſolis aut lunæ ſi in florentem arborem incidat, eam anno uno reddit ſterilem,juxta Cardanum. Idem efficit ſi incurrat in florẽtem meſſem. 9. Eclipſes adducunt pluvias ſi adjuventur à Saturno & Venere, ſiccitatem ſi à Jove & Marte. 10. Si contingant Eclipſes in ſignis terreis,ſterilitatem adducunt,ſi in aquis humectant,& peſtes afferunt cum ſterilitate: ſi in aereis, ventos & peſtem & turbas, ſi in igneis incendia,æſtus, bella,& mortem plurimam. Hæc verò maximè illis regionibus contingunt,quæ ſignis ſubjacent,in quibus fiunt Eclipſes, & illis hominibus, quorum temperies ſimilis illorum ſignorum. Certiora tamen ſigna futuræ peſtis ponit

Bernardinus de Busto. 1. Cum tempora suas non servant qualitates, nam debet Autumnus frigidus & siccus esse, ver calidum & humidum, hyems frigida & humida, æstas calida & sicca. 2. In Octobri stellæ cadentes, & ignes stantes in aere. 3. In Autumno frequentes Austri & venti Occidentales. 4. In Autumno aer tenebrosus & turbidus, & qui pluviam minatur, neque facit. 5. Ver nimis siccum & frigidum, tum sequuti Austri, ac dies turbidi. 6. Noctes multùm frigidæ, & dies multùm calidi, ac suffocativi. 7. Si in Autumno stellæ ceciderunt, & fuit æstas tepida ac turbida. Variè alteratæ dies, jam calida, jam frigida, jam sicca, &c. 9. Uno die sol clarus, altero turbatus, in ortu quasi pulvereæ, nebulæ multis diebus. 10. Aestate post magnos calores pluviæ, & multæ ranæ cinerei coloris, infra ventrem citrinæ & aureæ. 11. Cùm insecta multiplicantur, viperæ, mures, & aquatica fugiunt ex aquis, & mures ex terra, aves ex nidis, feræ ex lustris. 12. Fames. Illud etiam notavit Cardan. lib. 15. Variet. c. 76. Ante gravem calamitatem solere fieri homines quasi stupidos, nec malum impendens timere. Corvorum multitudines præcedere cladem, ventos grandes

des fieri ante motus hominum. In quibus omnibus ad ſupra poſitam Theologorum doctrinam reſpiciendum.

CAPUT XVII.

Eadem Materia.

Sed ille verſiculus levis eſt. *Tertia, quarta, qualis eſt lunatio, talis.* Sicuti & leve judicium quod fertur ex themate ad initium trimeſtris erecto. Magnæ mutationes non accidunt niſi aliquis de ſuperioribus planetis notabiliter mutet affectiones. Fallit ſæpiùs illa Ptolomæi regula, etſi aliquando verificetur. Novilunia quæ accidunt in Capricornio & Aquario triſtia eſſe; quia horum ſignorum Dominus eſt Saturnus. In Ariete & Scorpio tumultuoſa, cùm iſtis Mars præſit. In Tauro & Libra benigna, quia hæc Veneri ſubſunt. Attendendi etiam ortus atq; occaſus ſtellarum fixarum; iſtis etenim plurimùm veteres tribuebant. Tempeſtuoſæ habitæ illis ſtellæ, Orion, Corona, Arctur9. Vētoſæ, Hœdi, & Capella. Igneæ, Leo, & Canis. Pluviæ Hyades & Pleiades, ſed ut effectum præſtēnt à Planetarum cōjunctione debēt adjuvari. Cùm planeta ad ſignum contrariæ naturæ tranſit, tunc fiunt apertiones portarum, hoc eſt, aut diu pluit, aut eſt nubilum. Conſideranda etiam regionis

gionis diſpoſitio an ſit fæcunda materiæ utilis Meteoro, non ſolum enim aſtra debent attrahere v. g. vaporem, aut exhalationem, ſed & terra ſuppeditare. Itaque in terris aridis nihil pluvioſa conſtellatio efficiet. P. Kruger in ſua Iride pro Litvania has reliquit obſervationes.

CAPUT XVIII.

Obſervationes P. Oſualdi Kruger pro Litvania.

Saturnus cum Marte conjunctus ventos facit cum ſerenitate, junctus cum Sole, ſerenitatem frigidam, cum Venere ventos, cum nubibus & auram frigidam, cum Mercurio: ventos frigidos, auram frigidam, & obſcuram. Si ſextilem habeat aſpectum ad Jovem, turbat aërem: ſi ad Martem, pluit, ſi ad Solem, auram obſcuram ac nebuloſam facit, ſi ad Venerem, ventos cum ſerenitate, idemque facit ad Mercurium. Saturnus quadratꝰ cum Marte, auram temperat: cum Jove ventos & ſerenitatem advocat. Cum Sole aut Venere, ſerenat: cum Mercurio ſerenat acuto calore: Saturnus cum Jove aut Marte trigonus ſerenat: cum Sole ſerenat ſed eſt ventoſus: cum Venere ſerenat; cum Mercurio ſerenat:

cum

cum ventis. Saturnus cum Marte oppositus, serenat: cum Sole, pluit: cum Venere serenat: sed juncto frigore: cum Mercurio serenat sed ventos excitat.

Juppiter conjunctus Marti adducit serenitatem cum frigore: Soli junctus serenat: Veneri ventos cum serenitate: cum Mercurio, ventos mites cum nebulosu cœlo ac pluvia. Oppositus cum Marte serenat: cum Sole inconstans: cum Venere serenat: cum Mercurio serenitati addit ventos. Juppiter trigonus cum Marte pluit: cum Sole aut Venere, serenat: cum Mercurio, ventos dat cum humiditate. Juppiter quadratus cum Marte aut Sole, serenat: cum Venere, varium ac nubilosum facit aërem: cum Mercurio, ventos, turbines, ac humiditatem movet: Juppiter sextilis, cum Marte, Sole, aut Venere, serenat: sed cum Mercurio, nubilosum atque humidum reddit aerem.

Mars junctus Soli serenat cum calore ingenti si fuerit æstas, hyeme verò gelu mitescit, nisi aspectus Suturni cum aliquo planeta interveniat. Cum Venere serenat, cum Mercurio serenat & ventos ciet calidos. Mars oppositus Soli serenat & calefacit, Veneri

neri oppositus facit nubilum tempus: Mercurio, ventos movet cum serenitate. Mars trigonus cum Sole, serenat: cum Venere ventos facit cum serenitate: cum Mercurio variat. Quadratus cum Sole serenat cum calore: cum Venere serenat: cum Mercurio pluviam ventis adjungit. Mars sextilis cum Sole serenat cum calore: cum Venere serenitatem movet frigidam: cum Mercurio ventos movet cum humiditate. Martis defluxus à Saturno ad Jovem vel è contra, longas facit pluvias aut nives. Mars dum per Pleiades transit aliquot pluit diebus. Item transiens per stellas Cancri maximè si fuerit septemtrionali latitudine, humiditatem hyeme, aliis temporibus pluviam & tonitrua producit.

Sol conjunctus cum Venere serenat: cum Mercurio ventos excitat cum serenitate.

Venus juncta Mercurio ventos cum serenitate, sextilis cum eodem variat. Mercurius retrogradus Orientalis humectat.

Lunæ omnis aspectus cum Saturno humidus, cum Saturno & Jove simul, pluvius: & quò plures aspectus habuerit cum planetis, eò major humor.

CAPUT XIX.

Alia signa futuræ aereæ constitutionis.

Luna si tribus ante vel post Novi Lunium, plenilunium, Quadras, diebus pura & tenui fulserit luce, temp9 amœnum, si nigra ac spissa, nubes: Si rubra ac perspicua, parte illâ quâ non illustratur, ventos. Si die quinta cornua habuerit obtusa, pluvias: Et quidem si cornu infernum, quadrante primo: Si supernum, extremo: Si area cingit Lunam paulatim evanescens, serenum: Si multa & hærens, hyemem: Si decima sexta vehementiùs flammea apparuerit, asperas tempestates docet imminere. Quinta Luna suspecta nautis. Decima septima afferre solet imbres. & biduò ante & post Neomeniam. Circuli circa Lunam duplices, horridam notant tempestatem. Eclipsim Lunæ comitantur venti, Solis verò serenitas ut plurimùm sequitur. In exortu Hyadum & Pleiadum plerumque molles pluviæ. In exortu Orionis & Arcturi si cætera non desint, tempestas. Cœlum æqualiter splendẽs à Novilunio, serenitatem; æqualiter obscurum imbres, Vergiliarum occasus matutin9 si nubilo cœlo accidat, hyemem pluviam affert: Si sereno, asperam. David Frolichius

lichius in Bibliotheca hæc advertit. Luna dum peragrat Geminos, libram, aquarium, ſagittarium, piſces: ventos ciet. Ratio etiam datur ex Luna, cur unâ horâ morbi tardiùs redeunt; quia & Luna redit tardiùs. Gaſpar Peucorus notavit de diu. Toties caſuras hyeme nives, quot ſunt dies ad Novilunium à prima nive. Valeant hæc quantum poſſunt.

CAPUT XX.

De Climactericis & Criticis.

Climactericorum obſervatio non eſt rejicienda ſed ea ſolùm ex parte ad aſtra refertur. Naturæ hæc eſt periodus. Agellius l. 3. c. 10. meminit eos Varroni Romanorum doctiſſimo fuiſſe obſervatos. Reſpicit illos Hippocr. 3. Aphoriſ. 28. Galen. lib. de diebus decret. Celſus lib. 2. c. 1. Plin. Plato, Seneca, cogit rationem haberi mutatio humorum quæ intra ſepteñium aut noveñiū recurrit. Dicuntur hi anni Genethliaci quia cum homine oriũtur. Hebdomatici ſi per ſeptenos computentur, Enneatici ſi per novenos. Sed probari debet ex Medicis ſic ſtatis temporibꝰ has humorum turbationes, cur enim non aliquandò intra biennium, aliquando intra quadriennium corrumpatur. Experientia

tamen

tamen aliqua videtur favere climactericis. Nam observat Codronichus part. 1. de annis Climactericis cap. 2. omnes ante diluvium, anno climacterico mortuos. Aliqui cum Ranzovio & Ficino, vim hanc septenariam adscribunt Saturno, alii Lunæ, alii Saturno, quia septimo anno, vel ad quadratum, vel ad contrarium ejus signi, à quo digressus redit. Magis placet Lemnius lib. 2. cap. 32. Quòd septimo anno humorum copiæ venit ad maximam redundantiam, sed optima ratio, utramq; conjungere, cùm enim natura per hæc progrediatur, grandi nisu luctatur adversus impedimenta & vicissim repatitur, morbisque subest aut morti. Quod Luna facit intra septem dies, hoc Saturnus intra septem annos, atque ut illa in quadris mutat tempora, cietque crebrò ventos, pluvias; ita Saturnus maleficus morbos parit. Valent tamen aliqui meliùs in climacterico, ut non semper sit metuendus, aliis etiam tardiùs aliis festinatiùs evenit. Unde Aristot. de Ortu & Inter. tt. 57. dixit. Habere naturam nostram suam periodum, sed aliquorum brevior, aliorum longior, septenarii recursum etiam in conceptu hominis observat Gell. l. 3. Noctium c. 10. Per pri-
 mos

primos septem dies semen in utero conglobatur ut formam capere possit, quarto septenario caput & spina formatur, septimo septenario totus homo absolvitur. Septimo mense ad partum movetur, ante septimum exactum diem plurimi infantes pereunt, quare non citiùs veteres nomina imponebant. Post bis septem, visus movetur ad lumen, post 7. menses dentes emergunt. Post ter 7. in verba erumpit. Post quater 7. puer incedit. Post quinquies 7. recedit à lacte. Post 7. annos vitæ incipit ratiocinari. Anno septimo infantibus dentes mutantur, secundo annorum septenario pueris vox mutatur, tertio barba accedit, quarto fiunt viri, & finis incrementi. Quinto in statu se virium statuunt. Sexto maturitatem judicii acquirunt. Septimo gravitatem, & corpora minui incipiunt. Octavo viribus deficiunt. Nono multi pereunt. Decimo fiunt decrepiti. Aristoteles verò hæc docet 7. hist. cap. ult *Plurimi antequam sit exactus dies septimus intereunt, & ob hanc causam tunc nomina imponuntur, tanquam saluti jam pueri magis credamus.* Et hinc fortè octavo die jussit Deus circumcisionem ibid c. 3. *Si in septimam diem genitura permanserit intùs* (in utero)

tero) *conceptum jam esse certum est.* Ibid. *Adulti sine cibo etsi aliqui ante septimum moriantur, si qui tamen eum superant moriuntur.* Jejunium enim intestinum intra tot dies concrescit. Hippocrates lib. de carnibus. Asserit vitam hominis septem dierum esse. Plus efficaciæ habent duplicati aut triplicati non ratione numerorum, sed quia natura à principio suo longiùs recedens magis deficit. Periculosissimus omnium 63. quia in eo novenaria & septenaria concurrit mutatio humorum, ideo dicitur Climactericus magnus, Autumnus vitæ, Heroicus, quòd plerosque interemerit Heroës. Ægyptii vocabant Androdem, id est virifragum, quod viros frangat. Tali anno interièrunt, Orpheus, Anaxagoras, Eratosthenes, Demosthenes, Chrysippus, Darius Filius Hisclaspis, Zenocrates, Diogenes Chynicus, Aristoteles, Q. Fabius Maximus, Scipio Africanus, Beatissima Dei Mater, Ven. Beda, S. Bernardus, Georg. Scandebergius, Philip. Cominæus. Adam mortuus anno 930. Cainan. 365. Lamech 777. Abraham 175. Thales Milesius 70. Pittacus Mytileneus eodem ætatis. Epimenides Cretensis 154. Tiberius Imper. 77. Caligula 28. S. Aug. 77. Hieron. 91. Qui sunt climacterici.

Natura etiam in acutis morbis ſeptimo die criſim molitur. Proinde meritò Cauſſin in domo Dei: Hos annos aſſimilat articulis arborum ad quos ubi arbor devenit, aliò ſe reflectit. Sunt tamen alii quibus male anno 8. vitæ, & ab eo per 12. numerando ut 20. 32. 44. 56 68 80 ſunt qui laborant revolutâ in ſuum primordium geneſeos rotâ, ut anno 12. 24. 36. 48. 60. 72. 84. Sunt qui ipſo climacterico variè affici incipiunt, & tamen vi remediorum in unum aut alterum extrahunt De die ſeptimo qui eſt in morbis Criticꝰ, Canones iſtos medicus Cornelius Pleierus conficit. Si Luna perveniens ad quadratum, vel conjunctionem, vel oppoſitionem, fuerit in domo ſua, benè eſt ægro. Si in caſu, malè. 2. Si die Criſeos Luna eſt in aſpectu bono, ægro benè. Si in malo malè. 3. Si ab initio morbi Luna venit ad oppoſitionem, vel conjunctionem, vel quadratum, & eclipſetur, malè eſt, juxta Dominum Eclipſeos. 4. Cùm ad idem punctum ab Ariete vel libra, vel Tropicis, Luna redit, & benè conſtituitur, favet infirmo. 5. Si initio morbi pergit ad Arietem, vel libram, vel eſt in angulo, dat certam criſini. 6. Si initio morbi eſt in ſigno mobili, citò æger convaleſcet,

aut mo-

aut morietur: si infixo tardiùs eveniet utrumque. Si in bicorporeo, morbus in alterum degenerabit. 7. Si morbus ex abundantia est humorum, & Luna crescit, malè; si ex inanitione & Luna crescat, benê, & è contrario eveniunt contraria. 8. In Novilunio malè semper ægro. Sed si Novilunium in Ariete vel Leone, malum minuitur. 9. Si Luna jungatur Saturno, morbus diuturnus, & si fuerit Saturnus tardus tantò pejus: si retrogradus ante Plenil, æger recidivat, si post Plenilunium, minuitur malum: sed si decrescit, pessimè. Si morbus fuerit ex frigida causa, dum Saturnus est Orientalis morbus minuitur, sed si fuerit ex calida causa, invalescit. E contra Saturnus Occidentalis morbum calidum minuit, frigidum intendit. 10. Luna juncta planetæ retrogrado significat evomitionem. 11. Luna reperta in domo Saturni vel libra, minuit malum. 12. Luna conjuncta cum Jove amica infirmo, multo verò amicior si in domo Jovis. 13. Luna conjuncta Marti mala, sed si ipsa decrescat, morbus decrescit, & è contra, 14. Luna conjuncta Veneri bona, Mercurio juncta, mediocris. His addimus ex Hippocrate. 15. Si Luna fuerit initio morbi in Ariete,
 vicina

vicina Marti aut Soli, dolorem capitis & febres adducit calidas, pulsus concitat, vocem intercludit, pulmonem accendit, & nisi vena cordialis aperiatur, frigidique cibi ac potus ægro exhibeantur, sequitur phrenesis si Luna fuerit juncta Marti aut Saturno, ante diem septimum æger morietur. Si verò tantummodo Saturnum aspexerit, ægri mentem turbabit, nisi fuerit decrescens. Si verò ab aspectu recedat, æger convalescet, sed non cēsetur recessisse, nisi junxerit se Jovi vel Veneri, quodsi interim Mercurio adhæserit, mortem adducet. Sed ad climactericos. Climacterici magni sunt 72. 81. 90. 99. 108. 117. 126. Climacterici maximi 135. 144. 153. 162. 171. Inter climactericos & Enneaticos periculosiores qui per tres hebdomadas annorum ascendunt ut 21. 42. 63. 84. 105. Periculosissimi 49 56. 69. Quia 49. continet septies 7. & 7. septimanas. In 56. concurrunt septimus & octonarius. In 63. septimus & nonus, id est novies 7. Hoc etiam notat Appianus in Astronomico Cæsareo, triplicem moram (excipe abortus) infantes habere in utero. Prima major dierum 288. In qua nasci infantem cùm Luna horizontem paulò ante subierit & adhuc ad finem sextæ domûs hæret.

Secunda

Secunda mora est media, quæ 258. diebus perficitur, hæc partum edit Lunâ horoscopum tenente. Tertia mansio 273 dies continet, in hac oritur fætus cùm Luna horizontem est jam à parte occidentis subitura. Septimo mense nati veluti fructus ab arbore immaturi avulsi, vix sunt vitales, neque sub istas leges veniunt. Imò affirmat Hermes quòd gradus qui tempore nativitatis horoscopum tenuit; idem aut proximus illi est gradui qui conceptionis horâ ascendens erat. Et è contrà, gradus Lunæ qui nativitatis tempore extitit idem conceptionis horâ fuit ascendens, quanquam Ptolom. 15. Centiloquii videtur huic doctrinæ adversari.

Dies *Critici* sunt quibus lucta major inter morbum & naturam nostram excitatur. *Indicativi*, sunt quibus pugna contingit remissior. *Intercidentes* quibus remississimè colluctantur. Verùm crises mutari solent ob sex causas, quas exprimit distichon sequens.

Materies, Virtus, Medicus, Symptoma, Minister,
Sydera, tot crises evariare solent.

Ordinariè tamen Crisis contingit in quartis Lunæ computatis ab invasione morbi:

Indicativæ dies mediæ sunt inter quartas, intercidentes verò adhuc inter has mediant, ita ut crises in 90. gradu, indicationes in 45. Intercidentes in 22½ incidant, cæteri sint gradus vacui sed de his vide nostrum Calendarium.

CAPUT XXI.

De Stellarum viribus, & Planetarum dignitatibus, & aliis astris astrorum accidentibus.

Sunt etiam aliquæ Stellæ quæ vires planetarum saltem ex parte habent, tales Ptol. in quadrip. numerat. Ea quæ est in capite arietis participat de viribus Saturni, & Martis; ea quæ in ore ejusdem, de viribus Mercurii. Plura ejusmodi occurrunt non inepta in libris Astrologorum, quæ experientiâ nituntur. Signa Zodiaci sunt 12. illaque respondent combinationi qualitatum Elementalium. Nam Aries, Leo, Sagittarius, sunt sicca & calida, & dicuntur ignea. Taurus, Virgo, Capricornus. Frigida & sicca, & propterea dicuntur terrea. Gemini, Libra, Aquarius, calida & humida, indeque aërea. Cancer, Scorpius, Piscis, frigida & humida, aquea nimirum. Et qui planetæ similes habent qualitates horum ternio-

num,

num dicuntur Domini triplicitatis aereæ, igneæ,&c. Nam Saturno attribuitur ſiccitas & frigiditas. Jovi calor temperatus cum humiditate. Marti calor & ſiccitas. Soli calor moderatior & ſiccitas. Veneri frigus modicum cum humiditate. Lunæ frigiditas & humiditas. Mercurius eſt planè Chamæleon cœleſtis, cui ſe planetæ aſſociat, ad ejus ſe vires fingit. Signa diurna dicuntur quæ magis de die, nocturna quæ magis activa de nocte. Aſpectus tam ſunt in ſignis quàm in planetis. Sextilis cùm ſextâ parte coeli à ſe diſtant, hoc eſt, per duo ſigna; quadratus cùm per quatuor, trinus, cùm per tria. Pars Zodiaci ab initio Arietis incipiendo ad finem Virginis dicitur ſeptemtrionalis, quia in Boream declinat, ſicut alia pars dicitur Auſtralis, quia versùs Auſtrum vergit. Signa, ab initio Cancri ad finem ſagittarii dicuntur directa, quia quando oriuntur, directè aſcendunt ſuper horizontem, & hæc vocatur medietas perfecta, quia plus quam media pars cœli debet oriri, antequã aſcendant: ob cauſas contrarias altera pars dicitur obliqua. Puteales gradus vocantur in quibus planeta frigus in aere excitat, atque ſi eſſet demerſus in puteo. Aliqui

gradus vocantur tenebrosi & vacui, & Azemena in quibus Planeta qui habet principalem in corpus nati influentiam constitutus, aliquas in corpore illius operatur debilitates, Planetæ descendere aut ascendere dicuntur, prout ad partem Boream vel Austrinam in Zodiaco vergunt, qui vocatur motus latitudinis planetarum. Dignitatem habere Planeta censetur, quando eo loco cœli positus quo maximè activus. Mansiones Lunæ sunt utiles operæ medicorum in quibus dum Luna existit, hi bene, aut illi malè succedunt effectus; proinde Medicus dum vult in corpus humanum inducere humiditatem, debet videre, an sit in mansione humida planeta Lunaris. Attribuuntur Lunæ per quadras hæ proprietates. A Novilunio ad primam quadram est calida & humida: à prima quadra ad plenilunium calida & sicca: à plenilunio ad ultimam, frigida: Ultima quadra ad finem, putrefactiva. Ita observatum, si vena diebus post ultimam quadram secetur, difficulter coalescit, cavendum etiam ne radii Lunæ ad vulnus perveniant, quia vix sanabile efficiunt. Imò ad sani si dormientis caput penetrârint, catharros & dolorem excitant.

CAPUT

CAPUT XXI.

Ex astris pestilentiæ prædictio & natura.

Pestis prædici poteſt ex aſtris, nam illa movent aerem & inficiunt, movent item corpora beſtiarum; hinc imminente hoc malo, corvi ſolito magis crocitant, paſſeres diffugiunt, excitant etiam aſtra venenatos terræ halitus, hinc oves, utpote debiliores ſunt inter pecora, & prono in terram rictu, cadunt. Mars calore nimio accendit humores, Saturnus exceſſivo frigore coagulat. Jam verò ſic aerem infectum attrahunt pulmones ad cor ut illud refrigerent: ille cor inficit & ſpiritus vitales, qui deinde per totum corpus diſperguntur, donec inflament febrim. Contagione peſtem ſic nobis imaginamur contrahi, ſicut ſi fuligini in fundo cacabi ignẽ applicares, ſerpit ac procedit ac depaſcitur: hinc præparatos humores in corporibus impuris citiùs occupat, atque ideò quia fuliginem conſumpſit, minùs nocet corporibus, quæ jam ſuperârunt peſtem: minùs etiam moderatè viventibus ac hilaribus. Quare ut obſervat Fr. Verulan. in ſylva, affines citiùs peſte corripiuntur, quia magis ſimilia habent corpora. Vigilia & motus nimius exſiccat, ſomnus nimis humectat & quies:

in-

inedia accendit, dum enim calor pabulo caret, sævit in corpus: repletio etiam calorem obruit, atque adeò refrigerat, hinc magis ad pestem disponit. De aliis optimè dixit Arnoldus de Villanova in suis areolis simplicium medicinarum: *Quæ medicina est plus confortans quàm gaudium, & quæ plus calefaciens quàm ira? quæ plus infrigidans quàm tristitia? quæ plus nutriens quàm bona spes? quæ plus interficiens quàm desperatio?*

CAPUT XXIII.

De cæli divisione in 12 Domicilia.

Totum cœlum dividunt Astrologi in 12. partes, quas domos apellant & pro singulis auguria ex certis rebus aucupantur, ut videre apud illos, quo autem ad id fundamento? quare ex 11. domo v. g. inimicos, & ex 12. amicos, & non è contra colligunt? multis Astrologorum evolutis voluminibus (inquit Joan Gavinetus in amico medicorum) nullum vel in speciem fundamentum reperiri, sed omnes tanquam primum in sua arte principium supponunt? Ordine significationem domorum hoc distichum exprimit. Vita, lucrum, *Fratres. genitori, natiq; valetudo, uxor, mors, pietas & munia, amici, inimicis.* Ita ut ex prima domo de vita divinent,

vinent, ex ſecunda de lucris &c. Alii colligunt indolem ex Zodiaci ſigno quod tunc fuit in meridiano dum naſceretur infans. Hoc verò ſignum tali arte reperitur. Sciatur, dies, & hora, & menſis, quibus quis natus. Jam reperiatur ſignum quod tunc Sol occupat & gradus ſigni, v. g. Arietis gradus, ſextus. Hoc habito, horæ ſi ſint matutinæ à præterito meridie computandæ, ſi pomeridianæ ab hodierno ſint horæ. V. g. 6. hæ multiplicetur per 15. fient 240. tot enim gradus horæ tribuuntur. Huic ſummæ addatur gradus Solis in quo tunc verſatur, ut in præſenti 6. fient 246. Hoc dividatur per 30. fiet $8\frac{6}{30}$. quoties dabit ſignum, fractio gradum ſigni ſequentis computando ſigna incluſivè ab eo in quo Sol verſatur. Sed ſi à meridie natus, conſequenter numeranda ſigna: ſi ante meridiem contra conſequentiam numeranda. Et hoc eſt invenire ſub quo aliquis nat9 ſigno. Sed juxta alios ſub eo dicitur quis naſci ſigno quod tunc oriebatur. Ortus ſigni ſic deprehenditur, ſciatur quantitas diei quâ natus infans. Horæ numerentur ſuperfluæ à proximè elapſo meridie, ut pro binis ſumatur ſignum, & pro ſin-

ſingulis gradus 15. Tot ergo ſigna addantur, & tot gradus, quot horæ binæ, aut ſingulæ ſunt à meridie ad Solis ortum, tot inquam addantur ad gradus, & ſignum; in quo tunc Sol degit, abjiciendo ſi plura fuerint ſigna quam 12. ipſa 12, tum dabis reliquum ſignum, & ſequentis ſigni gradum juxta ordinem ſignorum, & hoc quidem in ſphæra recta ſed de his Aſtronomi. Obſervatum etiam à quodam quòd nati à Novilunio ad primam quadram ſint ſangvinei & aërei. A prima quadra ad Plenilunium, ignei, cholerici. A Plenilunio ad ultimam quadram terrei, melancholici. In ultima quadra aquei, phlegmatici. Illud planè futile, ex loco quem Luna occupat in ſignis Zodiaci de nato divinare. Sic, inquiunt, Luna, tempore nativitatis ſi fuerit in ariete, natus fiet Rex celeberrimus: ſi in Tauro alacer, formoſus, prudens. Si in Cancro inter Magnates erit, atque corpore procerus; ſi in Leone, opulentus ſed durus. Si in Virgine, triſtis, melancholicus, pauper. Si in libra, deditus voluptatibus, dives, nobilis. Si Luna cum Sole fuerit conjuncta in ſignis igneis comburetur. Veriùs oculi produnt quo qui natus tempore. Nam æſtivi

par-

partus habent oculos colore ſaturos, hyemales dilutos, cæteri proportionatè ad hos accedunt. Et Junctinus quidem in ſphæra ex ſimilitudine ſignorum mores interpretatur. Natos, ait, ſub ariete capitibus malleare, ſpiſſis admodùm crinibus, & inſtar velleris ſupra frontem elevatis. Sub tauro, oculis magnis, barbâ rotundâ, collo craſſo, ſed brevi, comeſtores. Sub Geminis, calidos, bifrontes, duplicis animi. Sub cancro breves, lato pectore. Sub Leone alti cordis, magna ſpirantes, dignitates & dominia procurantes Sub Virgine, ephebos, tenues, ſubtili ad ſpeculandum ingenio. Sub libra formoſos, barbâ, ſuperciliòque decentes. Sub Scorpio rubeâ facie, naſo aquilino, oculis ardentibus, fraudulento ingenio atque deceptorio. Sub ſagittario, venatores, milites, ſub Capricorno facie oblongâ, mento acuto, capillis aſperis, voce caprinâ: Sub Aquario prodigales. Sub piſcibus minoris ſtaturæ quàm parentes eorum. Sed iſta deſtituuntur à ratione, & ex arbitrariis ſignorum denominationibus ducuntur.

CAPUT XXIV.

Planetarum effectus.

Planetarum hi ſunt effectus. Sol poten-

ter

ter calefacit, paulatim exſiccat. Luna plurimùm humectat, parum calefacit, Saturnus valdè frigefacit, parùm exſiccat. Juppiter mediocriter calefacit, & non nihil humectat. Mars exſiccat, arefacit, & urit. Venus temperatè calefacit, & multùm humectat. Mercurius indifferenter agit, ſed tamen ſubitas mutationes inducit. Saturnus facit hominem fuſcum ſimilem terræ, quia eſt frigidus & ſiccus, pilorum craſſorum, quia terrei humores craſſi materia pilorum, inclinatos ad terrã, pigros inſtar terræ ob gravitatẽ non appetentes procreationis ob ſiccitatẽ invidos ob triſtitiã tales teſte Alb. M. habent fiſſuram in calcaneo. Sub Jove nati, habent dentes 2 ſuperiores magnos Juppiter expuliſſe Patrem fingitur, quia Saturni operationes ſuis contrariis expellit. Nati ſub Marte paucos habent crines, in cauſa eſt ſiccitas, habent criſpos ob aduſtionem: ſunt rubei, quia aduſta rubeſcunt, ut patet in lateribus: oculis ſunt parvis, quia calor magnus oculorum humorem concentrat, ſunt iracundi, quia ſicci & calidi, tales verò facilè accenditur. Nati ſub Sole, temperatè ſunt ſicci & calidi, ideo ſpiritus habent promptos, & ad ſapientiam idoneos. Venus facit

nus facit calidos & humidos. Mercurius ſubtiles. Luna, mobiles, & aqueos. Benefici planetæ aliqui vocantur, ſuntque illi qui temperamentum hominum conſervant quales ſunt Juppiter, Venus, Luna: Malefici qui deſtruunt, tales ſunt, Saturnus & Mars. Sed Sol & Venus pro occaſione, nunc maligni, nunc benigni. Orientales dicuntur & aucti lumine, quoties contra ordinem ſignorum numerando, minus diſtant à Sole quàm dimidio circulo. Minuti verò lumine & occidentales atque veſpertini, qui poſt Solis occaſum camparent, tales verò ſunt, qui contra ordinem ſignorum numerando ampliùs à Sole quàm dimidio circulo diſceſſerunt, & hoc de Saturno, Jove & Marte; nam in Planetis inferioribus contrarium evenit. Omnes autem ſub radiis Solis poſiti vires amittere cenſentur. Ex his deducuntur alia, ut quod ſit Rex futurus, id eſt, inter paris conditionis homines eminens, quòd gratioſus, quòd prudens &c. quæ conſequuntur temperamentum dum cætera non deſint. Aliqui per horas planetarias deveniunt ad planetam nativitatis alicujus præſidem hoc modo. Diem quâ eſt natus reſolvunt in quadran-

tes vel minuta, vg. dies fuit horarum 8. ſunt quadrantes 32. vel minuta 480. quæ per 12. dividunt, prodeunt ex quadrantibus 2. cum 12. octavis, ex minutis 40. itaque tot minutorum quævis hora planetaria pro illa die. Diebus autem planetæ hoc modo attributi, ut Dominicæ horam I. Sol, Feriæ Sec. Luna, Tertiæ Mars, Quartæ Mercurius, Quintæ Jupiter, Sextæ Venus teneat, ordine hoc modo Planetas ducendo etiam in noctem (ſed noctis horæ rurſus debent ut diurnæ reſolvi in quadrantes ac minuta, ac tandem per 12. dividi) Saturnus, Juppiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna, & ita ad planetam quis fuit in hora nativitatis deveniunt, ſed res eſt nullius fundamenti.

CAPUT XXV.

De Uſu cæli in phlebotomia ſeu venæ ſectione.

In praxi phlebotomiæ Sebaſt. Sleszkowski dies nefaſtos pro ſanguine de vena detrahendo ponit. Januarii diem 1. 2. 5. 7. 8. 15. Febr. 6. 7. Martii 16. 17. 18. quibus ſi vena ſecetur, mors eodem anno imminet, ſecta verò vena Martii 7. cæcitatem inducit. April. 6. 7, mortem eodem anno, die verò octavâ, intra dies 40. mortem, primâ ejusdem, aut vulnus, aut venenum, aut mortem.

tem. Maji 7. 17. 15. Jun. 6. Jul. 15. 17. Aug. 19 20. mortem eodem anno, prima verò hujus, vulnus, venenum, aut mortem postridie affert. Sept. 16. 18. Octob. 6. Nov. 16. 17. Dec. 7. 6. 11. eodem anno mortem. Ultimâ verò Dec. Venenum, vulnus, aut mortem subitaneam. Sed Medici hujus doctrinam vereor ne refutet experientia aliorum Medicorum, quibus eam relinquimus examinandam, qvæ si vera est, hujus loci erat ut referretur. Sed quâcunque diligentiâ scruteris, cur veram dicas, non reperies, nam si eam ad dies Lunæ referres, nondum satis haberet fundamenti, cùm non una sola Luna temperamentum nostri corporis regat, & cur diebus noceat. Si ad dies Ægypticas, illorum observatio superstitiosa. Tantundem fidei habent quæ Manilius ad Cæsarem Augustum lib. 3. c. 8. in hanc sententiam de longævitate reliquit. Quibus Luna in horoscopo bene affecta his 78. annos vitæ promittit. Quibus in MC. 75. quibus in septima domo 72. quibus in sexta 68. quibus in nona 42. quibus in octava 13. quibus in secunda 63. quibus in duodecima 57. quibus in quinta 3. quibus in tertia 23. quibus in quarta, hi moriuntur in utero, quæ placuit referre

ut mortales à Panicis terroribus exolvamus. Sed ad phlebotomiam.

CAPUT XXVI.

Canones pro Phlebotomia & Medicinis &c.

Saniores sunt hi Canones Astrologici, quos breviter ponimus. 1. Nunquam secanda vena in Novilunio aut Plenil. item summâ æstate & summâ hyeme, quia tum sanguis turbatur, excipio summam necessitatem. Optimum tempus ver, & dies seqvuti Novilunium 2. Dies Criticus vitandus est quo Luna ab initio morbi quadrantem absolvit, quia tunc natura sibi relinquenda: neque ante diem Criticum turbanda crisis vehementibus evacuationibus sed natura leniter juvanda idque eo modo in quem inclinat. 3. Lunæ conjunctio cum quolibet planeta, præterquam cum Jove & Venere prohibet apertionem venæ. 5. Balnea nocent, quoties Luna est quadrata, aut opposita, aut conjuncta cum Marte vel Saturno, vel aliquo planeta cumbusto. 6. Lunâ crescente præcisi crines crescunt, & caro in vulneribus, sicut vicissim minuitur decrescente. 7. Ligna pro ædificiis secanda sunt Lunâ decrescente idque post solstitium hybernum. 8. Seminationes, plantationes, insitiones fiunt regula-

regulariter Lunâ creſcente. 9. Initio morbi ſi Luna cum nullo planeta jungitur, dabit criſim ſeptimis diebus, & ſibi relinquitur natura. Si cum Jove aut Venere jungitur, morbus levatur ſeptimo die: ſi cum malefico planeta, morbus aſperatur die ſeptimo: Si cum nullo initio morbi jungebatur, deinde conjungitur, ab hac conjunctione numeranda criſis; quæ bona eſt, ſi conjunctio facta cum benefico planeta, mala ſi cum malefico. 10. Quartus dies ab initio morbi dicitur Indicatorius, quia indicat qualis futura criſis, ſi enim creſcit morbus & jam ab initio illius fecit Luna gradus 45 creſcet deinde & appellatur hæc dies Tyrannus periculoſus. 11. circa planetarum aſpectus initio morbi hæc notantur. Luna poſita in libra & conjuncta Saturno aut Marti eſt vitalis. Luna conjuncta cum Plejadibus, capite Meduſæ, Hercule, & lance Auſtrali, lethalis. Luna vergens ad combuſtionem, lethalis. Luna poſita in quadris vel oppoſitione cum ſole initio morbi dat malas criſes. Luna decreſcens cum Saturno vel Marte lethalis. maximè ſi ſit in medio utriuſque, & abſit Juppiter aut Venus. Luna conſtituta in horoſcopo initio morbi pernicioſa. Luna

initio morbi in cauda, vel capite Draconis perniciosa. Si Sol & Luna infra terram sint, & habeant aspectum trigonum, quadratum, oppositionem, conjunctionem cum Saturno aut Marte, letale est. Si Mars inter solem & Lunam constitutus afficiatur aspectu quadrato, acerrimus & subitus interitus. Sol, vel Juppiter, vel Venus, in horoscopo, vel Sol cum Jove aut Venere, favent. Mercurius semper maleficiis si quadrato vel trigono aspectu cum malefico planeta jungitur. Si morbus sit de natura Jovis, eo casu Juppiter maleficus & Saturnus est benefic9 12. Dies Criticus invenitur, notato, in quo gradu alicujus signi fuerat Luna, cùm æger notabiliter viribus cæpit destitui, & inde computando integrum Quadrantem. 13. Qui gravissimè decumbunt ex abundantia humorum moriuntur plerumque Lunâ existente prope meridianum supra horizontem, quia tunc accrescunt humores: sicuti decrescunt Lunâ à meridiano abeunte, ideoque tunc illi moriuntur qui laborant ex siccitate. 14. Febrientibus qui sudant die 3. 5. 7. 9. 11. 14. 17. 20. 27. 37. bene est: aliis diebus, male Hippocr. in aphorismis.

CAPUT XXVII.

De Anno Bissextili.

Anno Bissextili quædam eveniunt, non quia Bissextilis, sed quia quartus, intra quòd spatium natura aliquas peragit periodos, ideò sumendum ejus initium à rei ortu, nam Eudoxus apud Plin. lib. 2. c. 47. scripsit, post quadriennium eosdem redire ventos, easdemq; tempestates, & quidem circa ortum Caniculæ. Columella etiam lib. 3. cap. 6. reliquit hanc sententiam. *Id tempus* quadriennii, *virentium*, plantarum, *generositatem declarat, quo Sol in eandem partem signiferi per eosdem numeros redit, per quos cursûs principium cœperat.* Sed apud Gentiles tantùm invaluerat superstitio, ut Macrob. Saturnal. cap. 14. scripserit. Fuisse tempus cùm propter superstitionem intercalatio omnis omissa est, sed quid proderat omisisse denominationem si res ipsa mansit? Valentinianus Imp. ut habet de illo Ammianus lib. 26. *Nec prodire in publicum volebat Bissextum vitans Februarii mensis quòd aliquando rei Romanæ cognorat infestum;* sicut etiam vana observatio è Pythagoræ commentis profecta, quâ Medici ducuntur ad porrigendas numero impare pilulas tanquam activiores. Illæ

observationes fallunt, etsi fortè aliquando fortuitò responderint. Si festo S. Medardi pluerit, diebus 30. Cœlum lacrymaturum. Die S. Martini pectus anseris hyemem indicat. Si die conversionis S. Pauli venti flaverint, fore bella; si pluerit, famem ingruere: Si nebula, pestem.

CAPUT XXVIII.

De significatis Eclipsium.

Diximus supra de Eclipsibus, nunc aliqua apponimus, neq; enim illarum observatio prætermittenda, quæ ex commixtione violenta qualitatum astræarum possunt aliqua perturbare, constat etiam longâ experientiâ notabilia sub Eclipsibus contigisse, licet non semper mala. Observant Astrologi, in quali Asterismo Eclipsis eveniat, humano an bruto, & talibus ajunt nocituram, sed hæc observatio uti & Asterismorum denominatio cui innititur, cùm merè sit arbitraria? 2. In quod tempus incidat, in ver aut hyemem &c. Nam si in ver prodeuntibus ex terra nocere, rationabiliter posse, creditur. Sed & hujus ratio nō est clara. 3. In qua parte cœli, si in oriente, juvenibus, si in occasu nocitura senibus. Verùm hæc observatio nititur nullâ ratione. 4. Si satis magna

magna, fortiùs actura, & hoc non absonium. 5. Quantum distet à nodo, tracturam colorem & effectus. Sed ut nodi sunt quid imaginarium, ita & hæc conjectura. 6. Quot durat horis solaris eclipsis, tot annis effectus duraturos, in Lunari Verò duratione tot menses responsuros. Sed vix credibile est, nisi evincat experientia. Sicut, & maximè eo tempore acturam, quod simile loco in quo illo contingit, nempe si in oriente, orienti anno; Si in occasu, occidenti neque apparet cui hæc commentatio innitatur. Sed jam afferamus exempla effectuum & quidem quando Sol deliquium subiit in Geminis. Anno ante Christum 713. paulò post mortem Romuli, nempe 26. Maij Sol in signo Geminorum gravissimè eclipsatus, teste Dionys. Halycarnasseo lib. 2. & hoc ipso anno Sennacherib Rex Assyriæ amissiæ 185000. suorum obsidionem Hierosolimitanam deseruit Isai 38. 2. & 2. Reg. c. 19. Anno ante Christum 583. Eclipsis contigit initio ejusdem signi Maij 28, quo tempore Judæi Babiloniam perpessi servitutem. Herod. lib. 1. Anno Christi 346. in 14. gradu ejusdem signi die sexta Junii, post factam, ut est apud Cedrenum, Constantinus Imp. promulga-

vit legem de claudendis Ethnicorum templis, & Sacrificia Idolorum vetuit ſub pœna capitis, & confiſcationis bonorum. Idem Cedren. Concilium etiam Sardicenſe indictum fuit, Socrat. Anno Chriſti 485, poſt Eclipſin ſolis in gradu Geminorum, nono die, 29. Maji, Hunnericus Rex Wandalorum atrocisſimus Chriſtianorum perſecutor à vermibus vivus conſumptus eſt, Greg. Turonen. lib. 2. c. 3. propriis ſe etiam dentibus laniando. Anno 718. poſt Eclipſim Solis, in 15. gr. Gem. Junii 3. viſam, Meſe Dux Saracenorum miſit exercitum contra Pelagium, ex quo ultra 20. millia periêrunt. Vaſæus, Carolus item Martellus Francorum Princeps cum Chilperico bellum redintegravit. Annal. Fris. Omar. Amiras Saracenorum immunitatem à tributis conceſſit iis qui Chriſtum abnegârunt. Miſcell. Anno 760. 15. Jun. in 26. Gem. Eclipſis conſpecta eſt, quo tempore quidam Galliæ Comites infeliciter ſe Pipino oppoſuerunt, & Conſtantinus Imper. atrociter ſanctarum Imaginum cultores perſecutus. Baron. Anno 764 die 4. Jun. Sol in 16. Gemin. eclipſabatur, tanta verò ſiccitas ſucceſſit ut etiam fontes aruerint, & anno ſequenti Turcæ egresſi fuerint

rint ad portas Caſpias, Miſcell. Anno 831. Maji 16. Sol in principio ferè Gem. obſcuratus fuit. Quo tempore Lotharius, Pipinus, & Ludovicus Fratres, Filii Ludovici pii Imp. Patri rebellârunt, eumq; incarcerârunt, eò quòd in Carolum Filium ex Juditha, conjuge ſecunda, propenſior videretur. Alſted. Anno 961. poſt Eclipſim Solis 17. Maji factam in 1. gr. Gemin. Berengarii Principis Italiæ tyrannis recruduit. Calviſ. Anno 1230. Eclipſis Solis die 14. Maji initio Gem. facta eſt, poſt eam Henricus Anglorum Rex Ludovico Gallorum Regi bellum intulit, Calvis. Anno 1239. Eclipſis Solis die 3. Jun. in gr. 18. Gemin. accidit. Hanc ſecutum atrociſſimum bellum Marchionum Brandeburgicorum Ottonis & Joannis contra Epiſcopos Magdeburgenſem & Alberſtadienſem, nec non Henricum March- Miſniæ. Dubrau. An. 1267. Maji 25. in 10. gr. Gẽ. Solis Eclipſis facta, tum Ruſſi & Tartari die 19 Jun. à Polonis magno prælio fuſi ſunt. Chriſtiani item à Saracenis Palæſtina oppugnati. Marin. Anno 1415. 7. Jun. Sol in 26. gr. Gem. obumbrabatur & tum habitum Concilium Conſtantienſe, & Joannes Hus. 6. Julii rogo impoſitus, ſequenti anno Hieron. de Praga ſimili-

ter

ter combuftus. Hift. Bohem. Anno 1518. in Junio in Gemin. Eclipfis Solis horrenda contigit, eâ ipfâ horâ pars magna Viennæ conflagravit, & mors Imper. Maximil. 12. Jan. fub fecuta. An. 1612. Maii 30. in 9. gr. Gem. Sol defecit. Hoc tempore Poloni in Mofcovia atroci prælio à Mofchis fuperati. Rex Daniæ Lubecenfium naves infeliciter adorfus. Terræ motus per integrum menfem Novembrem viguit. In Oceano ingentes procellæ plurimas naves merferunt. In uno portu in Hifpania 60. naves periêrunt Calvif. Anno 1630. Jun. 10 in Gem. gr. 19 Sol Germanis non item vicinis populis obfcuratus, & Guftavus Adolphus menfe fequenti in Germaniam appulit deducendo 20. Julii per mare Balthicum 120. naves cum 15000. militum in Pomeraniam, ubi Cæfareani fine longa tergiverfatione Stetinum ipfi conceſſerunt Greg. Winterni.

CAPUT XXIX.

De aliis Aſtrorum effectibus.

Obfervavit etiam Cardanus lib. 8. Variet. cap. 40. Eos qui nafcuntur in terræ motu femper pavere, fortè ob vitiofos contractos halitus, nam idem etiam evenit illis qui tonante cœlo in mundum prodeunt. Item qui

qui ſub cometa, quaſi amentes eſſe. Natos interlunii tempore ut aſſerit Ariſtoteles, aut non vivere, aut debiles eſſe: omnes tamen, inquit ille, obſervavimus atrâ bile laborare. Heſiodus libro de die & opera hæc è veterum opinione refert de Lunæ diebus.

Sexta dies triſtem oſtendit mulieribus ortum.
Læta viris, multiq́; etiam naſcuntur in illa
Luce, viris decima fauſtos quoq́; credimus ortus.

Damnabant verò dies iſtos veteres ut eſt apud Anton. Zenonem Policolam Venetum lib. de Natura hominis. Primam hebdomadæ initio Auguſti. Primam feriæ ſecundæ Januarii. Poſt octo dies Aprilis primam feriam ſecundam. His enim, dicebant, qui naſceretur citò moriturum, & qui vulnus acceperit difficulter aut nunquam convaliturum. Imò ſi his diebus bos fuerit mactatus, ſed quàm hæc vana? qui carnes ejus ederit, ultra annum non ſuperv icturum. Aſtrologi etiam aſſeruerunt, qui Martem in aſcendente cœleſtis habuerit thematis eum in capite vel in facie ſignum habiturum. Non adeò ſimilis rationis ſunt pleraque eorum quæ Aſtrologi Lunâ in certo ſigno exiſtente præcipiunt, quæ prædictus Venetus verſibus ternis pro ſingulis ſignis comprehendit.

CAPUT XXX.

De effectibus Lunæ in signis Zodiaci.

Luna in Ariete.

Nil capiti facies, aries cum Luna refulget,
Uxorem ducas, & balnea tutius intres,
Non tangas aures, non barbam radere cures.

Luna in Tauro.

Arbor plantetur cum à Tauro Luna tenetur,
Ædificare potes, non spargas semina terræ,
Et Medicus metuas cum gutture tangere collum.

Luna in Geminis.

Brachia non minuas cùm lustrat Luna Gemellos.
Ungvibus & manibus ferrum spatulisq; negetur.
Nusquam portabis à promissione petitum.

Luna in Cancro.

Pectus, pulmo, jecur in cancro non minuantur,
Somnia falsa vides, est utilis emptio rerum,
Potio sumatur: securè perge viator.

Luna in Leone.

Cor gravat, ac stomachum, cum tangit Luna leonem
Non facies vestes, nec ad convivia vadas.
Et nil ore vomas, nec sumas tunc medicinam.

Luna in Virgine.

Lunam Virgo tenet, uxorem ducere noli,

Viscera

Viſcera cum coſtis caveat tentare chirurgus,
Detur agro ſemen, dubites intrare carinam.

Luna in Libra.

Luna tenet Libram nemo genitalia tangat.
Nec ſit iter aquis; nec terrâ pergere cures,
Extremam partem cum libra Luna tenebit.

Luna in Scorpio

Scorpius & Luna vigent in parte pudenda
Sceleſtis favent, caveas aſcendere navem,
At ſi carpis iter caveas ex morte ruinam.

Luna in Sagittario.

Luna nocet femori cœleſti juncta ſagittæ,
Rade caput, brachia minuantur, balnea quære,
Ungves & crines poteris incidere tutus.

Luna in Capricorno.

Ne tangas tibias cùm Capro Luna tenetur,
Intret aquas navis, citius curabitur æger
Fundamenta ruent, nil eſt quod duret in ipſis.

Luna in Aquario.

Tangere cruda cave dum Luna videbit Aquoſum
Inſere tunc plantas, excelſas erige turres,
At ſi carpis iter, ad loca tardius ibis.

Luna in Piſcibus.

Piſcis habet Lunam noli curare podagram,
Carpe viam tutus, ſit potio ſumpta ſalubris,
Embrio conceptus, Epilepticus exit ab alvo.

Sed

Sed multa horum planè commentitia. Fecerunt etiam aliqui istas observationes: Sicut est aer constitutus sole intrante Arietem, & pridie hujus ac postridie diei, talem fore Septembrem, Octobrem Novembrem. Qualis intrante Leonem, talem hyemem futuram. Ingredienti Libram Soli Ver respondet. Ingredienti aquarium respondent æstivi menses. Cui verò membro Luna dominetur, ut illud non phlebotometur, neque aliter ferro tangatur Lunâ in eo signo commorante, expressit versibus Mamil lib. 1.

Namq; Aries capiti, Taurus cervicibus hæret,
Brachia sub Geminis censentur, pectora Cancro,
Te scapulæ Nemeææ vocant, teque ilia Virgo,
Libra tenet clunes, & Scorpius ungvine regnat,
Et femur Arcitenens, genua & Capricornus amavit,
Cruraq; defendit Juvenis, vestigia Pisces.

Circa omnes istos versiculos noto. Quæ in illis concernunt medicinam, agriculturam, nauticam, posse tolerari. Quo nostros liberos actus, omninò esse rejicienda, & juxta superiùs datam doctrinam castiganda.

CAPUT XXXI.

De Canicula.

Neque Caniculæ ortum vult in observatum

vatum transire Diophanes in Georgicis, & ex signo in quo Luna fuerit, illâ oriente hæc conjicit. Si Luna fuerit in Ariete, animalium gregatim pascentium mors, pluviarum copia, & olei ac frumenti exiguitas. Si Luna fuerit in Tauro, pluviæ multæ, rubigo, grandines, & alia non pauca mala. Si in Geminis, frumenti, vini, olei ubertas, sed inter homines inquietudo, motus terræ. In Cancro siccitas, & penuria frumenti maxima. Sed in Leone istorum copia, vigent verò turbæ. In Virgine, imbres nimii, abortus hominum & animalium. In Libra, tumultus, olei penuria, frumenti corruptio, vini copia. In Scorpio, pestilens aer, apum interitus. In Sagittario Pluviosus annus & pecorum interemptor. In Capricorno motus exercituum, pluviæ multæ. In Aquario Principum mors, locustæ, siccitas, pestis. In piscibus pluviæ multæ, pestes avium, fertilitas, morbi. Hæc miserorum & à Physica destitutorum somnia referri tamen decuit, cùm tantopere quidem ista suspiciunt, ne abscondita magis appeterentur, proposita verò & luci exposita, suâ vanitate essent conspicua, & certè sunt conspicua illi, qui expenderit quæ hactenus diximus de vani-

tate Pseudo Astrologorum, & quia in his quædam Physica.

Plus habet rationis, etsi non omnem implet, quia non sola astra faciunt ea quæ circa nos fiunt, inquirere ex præterito anno præsentem sortem nostram. Sic verò res habet. Quia Juppiter post 12. annos redit ad eundem locum, & attribuitur illi vita, & dignitas, igitur qualiter nos habuimus in his ante annos 12, taliter & præsenti. Intra annos 19 Luna redit ad locum eundem, & significat statum corporis, itaq; hoc anno expectemus similia illis quæ ante 19. annos contigerunt nobis post 30. annos redit *Saturnus*: post duos Mars. Octavo anno est effectus Veneris circuitus, quarto locorum apheticorum. Octavo ascendens & descendens ad idem redeunt. Et hoc affirmat Franc. Verulan. in sylv. Saluber est annus, si fuerit siccus Martius & Majus, Aprilis verò pluvius, Hyemem sævam præcedit humida & frigida æstas, item calidus & siccus September. Æstatem calidam calidior & pluvia hyems, vel si nimis citò vespertiliones evolaverint. Circa diem S, Joannis Bapt. si plueric nocumentum accipiunt nuces avellanæ, quia tunc propter suam teneritudinem

nem humoris ſunt impatientes. Si plueri in Junio circa S. Jacobum ſequitur inopia glandium quernarum. Si ſerenaverit, copia, peſtem omnium beſtiarum prænotat, ſi Perſici vel ulmi folia ante tempus defluxerunt. Cardan. Stultos fore putat Guil. Gratarolus lib. de Memoria qui naſcuntur in Novilunio in ſigno Arietis vel Scorpii. Quando Autumnus nimis humidus, anno futuro timet ſterilitatem Floravant. Quando cœlum ab ortu Solis ad horam diei tertiam viride ſine nube unius coloris, expectandam brevi pluviam, ſicut etiam quando noctu plures ſolito apparent ſtellæ; ſimiliter quando omnes nubes ſunt ejusdem coloris. Item quando ante meridiem apparet Iris verſus orientem, poſt meridiem autem verſus occidentem, dicitur jam im̃inere pluviam. Quando lucente Lunâ manè ante Solis ortum apparet nebula inſtar maris, & Sol ortus facit aërem obſcurum longam & magnam pluviam. At verò ſi dum pluit appareat noctu cœlum cæruleum cum paucis ſtellis, & rore pauco, ſerenitatem expectandam. Item cùm iris oppoſita eſt Soli, & duos tantùm colores habet, id eſt, cæruleum & flavum. Tan-

dem addo, quod aliqui obſervârunt, maſculos naſci ſi conceptionis tempore Venus trigonè opponitur Lunæ.

Quid electionibus ſentiendum, nam certas dies pro certis effectibus eligere jubent Aſtrologi. Dicendum quòd in effectibus naturalibus posſint aliquem locum habere, nullum verò in liberis. Et priores circa univerſalia utcunq; valere poſſunt, non autem circa particularia.

Quid de 28 manſionibus Lunæ? Pro his dividunt Zodiacum in 28. partes, incipiendo ab initio Arietis in ſphæra octava ita ut quævis manſio contineat gr. 12. & minuta circiter 51. & ibi reſpiciunt non jam ad Planetas, ſed ad ſtellas fixas, cum quibus jungitur Luna. Initium hujus diviſionis ferè his temporibus incipit à gr. 29. Arietis. His manſionibus dant nomina Arabica, ſed de his idem ſentiendum quod de Planetis.

Pro navigatione cavent ne ſignum aqueum ſit in aſcendente, hoc eſt, Cancro, Piſcibus, Capricorno, aut ne in his ſignis ſit Luna cum Jove, aut Venere. Neve ab his Planetis aſpiciatur Luna ſextili, aut trigono. Provident ut Mars & Saturnus ſint debiles, & ne fortem habeant aſpectum cum Luna in a-

ſcen-

ſcendente. Item ne Sol aut Luna ſit in aſcendente, aut ne aſcendenti opponantur, aut illum reſpiciant quadratè. Item, ne ſint in aſcendente ſtellæ procelloſæ, ſcilicet Plejades, Hyades, Orion, Arturus, Antares, Aldebaran, Delphinus, Argonavis, Canis major, Canis minor, Hœdi, Capella, quæ ſtellæ nocent etiam æquè, ſi cum Luna inveniantur. Cavent ne ſtellæ aut Planetæ malefici habeant aliquod dominium in aſcendente, aut in Luna, aut ſi hoc fuerit, reſpiciantur ab aliquo Planeta benefico, ut ſextili aut trigono à Jove. Si malefici fuerint in aſcendente, vel angulo alio, non dominentur, neque ſint in Lunæ loco. Nocent maximè Mars in decima vel undecima domo.

Cùm iter faciendum cavent Aſtrologi ne ingrediatur Luna caput aut caudam draconis, ſed ut ſit in dignitate beneficorum, aut ab illis reſpiciatur felici aſpectu, ut ſextili, aut trigono, aut illis jungatur, ut ſit in domo quinta Domini Lunæ, & aſcendentis, ſint fortes, & benefici in angulis orientalibus, ſint liberi à maleficis, & reſpiciantur aſpectu quopiam amico beneficorum, ſint in ſua dignitate, non ſint peregrini non combuſti, non cadentes, non debiles, retrogradi,

Ex dictis Corollarium.

Cùm Veteres in aliis terris obſervârint, & cœlo aliter conſtituto, non facilè illorum obſervationibus in noſtris terris ac temporibus fidendum. Sed neq; ſi proprias aſtrorum haberemus obſervationes nondum certi poſſemus effectuum eſſe: nam aſtra non ſunt totales cauſæ, ſed ſunt & aliæ quæ ad effectus concurrunt, quæ interim fortè ſunt variatæ. Præterea non notant in hoc vel illo individuo v. g. homine effectus, ſed quaſi in ſpecie, propterea in hoc individuo poteſt eſſe aliquid, propter quod illi effectus non ſequantur. Atque ita nihil certi etiam Aſtrologia ſana colligere poteſt, multò minùs vana. Fateor non pauca horum quæ hîc poſuimus ad Aſtrologiam ſpectare, quia tamen ſine illis ſufficienter aſtrorum influxus non poterat explicari, non fuerunt omittenda. Præterea ita ſumendam Aſtrologiam ſicut Geodæſiam vel Coſmographiam, oſtendunt iſtæ locum v. g. unum ab aliis diſtare mill. germ. 15. neq; in hoc falluntur, ſi tamen feceris iter ex uno illo loco ad alium invenies aliquando milliaria 20, quia intercurrunt montes, paludes, & alia invia, quæ circumire oportet, ac propterea

ter augere, hæc verò non cadunt ſub ſcientiam Coſmographicam, aut Gæodeticam, quæ ita per rectam procedunt, atq; ſi nulla obſtacula intercederent. Pari modo Aſtrologia conſiderat poſitus aſtrorum, & enunciat quòd hoc vel illud ſequi debet, multa tamen intercurrunt particularia quæ illam prædictionem turbant, quæ omninò ignota ſunt Aſtrologo, & quæ ſi eſſent, prædictio ſibi conſtaret.

Parergon.

Rutilius Benincaſa Conſentinus res notabiles juxta dies Lunæ ita diſponit. Prima die Lunæ creatus Adam. 2. Eva. 3. Caim. 4. Abel. 5. Cain ſacrificavit. 6. Abel occiſus. 7. natus Matuſalem & Abraham. 8. Nati Lamech & Noë. 9. natus Enoch. 10. Sem. 11. Cham. 12. Noë qui 13. bene dixit ſuo filio. 14. facta lingvarum confuſio ad turrim Babel. 15 Natus Nachor. 16. Sodoma & Gomorra exuſtæ. 17. natus Iſaac. 18. nati Eſau & Jacob. 19. Iſaaco benedixit Jacob. 20 Saul coronatus. 21. Natus Benjamin. 22. Natus Moyſes. 23. Lex Moyſi data. 24. Natus Pharao. 25. Moyſes tranſiit mare. 27 Herodes occidit pueros. Sed unde hæc ſumpſit me latet.

SECTIO IV.

De Terra.

SUBSECTIO I.

Nomina partium terræ.

Insula vocatur pars terræ undiq; circumdata aquis, ut Sicilia, Corsica, Anglia, &c. Peninsula, seu Chersonesus est terra, quæ modicâ sui parte continenti jungitur, & est poenè Insula. Sunt hujusmodi quatuor insigniores, videlicet Peloponesus arx olim totius Græciæ dicta, nunc appellatur Morea, in mari mediterraneo est sita. Aurea Chersonesus in mari Indico meridionali, Cimbrica quæ in mare Germanicum se extendit & Taurica quæ in Pontum Euxinum circa Bosphorum Thracium procurrit. Isthmus dicitur terra inter duo maria conclusa, cujusmodi sunt Corynthiacus inter Achajam & Peloponesum. Dersinum Arabiæ inter sinum Arabicum & mare Ægyptiacum, Dania, & Italia. Continens est terra firma alteri ita continuata & connexa, ut tota absq; marina navigatione peragrari possit. Quanquam hæc nomina aliqui scrupulosiùs exagitant, sed in his non est cur hæreamus positâ communi nominum acceptione. Promonto-

montorium est pars montis in mare procurrens.

SUBSECTIO II.

Terræ divisio.

Aliqui dividunt terram in quatuor mundi plagas, Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septemtrionem, sed hæc divisio est accidentaria, nam quod uni regioni est occidens, alteri quæ post illam est, oriens, proinde hæc nomina certo nulli tribuuntur loco. Alii dividunt in zonas, sed hæc divisio est extrinseca, respicit enim circulos cœlestes zonas distingventes. Alii demùm in partes quatuor terram secant, Europam, Asiam, Affricam, Americam, quæ divisio licet bona sit, tamen à placito humano provenit, potuisset enim terra dividi vel secundùm varietatem lingvarum, marium, fluminum, hæc nihilominùs divisio recepta est ab omnibus.

CAPUT I.

De Europa.

Europa appellata est à Filia Regis Phænicum Agenoris, quæ à Jove ex Affrica rapta, fuit in Cretam deducta, terminatur à parte occidentis Atlantico mari: à Septemtrione Britannico, & Germanico: ab adversa par-

te Mediterraneo: ab oriente Tanai fluvio, & Mæotide, ac Ponto, est cæteris terræ partibus minor, in latitudine nusquam mill. germ. 225. excedit, nisi ubi circa mediam sui partem, quæ magnis alis jam versùs meridiem, jam versùs Aquilonem procurrit. Comprehendit ferè 750. mill. germ. Continet multas nationes, regna, & provincias, videlicet Hispaniam, Galliam, Germaniam, Italiam, Sarmatiam, Daciam, Boëmiam, Ungariam, Sveciam, Daniam, Græciam cum multis Insulis.

Hispania à Græcis dicta Iberia, olim in tres regiones dividebatur, in Belthicam quæ modò est regnum Granatæ, Lusitaniam, & Tarraconensem. A posterioribus autem Tarraconensis tractus in quinq; regna divisus est, videlicet, in regnum Gallitiæ, Navarræ, Castiliæ, quòd etiam Castellæ, & Legionis dicitur, Cathaloniæ, & Arragoniæ.

Gallia sive Francia dividitur Pyræneis montibus ab Hispania, ex Oriente Rheno separatur à Germania, reliquis verò lateribus alluitur Oceano, olim erat triplex, Togata, Comata, Braccata. Togata nunc dicitur Cisalpina, quæ scilicet inter Alpes &

Rubi-

Rubiconem fluvium antiqvum Italiæ limitem sita est, ita dicta, quòd populi illi Romanorum more togâ uterentur. Braccata dicta est Narbonensis Romanorum Provincia, à braccis villosæ vestis genere appellata. Comata est transalpina à comæ nutriendæ studio. Hæc rursum in tres partes dividitur, Belgicam, Celticam, & Aquitanicam, quæ Atemorica dicebatur anteà. Nam à Scaldi flumine ad Sequanam Belgica, ab ea ad Garumnam Celtica, eademq; Lugdunensis, inde ad Pyræneos montes excurrit Aquitania. Ptolomæus quadrifariam divisit, additâ Lugdunensi. Ammianus illam minutiùs dividit, nam facit primam & secundam Lugdunensem, primam & secundam Aquitanicam. Germania à Gallis & Hungaris Rheno & Danubio fluminibus, à Dacis separatur montibus: cætera ambit Oceanus latos sinus & ampla complexus insularum spatia. Dividitur autem primò, in Superiorem & Inferiorem, quæ divisio etsi propriè convenit, ut initio fuit attributa, Accolis Rheni, quorum aliqui sunt ad inferiora fluminis, veluti Colonienses, Confluentienses, Andermachenses, &c. Alii superioris, veluti Basileenses, Wormatienses, Spiren-

Spirenſes, Argentinenſes, Moguntienſes &c. nihilominùs etiam alia facta eſt diviſio. Inferiori attributi ſunt ſeptem Ducatus, videlicet, Brabantia, Bicardia, Hannonia, Juliaca, Geldria, Clevia, cum comitatu Flandriæ, quo nomine etiam aliquibus tota inferior Germania venit. Item Hollandia, Friſia, Zelandia. In ſuperiore autem Germania omnes ſunt aliæ Provinciæ, ſcilicet Svevia, Bavaria, Auſtria, Helvetia, Alſatia, Saxonia Myſnia, Hesſia, Weſtphalia, Pomerania, Thuringia, Voitlandia, Moravia, Franconia, Wittenbergia, Styria, Carynthia, Laureacum, Carnia, Carniola, Iſtria.

Italia olim dicta fuit Heſperia ab Heſpero Atlantis Fratre, & Onetria ob vini bonitatem, item Argella, Saturnia, Auſonia, Tyrrhenia, eſt in forma cruris inter Adriaticum & Thuſcum mare, & ab jugis Alpium dorſique Apennini porrecta, ſe paulatim attollens usq; ad Rheginum verticem, & littora Brutiorum extenditur. In ultimo ſcinditur in duo cornua, quorum alterum Jonium ſpectat mare, alterum Siculum, in extremitate Rhegium oppidum habens. A ſeptemtrione continuatur Germaniæ, ejus longitudo ab Auguſta Prætoria quæ in Alpium fine

fine sita est, & per Romam, Capuamq; porrigitur usq; ad oppidum Rheginum Solino teste decies centena & viginti millia passuum. Latitudo quadringenta decem ubi major latitudo: ubi verò minor, centum triginta sex, habetq; umbilicum in agro Reatino, quæ olim ex latere maris superi Rubiconem fluvium pro fine habuit. Dividitur autem in 16. regiones, scilicet, Liguriam sive Januensiam, Hetruriam seu Thusciam, Latium, Campaniam, Lucaniam, Calabriam, Apuliam, Samnicum sive Apratium, Picenum sive Marchiam, Antonitanam, Flaminiam, & Æmiliam seu Romandiolam, Umbriam nunc Ducatum Spoletanum, Galliam Cisalpinam nunc Lombardiam, Venetiam, Marchiam Tarvisinam, Japidiam, & Carniam nunc Forum Julium, & Istriam. Habet præterea plurimas Insulas sibi adjacentes, quarum præcipua est Regnum Siciliæ, & Melita.

Poloniæ non tam divisionem, quàm alia quædam adjuncta ex Starovolscio adnotamus. Ex Scythis ille dicit Polonos, sed non ex Tartaris qui sunt Scytharum colluvies, sed ex illis quos laudavit Seneca, cùm dixit. Quid Scytha sanctius &c. Tartari enim Scytharum

tharum ſunt eluvies. Scythas Coloſ. 2. v. 11. à Barbaris diſtinxit S. Paulus, & ſunt Seth filii Noë progenies, ex eodem orti Parthi, Gothi, Hunni, Vandali, Getæ, Jaziges, Daci, Illyrii, Bulgari, Ruſſi, Boëmi, Sclavones, Croatæ, Moravii, Carnioli, Pomerani, Casſubii, Wiſſogothi, Oſtrogothi, Longobardi, quos P. Kojałowicz vult eſſe Litvanos. Eandem cum Polonis radicaliter retinent lingvam poſiti ad mare Adriaticum Iſtrii, Myſii, Macedones, Epirotæ, Dalmatæ, & à Balthico mare ad glaciale procedendo, & ab iſto ad novam Zemlam, & Pontum Euxinum, & Hircanum mare, Circasſii, Caſſanii, Migrelii.

Limites veteres Poloniæ, Albis fluvius, in quo Boleslaus Crivouſtus Rex Poloniæ profligatis Saxonibus & Cimbris tres ferreas columnas fixit. Alter terminus Mæotis palus, ubi in illabente Boryſthene ſimiliter alias tres defixit columnas. Unam præterea in Arctoo ad Balthicum mare Prusſis ſubactis, oſſæ fluvio impoſuit; à meridie verò Carpathii montibus Polonia terminatur.

Maximâ parte hoc Regnum ſeptum Barbaris, aut hæreticis, ſchiſmaticis, contra quos multi à gente ſine ſtipendio militant.

Habi-

Habitu utuntur, quali olim Orbis Domini, Persæ, Græci, Parthi, Macedones, & de facto totus Oriens. Regnum septemdecem Provinciis constat, scilicet, majore, & minore Poloniâ, Lithvaniâ, Rubrâ & albâ Russiâ, Pocuciâ, Wolhyniâ, Podoliâ, Ukrainâ, Livoniâ, Samogitiâ, Podlachiâ, Masoviâ, Cassubiâ, Prussiâ, & Pomeraniâ, Frumento ita abundat, ut illud Hispanis, Anglis Hollandis, abundè impertiatur. In Lingva cum Polonis participant Nationes incipiendo à magno fluvio obrâ ex nova zemla usque ad sinum Adriaticum, scilicet, Novozemlenses, Rizanii, Roxolani, Seruri, Bulgari, Rascii, Illyrii, Istrii, Sclavones, Servi, Cassubii, Vandali, Moravi, Boëmi, Carnioli, Carynthii, Sybirii, Cassanii, Astracanenses, Moscovitæ, Minglerii, Circassii, Dalmatæ, Lusatæ, Pomerani, Cassubitæ, &c.

Græcia olim etiam Thracia dicebatur, & à Ptolomæo Achaja, principium sumit ad meridiem ab Isthmi Corynthiaci angustiis, indeque ad septemtrionem ad Thessaliam usq; & partem Ægei maris extenditur, ad occasum Archeloo fluvio ab Epiro dirimitur, ab ortu rursus habet mare Ægeum. Dividitur primò in magnam & minorem Græciam.

ciam. Magna Græcia dicta est extrema Italiæ ora, à Locris Italiæ fronte initium ſumens, in tres recedens maris Auſonii ſinus, patens in longitudinem octuaginta duo millia paſſuum, ut ex ſententia Varronis ſcripſit Plin. lib. 3. cap. 10. Hanc Græci ſubactam maximis potentisſimisque urbibus compleverunt, quales ſunt Croton, Arpi, Thurium, Tarentum &c. Minor Græcia reliquam partem Græciæ comprehendit, quæ propriè Græcia dicitur, & Helladis nomine ab Hellene Deucalionis Filio deducto inſignitur. Dividitur Græcia in varias Provincias ex quibus ſunt iſtæ. Epirus, in qua olim Pyrrhus regnavit, & ea primùm Moloſſa dicebatur, & à Chaone Helleni Fratre Chaonia, nunc verò Albania nominatur, quondam urbibus populisq; frequentisſima, ſed ferè modò in ſolitudinem redacta, terminatur Epirus à ſeptemtrione Macedoniâ, ab Oriente Achajâ, ab occidente Jonio mari.

Dalmatia olim Illyris, Illyrium, & Illyricum, continet Sclavoniam, Croatiam, Carnaviam, & Raguſam, eſt ampla ſatis, ſecundùm dextrum latus Adriatici extenſa, à cæteris partibus, Iſtriâ, Myſiâ ſuperiori, & Mace-

Macedoniæ parte, quæ Adriatico mari incumbit, terminata. Urbes habet, Jaderam, Epidaurum poſtea dictamDirrhachium,hodie Raguſam, &c.

Achaja & Peloponeſus dicitur & Morea, eſt pulcherrima totius Europæ Peninſula iſthmo anguſtisſimo Græciæ adnexa, inter duo maria Ægeum & Jonium platani folio ſimilis anguloſis recesſibus duos efficiens ſinus, ab ortu Saronicum, Cryſſeum, ſive Corynthiacum, ab occaſu ſex millium paſs. anguſtiis diremptos. Olim etiam Apia & Pelasgia appellata, habet in circuitu circiter 363. millia paſs. amplisſimis olim plena urbibus, ex quibus fuerunt, Corynthus in ipſo ſtatim Iſthmo, deinde Argos, Mycenæ, Lacedæmon, Patræ, Meſſena, Corone, Methone, Elis &c. impropriè autem nomen Achajæ pro tota Græcia ſumitur. Macedonia olim Æmonia & Emathia appellata, & duobus Regibus, & Orbis imperio clarisſima, hanc à ſeptentrione à Dalmatia, Mæſiaque ſejungunt montana; ab occaſu mari Adriatico ſeu Jonio, ab ortu Ægeo alluitur, Medianam oram Epiroticæ Gentes & ipſa Græcia excipit, in hac regione eſt fons Arethuſa Poëtarum fabulis illuſtris, & mons Olympus in-

gentis altitudinis. Civitates præcipuæ fuêre, Apollonia, Panormus, Seratonia seu Adrianopolis, & Thessalonica nunc Salonica metropolis Philippensium ad quos S. Paulus duas epistolas scripsit.

Thessalia quæ una ex parte Bæotiam, ex altera Macedoniam habet, & est ad mare inter Peneum amnem & thermopilas extensa. Olim à variis variè cognominata fuit. Ab Æmone Rege Æmonia, ab Hellene qui ibi natus fuit, Hellas, Pyrrhea à Pyrrha Deucalionis uxore, dicebatur & Pelasgicon & Argos. In hac natus est Græcus Rex qui toti Græciæ nomen dedit, & Achilles, & multi alii celebres viri. Ibi sunt 24. montes, quorum nobilissimi sunt, Olympus qui situs inter Thessaliam & Macedoniam, propterea utrique regioni adscribitur; Pelion & Ossa Gygantum bello celebres, Pierius domus Musarum, Pindus, & Othrys Lapitharum sedes. Flumina sunt in Thessalia nobiliora Apidanus, Enipeus, Onochonus, Pannisus.

Bætia quæ est in finibus Græciæ Euboeæ insulæ objecta, ab Attica autem Citherone monte discreta, olim etiam fuit Aonis dicta & Ogygia, & Hyantis, & Messapia, & Cadmais. In hac Apollo natus, & major Hercules

les, urbs ejus præcipua Thebe. Laconica regio inter Argivum agrum & Messeneicũ secundum littus extensa, olim à numero centum civitatum Hecatompolis nominata: quarum omnium caput fuit Lacedæmon, quæ & Sparta, sapientissimis olim legibus Licurgi optimè instituta.

Phocis parva regio sinui Crisseo adjacet, Delphico oraculo, & Helicone Parnassoque montibus inclyta. Hujus incolæ dicuntur Phocenses, è quibus nonnulli putant profectos Massiliæ conditores, & non (ut alii putant) à Phocæensibus Joniæ populis. Hinc Plinius Massiliam Græcorum Phocensium Coloniam appellat.

Ætolia parva regio in tertio sinu Europæ Epiro, Acarnoniæ & Locris finitima, dicta ab Ætolo Martis, ut Plinio placet, vel ut aliis, ab Gadimonis filio, cùm antea Hyantis diceretur.

Locris regio monti Parnasso incumbens, cujus incolæ Locri dicuntur. Ex his qui occiduam Parnassi plagam incolunt ad Crisseum usque sinum pertingentes, medii inter Aeolos & Phocenses, à gravitate odoris Ozolæ, & à situ Hesperii cognominantur, qui verò Parnassum ad ortum accolunt, ad ma-

re usque Euboicum extensi, in duplici sunt differentia. Nam hi quidem à Cliteide monte Epionemedii, illi verò ab Opunte urbe Opuntii cognominantur, ut author est Strabo lib. 9. Sunt & Locri in extrema Italiæ ora, non magnum oppidum ejusdem nominis incolentes, ab iis Locris qui Ajacem Oileum ad Trojam secuti sunt, conditum. Atque hi discriminis gratiâ Epizephyrii cognominantur, quòd supra Zephyrium promontorium habitent.

Præter has decem præcipuas Græcorum regiones in Europa sitas, sunt & aliæ in Asia, veluti Jonia, & Aeolis, &c. & multæ insulæ quæ adjacent Cretæ, Peloponeso, Achaiæ, Epiro, & locis aliis.

Insulæ præcipuè in Europa sunt, Sicilia, Anglia, Scotia, Hibernia, Irlandia, Islandia, Corsica, Creta seu Candia, Sardinia, Melita, Corcyra nigra nunc Corfu seu Corfinium, Samothracia, præter quas sunt circiter centum & decem aliæ.

CAPUT II.

Africa est secunda pars terræ.

Africa, quam Græci Lybiam appellavêre, regio est latissima una ex præcipuis mundi partibus, ad Orientem Ægypto, & Nilo fluvio,

fluvio, ab occasu Oceano Athlantico terminata: à meridie Oceanum Australem, ad Septemtrionem mare Lybicum spectat. Nomen habet, ut Josephus docet, ab uno posterorum Abrahæ, cui nomen erat Afer, qui dicitur duxisse exercitum contra Lybiam, & ibi devictis hostibus consedisse. Provincias habet ad mediterraneum mare extensas duplicem Mauritaniam, seu Barbariam, Tingvanam scilicet, & Cæsanensem, deinde Numidiam, post Africam propriè dictam, quæ & Africa minor dicitur. Hanc excipit Cyrenensis sive Pentapolitana regio, post hanc est Lybia Mareotica Ægypto contermina. Interiora Africæ Aethyopes habent, plurimique alii populi monstrosi. Item præter 1378. insulas quæ adjacent Taprobanæ insulæ, habet etiam ultra centum alias.

Africa olim urbes habuit Carthaginem, Uticam, Adrumentum, Zanam, Hipponem regiam, & plures alias. Nunc Tunetum seu Tunissa civitas regia est. Æthyopia ab Æthyope Vulcani filio, qui illam rexerat, cognominata fuit, ut vult Plin. lib. 6. cap. 36. quidquid in ea fertile sub meridiano cardine est. Circa occidentem montosa, in medio arenosa, ad orientem deserta. Ejus situs

tusab occiduo Atlantem montem, ad Orientem usque ad Ægypti fines protenditur, à meridie Oceano, à Septemtrione Nilo flumine clauditur. Plurimas habet gentes diverso cultu & monstrosâ specie horribiles feris quoque & serpentibus referta est. In ea enim Rhinoceros, Chamæleon, Pardus, Basiliscus, Dracones ingentes. Quidam bitariam dividunt Æthyopiam, & quidem unam Asiæ, alteram assignant Africæ. Altera ad Orientem vergit, altera est sub meridie. In Africa sunt etiam sex Insulæ, quæ Fortunatæ & Canariæ dicuntur. Aliqui Æthyopiæ attribuunt, alii Ægypto civitatem Thebas 140. stadia in ambitu habentem, & portas centum, tota pensilis, hujus cives Thebani, regio Thebais, sed Thebæ fuerunt etiam in Thessalia, Cilicia, Lucania, Corsica, &c.

Ægyptus ut ait Plin. ab Africa Canopico disterminatur ostio, ab Asia verò Pelusiaco. Et quia inter has duas mundi partes sita est, propterea ab aliis in Africa, ab aliis in Asia, numeratur, ab Ægypto Danai fratre sic dicta, olim Aeria. Ab oriente rubro mari, Assyriæque conjungitur, ab occasu Cyrenen & Africæ residuum habet, à meridie usque in

Æthyo-

Æthyopiam protenditur, à Septemtrione, habet mare Ægyptiacum. In hac, inquit Plato, nusquam visum est pluere, sed Nili inundatione fæcundatur. Tempore Amasis Regis Urbes habuit viginti mille. Crinitus eam vocat Parentem terrarum, eò quod omnium populorum vetustissimi, disciplinarumque plurium Ægyptii sint inventores, rerumque Divinarum peritissimi fuerint. In eam Dædalus, Melampus, Pythagoras, Homerus, compluresque alii eruditionis causâ profecti, dogmata in suam quisque patriam attulêre. Ejus civitates insignes fuerunt Alexandria, quæ non longè à Nili ostio, ab Alex. M. condita, quam Dinocrates Architectus metatus est mirabili ingenio quindecim millium passuum laxitate, ad effigiem Macedonicæ chlamydis orbe gyrato laciniofo processu. Mareotis lacus ad meridianam urbis partem Eurippo Canopiso ostio immittitur. Habuit olim scholas omnis generis, fuitque totius orbis maximum emporium, extructa fuit ante Christum anno 320. intra spatium 17. dierum, teste Justino lib. 11. cum muro sex millium passuum, in hac Ptolomæus insignis Mathematicus est natus, ibidem S. Catharina Costi Regis filia passa est.

Memphis altera urbs Ægypti maxima ab Ogdoo Rege condita, & nomine filiæ ejus appellata, hodie Cairum, & Alcairum vocatur. Olim etiam Babilonia, quæ funditus fuit deleta, & in vicino loco Memphis extructa. Hæc Pyramidibus, & Regum sepulchris insignis, in ambitu habuit 150. stadia. Sita est in loco totius Ægypti opportunissimo, ubi Nilus in duas scinditur partes, & literæ Græcæ Delta speciem præbet, unde ex omni parte est portuosa.

Tania fuit metropolis Ægypti, in hac primam captivitatem Hebræi perpessi, non extat amplius, ut Brocardus scribit. Hermis, aliàs civitas Herculis, ubi arbor Persidis dicta B. Virgini fugienti in Ægyptum se inclinavit.

CAPUT III.

Asia pars mundi tertia.

Asia vel ab Asio, vel ab Asia Nympha Oceani & Thetyos filia Japeti conjuge, ex qua Prometheum ortum ferunt, dicta. E tribus partibus cingitur Oceano, à meridie Indico meridionali, à Septemtrione Scythico, ab Oriente Eoo, ab adversa parte habet Europam & Africam, & inter ambas Pelagus. Dividitur primò in majorem & minorem, & hæc

hæc in Phrygiam, Lydiam, Myſiam, Cariam. Major in alias Provincias, dividitur ab Europa Tanai fluvio, ab Africa Nilo.

Phrygia teſte Strabone lib. 13 dicta à Phrygibus populis è Thracia oriundis, qui antè Bryges dicebantur, hanc quidam volunt Dardaniam à Dardano Jovis & Electræ Filio, qui etiam Dardanam civitatem extruxit, alii Trojam à Troe filio Erichtonii, major Phrygia vergit in Galatiam: Minor Epicremia cognominata, & in hac eſt Ida mons, & Tmolus, Pactolus, fluvii. Item Ilium, & Licaonia civitates. Lydia eſt in minori Aſia à Lydo Atyſos filio dicta, olim Mæonia vocabatur, in hac eſt flexuoſus Mæander fluvius, ſuper Joniam procedit, Phrygiam ab ortu reſpicit, à ſeptentrione Mæſiam, à meridie Cariam. Urbes habet Philadelphiam, Hypapas, Magneſiam, & Sardis Cræſi regiam & regni caput; Incolæ dicuntur Lydi teſte Herodoto lib. 7. qui primi aurum argentumq; ſignârunt, primiq; caupones ac inſtitores fuerunt.

Myſia regio minoris Aſiæ ad Helleſpontum Troadi contermina, incolæ Myſi, adeò viles, ut in proverbium ceſſerint. Caria inter Lyciam & Joniam à Cara Rege, qui

primus avium auguria dicitur invenisse, à Borea Mæandro fluvio clauditur, ab occidente Icario, & Myrthoo, à meridie Rhodiensi, ab ortu Lyciis & aliis Gentibus. Duo habet promontoria, Pedalium & Cyra: Et tres Sinus, Thymnias, Schenus, & Bubesus. Civitates præcipuæ Thyssariussa, Laricania, Caunus, Aphrodisium, Halycarnassus, quæ est Argivorum Colonia, ibi est monumentum opus Artemisiæ, quod inter septem mundi relatum miracula.

Pontus est regio minoris Asiæ dicta à Rege Ponto, priùs Bebrycia, deinde Mygdalonia, demum Bythinia dicta à Thynis populis Thraciæ, crudelitate & Medeæ & maleficarum celebris, clauditur ut Strabo lib.1. &c. ab occidente Hali flumine, ab oriente Colchide, à meridie minore Armeniâ, à septemtrione mari Euxino. In ea præcipuæ civitates Chalcedon, Nicomedia, Nicæa. Reges, Mithridates, Eupator, & Pythodoris Regina, in ea natus Aquila veteris testamenti interpres, & Marcion hæreticus, Xenocrates Philosophus, Dionysius, Dialecticus: Hipparchus, Theodosius, & filii eorum Mathematici, & Cleophanes Orator, & Myrtlea, & Asclepiades Medicus nobilis.

Gala-

Galatia Regio minoris Asiæ, quæ etiam Gallogræcia dicitur, ab oriente Cappadociam & Halym fluvium habet, ab occidente Bythiniam & Asiam, à meridie Pamphiliam, à septemtrione Pontum Euxinum. Civitates ejus præcipuæ, Pompejopolio à Pompejo condita, Claudiopolis olim Andrapa, Antiochia, Pysidia, Neapolis, & Ancyra metropolis, ad hos populos S Paulus scripsit.

Pamphilia dicta ab arborum copia quasi tota frondosa, ab ortu Ciliciam habet & partem Cappadociæ, ab occasu Lyciam, à sept. Galatiam, à meridie mare Pamphilium. Civitates ejus sunt Oloja, Magidis, Seleucia, Pysidiæ & Antiochiæ, in ea est Melas fluvius, & Eurymedo apud quem Cimon Atheniensis Persas prælio navali superavit.

Cilicia Regio Asiæ minoris Syriæ proxima, tota ferè campestris, Tauro monti subjecta, à Cilice homine Phænice cognominata, ab oriente Amano, à sept. Tauri jugis, ab occid. Pamphiliâ clauditur. Metropolis illius est Tarsus, quam intersecat Cydmus amnis, aliæ civitates, Antiochia super trago. Pompejopolis seu Sole. Ægea, Seleucia, Nicopolis, Epiphania, Cæsarea &c. incolæ Cilices dicuntur.

Lyca-

Lycaonia etiam est in minore Asia, quæ etiam Lycia dicitur à Lyco Pandionis filio, inter Pamphiliam & Cariam sita, civitates ejus Iconium, Adopissium, Caima, Paralaide. Item Carya, Patara, S. Nicolai patria, Olympus, Xanthus, Myrrha, Telmisos. Illam claram fecerat delubrum Apollinis quondam opibus & oraculis Delphico simile, & monte Chimærâ ignivomo, in cujus vertice Leones habitant; in medio verò ubi pascuis abundat, capræ: ad radicem, serpentes: inde conficta est Chimæra monstrum flammas vomens, caput & pectus Leonis habens, ventrem capræ, caudam draconis, & quia Bellerephon Glauci filius hunc montem reddidit habitabilem, fingitur Chimæram occidisse.

Jonia etiam est in Asia minore inter Cariam & Æolidem, hujus populi ab Jonibus Græcis oriundi: decem civitates præcipuas in continenti iidem habuerunt. Milesum, Myrim, Prienem, Ephesum, Colophonem, Lebedum, Theon, Clazomenen, Phocæam, Erithræam, & duas in Insulis Chio & Samo. Hic fuit templum quod Dianæ Amazones Asiâ potitæ consecrârunt.

Æolis in eadem est Asia Lecto promontorio

torio à Troade, Hermo fluvio ab Jonia divisa, dicta sic ab Æolibus Græciæ populis, qui 12. in ea urbes ædificârunt, unde Herodoto lib. 1. ante Mysia dicta ut vult Plin. lib. 5. cap. 30. Cappadocia Pontica regio, lævo latere utramq; Armeniam Comagenemq; tangit, dextro multis Asiæ populis circumfusa ad Tauri juga. Euphrates eam ab Armenia majore dividit. Appianus minoris Armeniæ partem, Ptolomæus minorem Armeniam vocat, dicta est ab amne Cappadoce, antea Leucosyria vocata.

Syria Regio est Asiæ, ab oriente fluvio Euphrate, ab occid. mari mediterraneo, & Ægypto terminatur, à sept. habet Ciliciam, & partem Cappadociæ, à meridie Arabiam. Aliqui confundunt Syriam cum Assyria, alii quartam faciunt divisionem in Syros, Assyrios, Leuco-Syrios, & Cœle-Syrios. Alii dividunt eam in septem Regiones, videlicet, in Phænicem, Palæstinam, Judæam, Idumeam, Comagenam, Samariam, & Syriam, Syriæ propriè dictæ civitates sunt. Alexandria penes Issum fluvium, Seleucia, Pieriæ, Heralea, Laodicea, Possidium, &c.

Phænicia seu Phænice est regio Syriæ contermina, à Phænice Neptuni & Abyes filio

lio dicta, illius præcipuæ civitates, Tyrus, Sidon, Ptolemais, quæ modò Accion & Barytus dicitur, Cæsarea Paniæ olim Cæsarea Philippi, Tripolis, Botris, Dora, Antiochia penes Taurum montem, patria S. Lucæ Evangelistæ.

Assyria regio majoris Asiæ, quam Ptolomæus ab ortu parte Mediæ terminat, ab occasu Mesopotamiâ, à sept. parte minoris Armeniæ, juxta Niphonem montem: à meridie Scisianâ. Plin. lib. 5. cap. 12. Assyriam vult partem esse Syriæ, quæ postea vocata est Adiabene, dicta est ab Assur filio Sem ut scribit S. August. 15. civit. ejus civitates sunt Nini sive Ninive, ad quam fuit missus Jonas Propheta, nunc est desolata, Apollonia, Sura, Arbela seu Gagabela, ubi Darium Alexander vicit.

Leuco-syria dicebatur quæ nunc Cappadocia, de qua superiùs.

Celesyria seu Syria cele pars Syriæ teste Strabone lib. 16. quia ultra Seleuciadem in Arabiam & Ægyptum se extendit, estq; propriè illa quæ Libano & Antilibano includitur, ita dicta à cavitate.

Palæstina provincia Syriæ, quæ rursum in tres alias subdividitur, in Judæam, Samariam,

riam, Galilæam, licet aliquando Judæa pro tota Palæſtina accipiatur, inter has, auſtralem plagam obtinet Judæa, Galilæa ſeptemtrionalem, Samaria verò mediam. Alii his tribus partibus addunt duas alias, videlicet regionem ultra Jordanem, ubi Iturea & Traconitis, & Idumeam quæ eſt inter Judæam & Arabiam ſita, ab occaſum Caſio monti proxima, & ab Idume oppido cognominata, cujus meminit Lucan. lib. 3. Gazaq; & arbuſto palmarum, dic vel Idume. Ejus populi ſunt orti à Nabathæis ut Strabo lib. 6. qui ortâ domi ſeditione relictis ſedibus ſuis, extrema Judææ occupârunt. Protenditur autem Judæa in longitudinem à fluvio Majona, ſeu à Betſabea usq; ad montem Ephraim, in latitudinem verò à lacu Aſphaltite & Jordane ad mare Syriacum, ſeu ad vallem Spaim, à montis verò Ephraim radicibus, quos & includit, protenditur Samaria usq; ad Gelboe montes, & in latitudine à Jordane ad montem Soriacum. A Gelboe montibus usq; ad Antilibanum tota extenditur Galilæa in ſuperiorem & inferiorem diviſa. Judæa verò ut pars eſt ex duabus tantùm tribubus conſtabat, Judæ, & Benjamin, quæ regnum Roboam fuit, & deinceps regnum Juda. Solet tamen quandoque

doq; Judææ nomen ad eam regionem, quæ trans Jordanem eſt, protendi, ut Matth. 19. ſcripſit. Jeſum à Galilæa in Judæam trans Jordanem venisſe. Hujus provinciæ Judææ Metropolis & Regia fuit urbs Jeruſalem, aliæ civitates celebres, Bethleem, Jericho, Ephraim, Arimathea, & Nicopolis, item Bethel, Hebron, Cariatiarim, Eleuteropolis, Engaddi, Sicelem, Cades, Barne, & Berſabea Samaria inter Judæam & Galilæam ſita, à vico Gennariæ in monte Ephraim usq; ad radices Gelboë ſe extendit, ejus metropolis eſt Samaria in vertice montis Bomer ut corona ſita, à qua tota Provincia denominatur: Alia civitas eſt Sichem, ſeu Sychar Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo habitatoribus celebris inter Dan & Bethel montes ad radices Garyzim ſita non procul à prædio quod Jacob dedit filio ſuo, & à fonte ubi Chriſtus cum Samaritana collocutus, reliquæ civitates ſunt ſolo æquatæ. Galilæa inferior eſt in Jordanem poſita: Superior autem trans Jordanem eſt, & ea quæ magis ſpectat ſeptemtrionem juxta montem Libanum, usq; ad Syriacum mare, Galilæa Gentium dicta eſt. Illa à Jordane ad mare mediterraneum, & à Samaria ad Phæniœm Syriæ terminatur.

minatur. In ea est mons Thabor in planitie magni campi Esdrelon. Propè illam plus minùs milliario secundo in colle quodam sita est Nazareth, ad oram verò ejusdem montis occidentalem versus mediterraneum mare ex altero montis latere ad radicem parvi Hermon, juxta torrentem Cisson, ubi & lacum Genesareth ingreditur, sita est Nain, ad Septentr. magis est Capharnaum hujus Provinciæ Metropolis in angulo ubi Jordanis fluvius in lacum Genesareth (qui etiam mare Galilææ dicitur) prorumpit. Postea versus Austrum sequitur Betsaida à Philipp. deinde Herodis filio Julia appellata. Huic Magdalum succedit in ora laci ad Austrum, Mariæ Castellum, unde & Magdalena dicebatur. Non procul inde Tyberias, quæ cùm olim Chener diceretur, & parvus esset viculus, ab Herode Antipatre in urbem munitissimam est versa Tyberiasque ad Tyberii Cæsaris honorem appellata. Ab Jerusalem Euronotum versus milliario vigesimo secundo Jordanis in lacum Asphaltitem intrat, & de cætero non comparet. Idem lacus olim vallis fortis, & salinarum dicebatur, in eo sitæ erant quinque illæ opulentissimæ civitates, Sebois,

Hemor, Adama, Gomorra & Sodoma. De situ totius Palæstinæ vide Calixtum.

Syria Damasci, est alia Syriæ Provincia, quæ campo adjacet Damasceno, cujus Damascus urbs metropolis est. Hæc terra Hus sive Hus dicitur fuisse Patria S. Job, ab hac etiam pruna Damascena vocari putant, & forsan inde accepit terram Deus pro formando Adamo.

Syria Antiochena, est alia Provincia, quæ prima omnium à Cilicia discedit, in qua Antiochia Civitas Metropolis est, in qua primùm discipuli Christi vocati sunt Christiani, & S. Petrus primam collocavit cathedram. Hæc teste Hieron. Hemath. vocabatur, & ad Orontem fluvium sita, à Selevco Nicanore condita, à Patris sui nomine cognominata, ut tradit Strabo lib. 15. Stephanus Bizantius, & alias ejusdem nominis civitates enumerat. 1. In Lydia ab Antiocho Epiphane cognominatas. 2. In Mesopotamia, quæ & Mygdonia, & Siloë dicitur. 3. In Pisidia. 4. Inter cavam Syriam & Arabiam Semiramidis opus. 5. In Cilicia ad Pyramidum fluvium. 6. In Paria, quæ & Arados à Syris appellatur. 7. Ad Calistonem lacum. 8. Ad Taurum montem in Comagena re-

na regione. 9.In Scythia. 10.In Costa, quæ & Pythopolis fuit appellata. 11. In Mangiana ab Antiocho Sotore condita. 12. Etiam Tarsum Ciliciæ volunt esse Antiochiam.

Comagena pars Syriæ supra Ciliciam in ortu, sita trans Amanam montem, procurrit usque in Mesopotamiam, à qua fluvio Euphrate dirimitur.

Babilonia regio est majoris Asiæ, à Septent. Mesopotamiæ partem, ab ortu Susianam, à meridie sinûs Persici partem, & ab occasu Arabiam desertam habet. Vocatur regio à Babilone urbe, quæ olim Assyriorum regia fuit, vel ut alii volunt, totius Chaldææ caput, à qua magna pars Mesopotamiæ & Assyriæ Babilonia est appellata. Erat ad Euphratem fluvium posita à Nemrod Gygante, postea à Semiramide perfecta, de confusione lingvarum eorum qui turrim ejus ædificabant cognominata. Hæc urbs mænibus, hortis pensilibus fabricis, fuit admiranda, in campo undique plano. Muri lati cubitos 50. alti 200. longi 580. stadia, Euphrates urbem mediam secat, murus est ex cocto latere interfuso bitumine fossa extrinsecùs latè patens, à fronte murorum centum portæ æreæ. Præter hunc

etiam regio continebat altas civitates, ut Bitlam, Cæsam, Telmon, Orchen, seu Urchain, ipsa est Ur Chaldæorum Abrahæ Patria.

Mesopotamia regio majoris Asiæ, inter Euphratem & Tygrim, unde & nomen idem sonat, quod, inter fluvios. Habet autem Tygrim ab oriente, Euphratem ab occidente, à meridie Babiloniam, ab Aquilone Caucasum. Plin. l. 6. ait eam etiam Selevciam appellatam fuisse à civitate Selevcia, quæ erat alia ab ea quæ in Syria Antiochena, & ab ea quæ ad Selum amnem constructa. Habet hæc regio & alias urbes, ut Edessam, seu Edissam, quæ modo Rase dicitur., Zama, Charza quæ Hæbræis Chana dicitur, ubi Abraham habitavit, & M. Crassus cum Romano exercitu cæsus.

Susiana regio majoris Asiæ Persicæ ditionis, à Sept. terminatur Assyriâ, ab occasu Babiloniâ ab oriente Perside, à meridie parte Persici sinûs, vocata à Susa urbe Persarum regia, & totius regni capite, à Dario Histaspis, ut Plinius, seu ut Strabo à Tithone Memnonis Patre condita. In hac urbe fuit illa Cyri regia candido marmore, columnis aureis, multisque gemmis exornata. Hæc civitas

civitas modò Baldach appellatur, & in ea Pontifex magnus Saracenorum quem Calephum vocant resîdet, sunt hic duo ostia Tygris, & aræ Herculis.

Hæc interim de terræ divisione sufficiant cùm in præsenti non agamus Geographum, Americam omittimus, ne diutius in ista excursione moremur. Potissimùm cùm hæc terra neque sit tota cognita neque adeò cognitu nobis necessaria.

SUBSECTIO III.

De Constitutione Terræ.

CAPUT I.

Terræ mirabilia.

Terræ motus sæpiùs de nocte accidit, & tum silet mare; accidit & post maximas pluvias si illis magnus calor successerit. Unicum dant remedium fossæ profundæ. Athenis fuit domus in qua semper stulti nascebantur, & hæc eversa jussu Magistratûs, de quo Laërt. In Paphlagoniæ parte meridiana subsultat campus, uti solent choreæ. Melita nec serpentes, nec alia venenata habet. In majore Polonia circa Sremum oppidum est collis, in quo ollæ, amphoræ, cacabi, & aliarum figurarum vasa fictilia sponte formata effodiuntur mollia, sed in aërem

prolata durescunt. Ita in descript. Poloniæ Krzyst. At verò Kirch. lib. 3. Hetr. cap. 3. ait, In uno montium Apennini est vorago fundi inexplorabilis vasti orificii, intra quam ingens monedularum nidificantium multitudo, extra illam nunquam exeunt, & quo vivant ignoratur.

Arenâ quæ ripis fluminum sole calefa-cta, si obruatur hydropicus, juvatur, exsic-cat enim. Terra Erythræa alia est grysea, alia alba. Prior in medicinis potior & ad-stringit; & si exuratur, fortiter exsiccat. Samia terra optima est candida, levis, & quæ attactu lingvæ solvitur, iisdem ferè virtu-tibus pollet quibus Erithræa. Sistit etiam nimios sudores inspersa corpori. Terra Chia subgrysea optima est, iisdem ferè viribus pollet quibus priores. Sicut & terra Sele-nusia candida. Sed Creta Cimolia sive sit candida sive subnigra infrigidat. Melia si-mili vittute atque alumen. Ampelitis ex Sy-ria prope Seleuciam, optima quæ nigra, ha-bet vim dissipantem: si viti affricetur, ait Paulus lib. 7. priusquam germinet, nullis vermibus infestabitur botrus. Non procul à Volaterra, ait Kirch. lib. 3. Hetrur. terre-stris fusci coloris gleba talem de se Mephi-

tim

tim ſpargit, ut nemo hunc locum tranſeat ſine capitis dolore, & volucres quoque fætore veluti exanimatæ cadant. Tribus mill. Ital à Leocia Senam verſus occurrit mons rotundus, juxta quem condenſum nemus, abyſſum inexploratæ profũditatis exhibet, ex qua certis annorum temporibus tanti turbines erumpunt, ut nullibi majores, videbis arbores circum proſtratas, ramis mutilas, ventorum impetu ſemiuſtas. In Apennini jugo quingentis circiter paſſibus ab oppido Petramala eſt ſolum adeò fervens, ut ſi foſſam feceris, ac frigidam infuderis, mox bullire videas. In agro montis politiani omnia conchyliorum genera reperiuntur. Invenitur hoc ipſum in Cottiis Alpibus. Plura de his in Hiſtoricis.

CAPUT II.

Partium Terræ figura.

Aſia minor figuram exhibet calicis, Linguæ exertæ India, calcei virilis Italia, & ut Gviliel. Poſtellus adnotat. Peloponeſus ſimilis folio Platani, tibiæ mortui Italia, Corio bubulo Hiſpania. Africa pileum Ducis Venetorum refert, qui eſt retrorſum inclinatus. Europa Virgini flectenti coronatæ, cujus caput Hiſpania, ſiniſter humerus

Gallia, pectus Germania, ſiniſtra manus Dania, dextra Italia, partes reliquæ, Polonia, Moſcua. Aſia ſimilis eſt pelli quæ detracta lacertæ, caudâ ſemi-truncatæ. Hic truncus caudæ Chinas refert & Regnum Catajæ, Pellis pedis anterioris Malabares, Poſterioris Malacam. Siniſter priorum pedum deorſùs antrorſùm, peninſulam poſt Moſcovitas excurrentem, poſterior eam partem quæ oppoſita eſt Malacæ. Strabo Europam asſimilat Draconi, cujus caput Hiſpania, collum Gallia, venter Germania, Polonia, Cauda in Daniam ſe, & verſus novam Zemlam extendit, ala, una Italia, & Græcia, altera Norvegia.

CAPUT III.

Centri Terræ proprietates.

Centrum terræ hæc habet propria, ſi pons conſtrueretur circa terram circularis, imò trigonus, aut alterius figuræ, ita ut ambiret totam terram, nullo penitùs fulcro egeret, dum partes omnes paris eſſent gravitatis, quia nulla verſùs terram caderet, quin aliam deberet elevare, atq; adeò una alterius lapſum prohiberet. Si tamen pons eſſet trigonus paucisſimi in illo conſiſtere poſſent homines, plures in quadrato, & plures in

ejus

ejus figura quæ magis accedit ad circulum, in circulo vero ubiq; stare possent. Quia non solùm perpendiculariter ad centrum terræ debet homo consistere, sed etiam debet sub pedibus habere lineam quæ cum ducta ex centro angulos faciat rectos, quales in figuris pauculorum angulorum, admodum paucæ haberi possunt. 2. Quodcunq; corpus liquidum seu fluidum in centro poneretur, in globum se colligeret, ut ignis, aqua, arena, ideoq; & damnatorum corpora in inferno circa centrum globum efficere conaturaliter debent. 3. Centro terræ nemo pedibus insistere potest, corpora enim gravia suo puncto gravitatis se conformant centro terræ, in homine verò centrum gravitatis est non in pedibus, sed propè umbilicum, quo circa. 4. Si homo poneretur in centro, esset tam capite quàm pedibus sursum, minimè tamen inflexus. 5. Si homo rectus poneretur circa centrum, ita ut in ipso centro os haberet, nec comedere nec bibere posset, quia omnis cibus versus centrum relaberetur, ipse autem esset pedibus sursum. 6. Si totus globus in duo hemisphæria secaretur, in planis areis solùm homo unicus sine violentia stare posset, eadem ratio est quæ

pro puncto primo. 7. Ædificia quæ ædificantur in terra ad perpendiculum, non habent latera perallela, quia lineæ perpendiculi ad centrum vergunt ut in eo concurrant, itàq; non ſunt paralellæ, ergo neq; ea quæ ad normam illorum eriguntur. 8. In centro terræ vas plenum aquæ quomodocunq; locaretur, retineret aquam, quò enim alió refunderet? 9. In eodem centro vas non eſſet plenum aquâ quod in ſuperficie terræ eſſet plenisſimum, quia in minoris ac centro concentricæ ſe ſphæræ elevaret ſuperficiem, itaq; vaſis labra deſereret. 10. Si usque ad Antipodas perfoderetur tellus, & per ſcalas, illinc unus à nobis, alter verſùs centrum deſcenderent, in eodem ſcalarum gradu plantas pedum ſibi opponerent. 11. Si in centro terræ plantæ alicujus ſemen pullularet, radices in globum arctaret, ramos verò circa radicem in ſphæram diffunderet. 12. Quomodocunq; in centro mundi grave collocaretur ſtaret immotum. 13. Si poneretur uniformis in centro ignis, nulla pars ejus ſurſum avolaret. Si moles aquea uniformis, orbiculatim involveret ſubjectum aërem, & ne guttula quidem caderet. Si fieret puteus rotundus usq; ad centrum juxta

per-

perpendiculi directionem, figura ejus esset conica, si Babylonicæ turris parietes fuissent perpendiculariter extructi & usq; ad Lunam producti, à se discessissent 51. milliari, & si usque ad solem elevati fuissent, removeri illos à se oportebat 1141. milliaribus, &c.

CAPUT IV.

De terra quæ intra hominem generatur.

Nec solùm terrestre est animal homo, sed & terram intra se infelici partu subinde profert. Ans. Boët. lib. de gemmis habuit sub cura Nobilem quendam Pragæ, qui cum diu colicâ laboràsset, eaq; tandem in paralysim desiisset, calculum ovi gallinacei magnitudine, colore subrufum, per alvum dejecit, apud eundem, quidam Aurifaber, majoris fabæ magnitudine in hepate similem Bezoari habuit; narrat Ægineta lib. 3. cap. 31. quendam qui diu sangvinem ejecerat, quatuor calculos asperos tribulorum instar, tussi ejecisse. Beniventus, quendam, qui diu inani tussi affligebatur, tandem magnitudine avellanæ lapidem expuisse. Simile quid de altero tradit Fernelius, simile & de alio, qui inter tussiendum sæpè præduros hordei aut pisi magnitudine expellebat. Gesnerus in Bodehorni Juristæ vesicula fellis 22. calculos

los fuisse repertos, Fallopius in simili loco 123. narrat se reperiisse: Sed quod membrum est ab hac infausta minera liberum? non caput, non stomachus, non hepar, non articuli, non intestina, uti passim apud Medicos legimus. Sed & plantas homo protrudit, nam ut Kircher in mundo subterr. Hispanus quidam è latere plantam protulit, adeò amplam, ut opus fuerit forfice, sed extirpari non potuit, quia radices usq; in femur profuderat. Alter cum difficultate urinæ laborâsset, tandem culmum hordeaceũ protulit. Rationem calculorum in Meteorologia dedimus. Plantarum, aut maleficia, aut semen intra corpus receptum, neq; calore consumptum, ac humore competenter irrigatum.

CAPUT V.

Aliqua terræ prodigia.

Terræ ludi sunt, pisces lapideos exhibere, quales in agro Veronensi inveniuntur. Ludus & ille, in Italia in monte vicino Tiburi, ex siccissimis saxis fungos instar cucurbitarum maximos protrudere, qui non solùm usui, sed & deliciis accolarum sufficiunt. Credimus autem exhalationem saxi in eos boletos concrescere pluviis admixtam.

Jam imagines animalium, ossium, & ejusmodi, quæ inter fossilia occurrunt inter ejusmodi ludos nemo est qui non debeat numerare. Non ludus autem sed bonitas aut malitia soli, quod hic avenam insitam ad hordei, siliginem ad tritici nobilitatem deducat quod in Lusitania plantam cinnamomi ad laurum, piperis ad hederam, garyophilli ad simile quid castaneæ demoveat. Gratiæ illud est superioris causæ quod Hibernia omni venenato animali careat.

CAPUT VI.

De fodinis.

In Metalli-fodinis si aqua diu stagnet immota innascitur illi cuticula, quam si moveris, certa mors. Hanc censemus esse halitus antimoniales concretos. In iisdem apparent frequenter dæmones in forma pygmæorum, nullus æstus immodicus aut frigus grave percipitur. Venti nulli advertuntur. Coacervantur subinde vapores qui facilè cum tonitru grandi accenduntur. Reperiuntur quandoque aquæ potui aptæ, sæpius ineptæ. Profunditas plerumque excedit ulnas 147. Plura vide apud Kircher.

CAPUT VII.

Montium quorundam altitudo.

Montes præcipui hâc sunt altitudine. Pelion

lion passus 1250. Catalyrium 1680. Cyllenom. 1875. Petra Sogdiani 3750. Hæmus 10000. Olympus 1269. Petra Sisimythræ 1875. Picus mons in Canariis 10000. Æthna 4000. Caucasus 15000. Cassius 28000. Atho 20000. Atlas 15000. Riphæorum altissimus dictus Stolp. 25000. Norvegiæ montes 6000. Montes Lunæ 15000. Hæ verò montium asperitates quod rotunditati terræ non obsint ostendimus in libris de Cælo.

CAPUT VIII.

Imitatio terræ, & quorundam lapidum.

Verùm & ars imitari novit naturam in saxis formandis, aliqua dabimus hic, plura inferiùs paradygmata circa lapides præcipuos eosque meliores. Si vis *Crystallum fingere*. Lapides aluminosos in solatione atque irroratione frequenti macera, in calcem redige, & in lebete non sine continua agitatione coque. Cocta materia in vasa querna effundatur, & habebitur liquor ad formandos crystallos. Fac ergò cruces, candelabra & quidcunque placuerit ex ligno querno, aut salice, quæ è filo ferreo intra prædictum liquorem appende, reperies vestita glacie instar adamantium. Quod si verò ex ipsa hâc glacie velis statuas simulare, in modulos quernos prædictum liquorem infunde.

funde. Et ex his conjectare sit pronum quomodo natura hanc gemmam formet, quo fine referimus & ea quæ sequuntur.

Alabastrum imitaberis ex Ans. Boët. l. de gemmis. Silices fluviatiles pellucidos reduc in pollinem additâ calce vivâ, & aquâ glutinis, concrescereque sine. *Marmora*, *ex eodem ibid.* gypsum, sal, calx, misceantur sangvine bubulo, addatur pulvis lapidum, & frustula marmorum vel jaspidum, quæ omnia, aceto, vino, vel cerevisiâ, vel lacte aut ejus sero excipiantur: addantur huic massæ varii colores, qui agitentur cum massa virgulâ, ut ducant venas. Ubi massa resiccata fuerit, poliatur smegmate vel oleo. *Ad saxa rudia fingenda* sufficit cerevisia, gluten, sal, calx, & lapidum pulvis, seu arena, acetum affusum, quia stringit, efficit lapides duriores. *Ne verò lapis ab aqua patiatur*, calx, lapis calcarius crudus, aut coctus, lateres, cum cervisia subigantur acida, & massâ in debitam figuram reducatur, ac ubi resiccata fuerit, oleo lini imbuatur. Quod si placeat *Colores crystallo addere ut gemmas æmuletur.* Aqua ex terebinthina & aqua vitæ conficitur, huic color additur metallinus, aut in aqua urinæ stillatitia dissolutus

lutus, ac distillatus per alembicum, in hanc tepidam crystallus tepida injicitur per horas aliquot, donec tingatur. Pro rubro colore assumitur crocus martis, pro viridi ærugo, pro cæruleo Luna, sal ammoniacus, & aqua fortis: pro cyaneo ærugo & lapis lazuli. Sed his injecta crystallus fiet mollis, ut ergo durescat involvatur in chartam & massæ panis imponatur furnoque inferatur per horas sex, sed charta priùs undique croco martis obruatur. Ita ex Ans. Boët. Kircher.

CAPUT IX.

Alia quædam terræ mirabilia,

Inter mirabilia terræ illud referimus quod Vadianus in mela narrat. Esse nimirum specum in Dalmatia, in quem dejecto pulvere levi, quamvis tranquillo die, turbini similis emicat procella, quod & in alpibus proximis Abbatis Cellæ, (ita pagus Helvetiorum vocatur) ingenti & altissimo specu fieri observatur. Quòd sonus in immensum augeatur provenit ex reflexione simili quam Syracusana exhibet auris apud Kircherum in Musurgia. Sonus verò non fit sine commotione aeris, & quò major magis quatit aerem, hic ex profundo erumpens

pens prōcellam imitatur. Non diffitemur tamen suam operam huic prodigio malas Intelligentias posse commodare ad stultam plebis fovendam persvasionem, nam idem narrator id dicit. In palude quæ est in monte Pilati Fracmont dicto juxta Lucernam Helvetiorum Urbem, persvasum est omninò Accolis, si quis non casu, sed de industria aliquid injecerit, simile prædictis evenire: Sed pii & cordati Religiosi aliter sunt experti, oppidani autem referunt quosdam capite plexos ob calamitatem accolis allatam, qui pacatum lacum irritare sunt ausi per alicujus rei injectionem, meminit hujus erroris in populo Gretserus, & refert nomen hujus Religiosi qui ad experiendum injecit lacui non unum lapillum facie cœli serenâ sibique constante. Illud tamen admirari convenit quod Scalig. exerc. 249. testatur. In agro Coscoræ quæ est in Angot provinciæ Trogloditiæ Æthyopiæ, toto anno seritur ac metitur, eodem tempore mandatur semen arvis, & aliud triticum adolescit, aliud spicatur, aliud metitur, aliud lectum avehitur ad trituram &c. Simile huic quod refert Conrad. Heresbach de re rustic. pag, 33. In Chalica Rhodiorum, traduut locum

quempiam ita fæcundum, ut suo tempore satum demetant hordeum, sublatumque protinus serant, ac cum aliis frugibus metant. Herodotus scribit, Babiloniam adeò fertilem, ut ducenta, atque etiam trecenta reddat. In Thuringia Germaniæ, ajunt, semel triticum satum sequenti, & altero anno spontè prodire. In Africa, eodem loco palmæ subditur olea, huic ficus, ficui punica, illi vitis, sub vite frumentum seritur, mox legumen, omnia eodem anno aluntur, & sub aliena umbra. Augusto miserat ejus Procurator ex uno grano 400. germina. Varro tradit, quindecim ibidem diebus frumentum in vaginis latere, florere totidem, & totidem arescere. In Babilonia triticea hordeaceaque folia quatuor digitorum latitudinem assequi tradit Herodotus. Rapum se vidisse ait Plin. 40. libras excedens, sed alibi excessisse 100. proditum est, &c.

CAPUT X.

De centro terreæ gravitatis.

Centrum gravitatis dicimus cujuscunque gravis ut gravis esse medium. Hoc mutatur adjectione ponderosi ad alterutram partem; mutatur & ademptione, jam enim non esset inter partes graves æqualiter. Proinde

de in sphæra quæ conflata esset ex partibus æqualiter ponderantibus idem esset magnitudinis & gravitatis centrum. Gravia cum descendunt suo centro gravitatis describunt lineam directionis, cui si ita corpus aliquod se accommodaverit, ut linea directionis per centrum gravitatis, & punctum cui insistit, transierit, etiam in uno puncto subsistet: ab hac verò linea si desciverit, semper cadet. Id experiri est in pyramide, & cono, dummodo aliunde non turbentur. Hinc si homo ita pedi insistat uni, ut linea directionis transeat per pedis extremum ac capitis verticem, nullo modo brachium extendere poterit citra lapsum, quia majus pondus alteri parti adjiciet, quæ ad se reliqvum pertrahendo, extra lineam directionis corpus constituet. Hinc etiam provenit, si quis se muro aversus applicuerit utrique pedi firmiter insistens, antrorsum se, pedibus suo loco non motis, inclinare non valebit, imò si humili considens in stella porrectis ante se pedibus consideat, illis non retractis assurgere nefas experietur, ex quo etiam provenit ut projecti in terram, in eaque extensi decumbentes non assurgamus nisi complicato corpore, aut

manibus innixi. Funambulones videntur ſubinde ſe his legibus liberare, verùm non ita eſt. Sed velocitas motûs illorum anteit noſtrum viſum. Servant leges, ſed priùs explent, quàm nos advertamus. Quæ etiam facit velocitas, ut mota quædam videantur continuum circulum facere aut lineam. inſuper iſti homines docti ſunt impulſum ſibi dare, quo ſubinde etiam aliquamdiu ſe in aëre ſuſpendunt. Ob hanc ipſam cauſam quadrupedia nunquam ejuſdem lateris utrumque pedem ſimul erigunt, & ſi priores elevârint ſe in tergus retrahunt. Ut nimirum centrum gravitatis ad lineam directionis pedib9 ſuperponant. Hinc etiam grues, ciconiæ, & aliæ colli longi alites, roſtro aliquid è terra levaturæ, retrahunt ſe retrorſum. Neq; ſolùm animalia huic ſubjacent legi, verùm & plantæ, quæ ſemper perpendiculum non cum area quidem cui inſiſtunt, ſed cum horizonte ſervant, excipe cucumeres, pepones, cucurbitas, hederam, & alia ejuſmodi, quæ caulis debilitate ſuſtentare, ſe nequeunt. Verùm & ædificia ad eandem regulam ſpectant. Ex quo clarè patet, non plura in monte poſſe conſtrui, quàm in plano monti ſubjecto potuiſſent, neq;

neque plura posse recti caulis in alterutra superficie provenire, etsi plura seminari grana possint. Pro his & horum consectariis demonstrandis admittimus illas regulas quatuor, quas Guido Ubaldus, & de Galilæis demonstrant. 1. Æqualia pondera ab æqualibus distantiis appensa æquiponderant. 2. Æqualia pondera ab inæqualibus bilancis distantiis appensa non æquiponderant. 3. Inæqualia gravia ab inæqualibus distantiis non æquiponderant. 4. Inæqualia gravia ab inæqualibus distantiis æquiponderant, cùm à distantiis reciprocè proportionalibus fuerint appensa. Ex his patet quod ex natura rei, & tellus accedentibus in unam partem ponderibus mutare centrum debeat gravitatis, trepidare tamen minimè debet, cum sit fundata super stabilitatem suam, ob quam causam S. Ephrem negat posse omnes dæmones terram loco movere, maximè, cùm illud quidquid accesserit telluri insensibile censeatur, sicut musca accedens graviter onustæ bilanci, mõs siquidẽ integer non majorem habet rationem ad terram, quàm granum papaveris ad montem, ut affirmavit solidè Cleomedes lib. de mundo cap de terræ magnitud. sed & Seneca 4. natur. quæst. cap. 11 Unde intulit The-

oph. Raynaudus dist. 4. q. 3. a. 3. n. 247. Theol. nat. Rusticis eos ridendam tradere Philosophiam, qui quantumvis ex modica centri gravitatis variatione, ita putant æquilibrium terrestre pessũdari, ut necesse sit ad muscæ accessum totam terram, tam pigrum pondus subsilire, ac tremere. Juxta probabilem computum, terræ pondus est minus quàm quatuor milliones millionum millionum millionum: majus tamen quam tres milliones millionum millionum millionum, per libras terram computando. Itaque ut ad tertiam partem pedis à centro discederet, deberet illi pondus apponi 16. millia millionum millionum. Tantum enim ponderat orbis terræ crassitie dictæ latitudinis sumptum penes centrum. Demus verò apponi aliquod ædificium, cui circumeundo ampliùs quàm octo insumendæ sint horæ, altitudo verò hujus ponderis sit pedũ 200. crassities parietum pedes 40. idque totum solido nativo constet lapide, cùm hujus lapidis cubus pedalis non ponderet ultra 120 libras, sequitur ut tanta moles ædificii non accedat ad pondus librarum centum quinquaginta mille millium millium, qui numerus plus quàm centies ingreditur prædicti

orbis

orbis terrei pondus. Sequitur quòd non possit movere terram ad particulam talem unam qualium sunt in uno pede centies mille. Sed demus, non ædificium sed montem accrescere, qui sit 12. mill. germ. altus, quantus nullus reperitur, siquidem diameter terræ juxta Tychonem, cui in præsenti negotio multa fides, 1720. non esset ille mons respectu terræ, ut Verruca parvula in facie respectu capitis & vallis 12. mill. germ. profunda minor erit quàm vestigium variolæ in eodem homine. Erit enim ut 12. respectu 1720. Itaque etsi terra non esset fundata supra stabilitatem suam, necdum titubare debet ad quodvis onus quod ei hoc rerum cursu potest accedere, uti etiam nec accessio molis tantæ variaret moraliter ejus rotunditatem.

CAPUT XI.

Adhuc aliqua de terra.

Terra etsi non esset globosa eodem modo nobis astra apparerent, & ferè sub iisdem magnitudinibus, cùm enim Sol juxta Tychonem distet à terra distantiâ mediâ, mill. germ. 988. 140. etiamsi terra 100. aut 200. mill. extra modernum locum ferretur, intuitum notabiliter non diversificaret: Imò

ut docti Astronomi demonstrant, terra si ex sole despiceretur, vix pilæ manuariæ magnitudine notaretur. Sed est etiam per experientiam rotunda terra, testantur qui eam circuiêrunt, ut fuit Magellanes, qui simile sibi solum & ubiq; æquè protensum deprehendit, ubiq; advertit æquè maria circumfundi, & littoribus ut aggere concludi, ubiq; post 15. milliaria germ. unum gradum elevationis astrorum decedere, aut crescere. Terræ pondus sic perscrutamur, sit sphærula unius libræ permixtæ telluris, cujus diameter sit pars trigesima passûs geometrici, hinc deduco pondus sphæræ cujus diameter est passus unus. Euclides demonstrat lib. 12. prop. 18. sphæras habere rationem triplicatam diametrorum, triplicetur proportio unitatis ad 30. fit. 1, 30, 900, 27000, quartus numerus dat pondus sphæræ cujus diameter est passûs unius. Sed milliare Italicum continet passus 1000. rursus unitatis 1000. proportionem triplico hoc modo, 1. 1000. 1000000. 1000000000. & hic ultimus numerus est pondus sphæræ habentis diametrum milliaris Italici, multiplicetur per sphæram unius passûs, & fiet pondus globi unius milliaris librarum 27000. 000. 000.

000, diameter verò terræ continet milliaria Italica 6880. proportio inter 1, & 6880, triplicatur hoc modo. 1, 6880. 47334400. 325660672000 0, & toties continetur sphæra uniûs milliaris Italici in globo terrestri, multiplicetur hic numerus per unam hujusmodi sphæram, dabit pondus terræ totius librarum 8792838144000000. 0000000000. Ulteriùs si quæras, si tota terra fieret magnes, quot ferri libras traheret? Si libram ferri trahit palmus cubicus magnetis, respondeo totam terram, tracturam ferri libras 30736314684800000000000.

CAPUT XXI.

Conjectura de numero hominum in terra.

Si quæras quot probabiliter homines terram incolant? Sic respondeo. Terraqueus globus ducentos milliones millionum quadratorum passuum habet, deme dimidium pro mari & aquis, & dimidii partē pro sylvis & locis incultis, supererunt 24. millia millionum passuum quadratorum, & tamen nec centesimam terræ cultæ partem occupant homines. Sed quotnam quotidie moriantur? revelatum fuit semel, uno momento mortua millia sexaginta: sed tot non possunt mori semper, nam sumamus momen-

momēta sexaginta pro una hora, mori deberent plures quàm centum quadraginta quatuor milliones millionum, tot verò terra non capit. Jam si tot essent homines ut positi sunt ex hypothesi, & per dies 10, solùm millesimus eorum moreretur, omni die itaque vivi cum mortuis sumpti debebunt esse ad minimum 144. millia millionum. Terra quòd instar puncti se habeat respectu cœli, colligitur ex eo, quia semper signa Zodiaci sex cum dimidio cœlo nobis apparent. Neque stellæ positæ in ortu occidentalibus populis minores aut è contra, quod necesse esset si terra respectu cœli notabilem haberet quantitatem. Præterea ex quorundam sententia, diameter cœli se habet ad diametrum terræ ut 28000. ad 2. circuli enim sunt ut diametrorum quadrata, & sphæræ ut diametrorum cubi, prædicti numeri si inter se multiplicentur, & major cubus per minorem dividatur, terra se habebit ad cœlum ut 1. ad 2744000000000.

CAPUT XVII.

De lucrando aut perdendo die in orbis circuitu.

Si quis orbem terrarum semel circumiret, unum quidem diem lucraretur si versus

ſus Orientem procederet, unum autem amitteret ſi verſus Occaſum iter inſtitueret. Magellanes id nobis myſterium aperuit. Hujus enim navis dicta victoria cùm verſus occaſum progreſſa, orbem circumiviſſet, ſtetiſſetque Hiſpali die 7. ſept. unam diem ſe amiſiſſe advertit, ſiquidem omni diligentia dies computantes ſextam in ſuis diariis habebant. Movit res & admirationem, movit & ſtudium indagandi, ut refert Jacobus Maſonius lib. 3. cap. 26. in defenſione Dantis, & Puteanus. Res ſic habet. Diem numeramus quoties meridiem aut mediam noctem experimur, terra verò globoſa eſt, itaq; ille qui ad Orientales ſe confert terras Sole ad occaſum properante lucratur aliquid. Hinc in Palæſtina, Turcia, China, Japone, citiùs meridies, mediaq; eſt nox, quàm apud nos in Polonia, illas enim ingreditur regiones quas Sol illuſtrat citiùs (neque dum Sol circulum intra 24. horas peragit, ille viator, ut ſuppono, nihil non conficit itineris) hinc duplici de cauſa auget ſibi tempus, & Solis antecurſu & ſuo progreſſu. Si enim intra 24. horas orbem circumirem, unam diem augerem mihi: Nam Varſaviâ dum moveo in meridie, &

poſt

post duas horas (ut assumamus tanquam possibile) pertingo Hierosolymam, ibi quartam horam à meridie invenio, nam duabus meridies Jerosolymitana anticipat Varsaviensem. Si venirem Goam post horas 4. invenirem ibi octavam à meridie, in regnum Sinarum post sex horas si pervenirem horam 12. noctis reperirem, si in Japonem post 8. invenirem secundam à media nocte. Et sic post 24. hor. horas alias 24. lucrarer: Quare si Varsaviâ abiens celebravero diem Dominicum, reversus invenirem sabbatum adeoque eundem diem his celebrarem & & quod hic unum intra diem evenit: hoc intra annum, aut plures per modica lucra temporis evenire est necesse. Contrarium verò eveniret si directo in occasum itinere Solem abeuntem prosequerer per Hispaniam, Brasiliam, Americam, & demum per Japoniam, Chinam, Tartariam, domum regrederer. Hinc patet solutio illius in speciem paradoxi. Possunt gemelli eâdem horâ & loco nasci eodem, & mori similiter loco eodem & tempore, unus tamen altero plures numerabit ætatis suæ dies. Nam qui illorum versus orientem proficisceretur plures dies numeraret, quàm qui versus occa-

occaſum, etſi deinde locum in eundem convenirent. Hinc non tantùm poteſt fieri, ut quis eundem diem primum Paſchatis bis eodem anno celebret, ſed de facto id nonnullis contigit, uti videre apud Puteanum. Nam Japones præveniunt noſtras Europæ ſolennitates horis octo, ergo aliæ regiones horis 12. aliæ 18. aliæ 24. Itaq; totâ die, cùm defacto Japones præveniant Mexicanos 17. totis horis. P. Paulus Guldinus in probl. Coſmogr. impreſſo Viennæ Auſtriæ anno 1628. ſic rem iſtam enarrat. Cùm Luſitani ex portu Olyſſiponenſi, Hiſpani ex Hiſpalenſi ſolviſſent in orientem illi, iſti in occidentem ſicque poſt medium peractum terræ orbem concurriſſent locis non adeò diſſitis. Macaum ſiquidem portum Sinarum Luſitani, Manilam quæ Philippinarum caput, Hiſpani: quem Luſitani diem Lunæ, Hiſpani Dominicum affirmârunt ex allatis Diariis, & calendariis, numerando ita eſſe deprehenderunt. Hæc ad hiſtoriã, ad paradoxum verò ſpectat. Si quis pari velocitate cum Sole orbem circumiret ab ortu ad occaſum ſub eodem paralello conſumeret 24. horas in ſuo curſu, attamen quovis horario ſolari inſpecto eandem horam haberet, in eadem

dem enim ſemper altitudine ſol illi maneret, itaque illi itineri tempus aliquod & nullum impendiſſet. Itaq; qui nolit tempus ſibi effugere Solem conetur aſſequi. Quodſi verò etiam temp9 prævenire velit, currat ab ortu in occaſum duplo citiùs Sole, quoties enim duas horas inſumet itineri, tempus illi ad horam eſt regreſſum. Movit hoc loco horâ meridianâ duodecimâ, & poſtquam horis duabus concurrit, inveniet in quovis ſolari horologio horam 11. ante meridianam. At qui breviſſimum tempus habere velit, currat verſus Orientem, ſemper illi horæ breviabuntur.

CAPUT XIV.

Aliqua circa terram quaſi paradoxa.

Datur etiam in terra locus, in quo eadem die, ſeritur, inſitum creſcit, metitur, datur, in quo infans annorum trium nonniſi eſt dierum trium, datur, in quo nemo noctem niſi comedat ſuperare, nemo diem niſi dormiat, poteſt. Miracula ſunt hæc naturæ & ita vera ut orbem terræ verum eſt eſſe ſphæricum, Eclipticam obliquam, decreſcunt dimidio anni, & dimidio accreſcunt dies, quo magis polos accendunt mundi, donec inter ſe paria ſpatia fecerint nox & dies. Et habitanti-

tantibus ſub polis ferè hyems perpetua. Æſtas idem quod nobis dies , Hyems idem quod nobis nox,ſemeſtri utrumque longitudine: unde diurnam ibi operam locans, lacat ſemeſtrem , & mulier manè concipiens nocte ejuſdem diei parit, ibi ferè ducenties prandet in die ac cœnat homo: quidquid mane ſeritur, meridie metitur, veſperi arborum fructus colliguntur. Vice verſa iis qui habitant ſub æquatore omnia ferè æqualia, dies & nox, æſtas & hyems. Nam in finibus Norvegiæ ſupra mare Germanicum dies maxima horarum 17. in finibus Livoniæ ad ſinum Finnicum horarum 18. & dimid. in Frislandia horarum 19. min. 18. in Islandia horarum 22. min. 20. Similis & in finibus Lappiæ Auſtralibus diei extenſio. Et in media Islandia ac Groëlandia ad initium ingreſsûs Solis in Cancrum horarum 24. In finibus Norvegiæ ſeptemtrionalibus continua à 15. Maij ad 30. Julii. In finibus Auſtralibus Neyland à 27. Aprilis ad 28. Auguſti , in finibus ſeptemtrionalibus novæ Zemlæ dies continuatus à 21. April ad 24. Auguſti. In finibus Neyland Septemtrionalibus à 15. April. ad 30. Aug. in mari glaciali quo Hollandi pervenerunt anno 1614. à 9. April. ad 5.

Sept.

Sept. Sub ipſo polo Arctico à 21. Martii ad 23. Sept. Jam verò etiam ipſe aer iiſdem terris impendens non pares facit noctes, ſed quò magis in ſuperna attollitur, minus de umbris recipit, noctem enim facit conus umbræ terreæ, qui ad fixa ſydera, quia non pertingit nullam illis obſcuritatem inducit: proinde eſt alicubi nox trium, eſt duarum, eſt unius horæ, imò minuti horarii, & nullius

CAPUT XV.

De temperie aeris in certis locis.

Vrabæ (quam poſtea Caſtiliam dixerunt ſita eſt 10. ab æqu. gradibus in Boream) quid inter æſtatem & hyemem interſit vix notari poteſt, ita Petr. Martyr in decad. Oceani, in Peruvia Americæ ad Limam emporium, hoc ſolum diſcrimen eſt, quòd hybernis quatuor menſibus, asſiduus ros cadat. In Inſ. Joanna ejuſdem Americæ, in Novembri volucres concētu ſuavisſimo aera mulcent, & Chriſtoph. Columbus audivit philomelas die S. Martini. Joan. Lehrius in Navig. narrat, in Braſilia circa Natalem Chriſti tantum æſtum eſſe, ut incolæ cogantur ſe aquis ad refrigerium perfundere. Habent & aliæ terræ gratam temperiem. In Gallia, Italia, Hiſpa-

Hiſpania hyberni menſes adeò clementes ſunt, ut cives in hortis caſtaneas, mala medica, punica, perſica, limonia, aurea, amigdalas, ficus, aliosve ſimiles fructus ex arboribus decerpant. Terra Parienſis (eſt portio Indiæ) quâ meridiem ſpectat, omnium terrarum Indiæ amænisſima eſt & feracisſima, asſiduè floret arboribus velut perpetuo vere, toto anno folia durant, uti Benzo in hiſt. novi Orbis lib. 1. c. 3. hoc ſe ibidem expertum fuiſſe ſcribit. Infra Guineæ littora circa S. Thomæ Inſ. adeò ſemper temperatum & mite eſt cœlum, ut nec indutus ponere veſtem ob æſtum, nec exutus ob frigus ſumere neceſſe habeat, teſte Thuano. Braſilia duobus ab Æquatore gradibus incipiens, tota & perpetuò fere amæna eſt uſque ad Tropicum Capricorni cœlo admodum temperato. Ita Maginus in tab. Geogr. ex Petro Maffeo Zeilan Oceani Indici Orientalis Inſula, adeò temperato & ſalubri aere gaudet, ut nonnulli paradiſum in ea conſtituant, ager toto anno virens, arbores fructibus aut floribus perpetuò plenæ, ut idem ibid. Similiter in Hiſpania nova Americæ, ver penè perpetuum eſt. Sic ejuſdem loci Inſula Hiſpaniola mirâ gaudet aëris temperie;

rie: non, vel calor, vel frigus immodicum est. Toto anno hic ſtat ſuus arboribus honos, folia non defluunt priusquam nova ſubnaſcantur, ita Gaſpar ab Ems. in hiſt. occid. ſicut autem hyems in zonis temperatis cum receſſu à Tropicis, ut ab ardoris termino ſenſim adoleſcit, æſtatemque conſtringit: ita locorum zonæ temperatæ æſtas paulatim intenditur & ſumit augmentum cum receſſu ab æquatore. Tendentesque versus Tropicorum alterutrum, experiuntur quanto ab illo recedunt, tantò ingraveſcere æſtus, donec in confinio torridæ & temperatarum zonarum evadat intenſisſimus, ut in Lybia, Numidia, Trogloditica, & ſimilibus Africæ provinciis. Hinc apud Topinambaultios Braſiliæ populos, ſub Tropico capricorni ferè ſemper intolerabilis æſtus. Ita Jo Lobrius in hiſt. navig. c. 6. Propter ſummum calorem Ormuzii, quæ eſt metropolis & emporium Arabiæ felicis nominatisſimum, tribus cis cancri tropicum gradibus, dormitur canalibus ligneis affusâ frigidâ. Lintſchot in navig. part. 2. c. 8. Æthyopiam ferventisſimam eſſe indicat hominum aduſtus color, & apud Trogloditas quibus ſubterraneæ domus ſunt, ſcilicet ſpecus, quos ſibi fodiunt

unt tanquam refugia & aſyla contra vim æſtus, ſaxa ſole velut igne ferveſcunt, nec tantùm medio verùm & inclinato die pulvis adeò æſtuat ut ſit humani impatiens veſtigii ut ait Seneca l. 4. nat. quæſt. cap. 2,

CAPUT XVI.

Cur terra ſit in medio.

Ex eo terra ſe in medio retinet, quia centrum ſuæ gravitatis habet commune cum centro univerſi, omnia verò quæ ſunt graviora poſcunt infra leviora eſſe, indeque fit ſi quomodocunque miſceas elementa, aut alia quæ ſibi duritie non obſiſtant impenetrabili, reducent ſe ad eum ordinem quem gravitatis ordo præſcribit. Proinde ſi quis confusè aerem, aquam, ignem, terram in globum vitreum infuſa ad ſpatia imaginaria deportaret, ſtatim eo ſe ordine ſtatuerent, quem in hoc mundo videmus, ita ut tellus in medio faceret globulum, quem aqua, aquam verò aer, & hunc ignis ambiret, quod modo non evenit quia in hoc mundo illa particula non conſtituit centrum, ſed ipſa fertur ad centrum, idcirco nullo opus eſt magnetiſmo (ut quidam putant) qui terram hoc loco de facto teneat.

CAPUT XVII.

Brevior quàm supra Terræ divisio, & nonnulla circa terram.

Terra in quatuor partes dividitur, Europã. Asiam, Africam, Americam. Europa, mare Britannicum & Germanicum à Septemtrione à meridie mediterraneum: ab Oriente habet fluvium Tanaim, & Pontum Euxinum tota est sita inter polum Arcticum & Æquatorem. *Affrica* à Septemtrione habet mare mediterraneum à meridie Oceanum Æthyopicum: ab occidente Insulas fortunatas, ab oriente sinum Persicum. *Asia* ab occidente clauditur flumine Tanai: à Septemtrione habet Oceanum Tartaricum: ab Africa dividitur Isthmo jacente inter sinum Arabicum & mare mediterraneum. *America* reliquum terræ occupat, quæ ob sui magnitudinem novus orbis appellatur. Europæ longitudo sunt mill. germanica. 750, Olysiponâ Constantinopolim, in latum non excedit 225 nisi in medio ubi se instar alitis extendit, ibi enim 600. & ampliùs attingit. Africa duplò major quàm Europa. Asia hac utraque major. Poloniæ Regnum incipit á latitudinis gradu 47. desinit in 60. in longum verò à 39. ad 57. Masoviæ Ducatus in latum à gradu

à gradu 51, ad 54. in longum à 42. ad 46. Litvaniæ latitudo à 52, ad 57. longitudo à 42. ad 57. Polonia habet ab ortu Masoviam & Litvaniam, ab occasu Lusatiam, Silesiam, & Moraviam: à meridie Hungariam & Russiam: à septemtrione Pomeraniam & Prussiam, Regnum verò totum Poloniæ habet ab ortu Tartaros & Moschos juxta Borysthenem, à septemtrione Balthicum mare & partes Moscoviæ, à meridie montes Hungaricos & Walachos, ab occasu Silesios & Moravos. Litvania ab ortu habet Russiæ partem quâ Moschos respicit: ab occasu Podlachiam, Masoviam, Poloniam: à Septemtrione Livoniam & Samogitiam, à meridie Podoliam & Volhiniam. Ambitus totiꝰ globi terraquei mill. Italica continet. 22500. Germanica verò 5400. ejus diameter in mill. germ. est 1786. Et hæc est moles quæ juxta Plinium sustinet species animalium 176. juxta Bodinum species reptilium 25. Avium carnivorarum 35. Non carnivorarum magni corporis 34. parvi corporis 37. Quanquam Arias Montanus terrestrium vult esse species 150, exceptis serpentibus quarum species 25. credit apud Gesnerum & Aldrovandum species avium 150

numerantur. Hæc moles terrea tanta est, ut si quis turres vellet extruere quadratas, cuivis dando in basi milliare germ. quadratum, posset erigere 3534. Hæc tellus vallem Josaphat continet in qua olim omnium rationes excutientur. Sed quomodo una vallis omnes capiet? Ineamus rationem prius omnium qui poterant esse ab origine mundi hominum. Si tota superficies terræ tam habitata esset ac Gallia, & post quindenos annos totus hominum numerus renovaretur mundusque spatio sex millium annorum duraret, non plures tamen essent homines, quam 1932.937.500.000. qui numerus est major justo. Horum pars rapietur obviam Christo D. in aera, cæteris si cubitus attribuatur quadratus singulis, designabit loci exigentiam quæ non excedit vallis illius cum vicinia capacitatem.

CAPUT XVIII.

De Inferno.

Habet verò terra circa ipsum sui centrum tanquam remotissimum à cœlo locum, damnatorum carcerem, cui si tribuero in diametro leucas duas, multum dedi, etsi numerus captivorum sit octingenties mille milliones, juxta hunc enim numerum intra sex

millia annorum, quibus ſupponimus duraturum mundum, deberent damnari annis ſingulis decem milliones & ampliùs, & ſingulis diebus plurà quàm 27. millia, quod captum intellectûs excedit etſi corpori cujusque damnati ſpatium 10. pedum cubicorum tribueremus, quocirca longè anguſtior eſt ille carcer. Drexelius in rogo damnatorum c.8. ait ſufficere inferni cavitatem cujus diameter ſit unius milliaris germ. ad 1000 00000000. ſeu centum millia millionum (millio continet mille millia) comprehendenda, ſed huic numero ſufficeret, ſi medii milliaris eſſet diameter. Ponatur corpus damnati conglobata occupare 8. palmos, qualium in uno milliari ſunt 80000. continebuntur diametri 8. palmorum in dimidio milliari 5000. ſphæra autem ad diametrum habet rationem triplicatam ut itaque 1. ad 5000, ita 5000. ad aliud, videlicet 25000000. ad 125000000000, infernus ergo dimidium milliare habens in diametro, caperet corpora conglobata 125000000000. id eſt centum 25. millia millionum. Quantus hic numerus eſt, ſic collige. Mundus ad annum 1639. ſtat 5604, ſeu dies 2045460. id eſt duo milliones quadraginta quinque millia qua-

dringenti 60, dies, tunc si singulis diebus nascerentur 50000. per annos 5604. essent hominum 102273000000, ubi ad datum numerum in inferno comprehendorum desunt 22727000000, nempe viginti 2. millia millionum 727. milliones, qui numerus ut compleretur requiruntur anni 1248. dies 220, & sic anno à condito mundo 6853, anno Christi 2888. compleretur.

CAPUT XIX.

De terræ capacitate.

Quodsi terra bifariam secaretur, aream exhiberet mill. ger. 2319545. superficies cõvexa terræ est mill. 9278181. seu pedum 33112727-272727227. totius sphæræ soliditas mill. 26-56933884. seu pedum 21,2554710743801652892556 grana verò hordeacea in hoc spatio locari possent tot, quot numerus hic 557, cum cifris triginta adjectis exprimit. Proinde qui terram vellet circumire, etsi diebus singulis milliaria germ. sex conficeret, deberet impendere itineri annos duos & dies 170, insistere verò huic convexæ terreæ possent superficiei homines, datis cuiq; duobus pedibus quadratis, 1855. milliones millionum. Itaque si ut plerique volunt aquæ superficies dimidium contegit terræ, ipsa terra milliaria

liaria germ. complebit 74228400. Tanta hæc ſuperficies, interea totum globum terraqueum unum granum tritici non intra multos annos ſuâ fœturâ poteſt occupare. Producat enim ſingulis annis grana ſolùm 50. idque per annos 12. continuatâ ſerie & fœcunditate, proferet intra hoc tempus univerſim grana 244,140,625,000,000,000,000. quæ ſumma faceret cumulum cubicum leucarum gallicarum 244,140. ſi ſingulis pedibus in longum & latum grana 100. reſponderent. Sed quia & aquam teximus, transferamus in navigia, hic cumulꝰ tritici oneraret navigia 244,140,625,000 licet ſingula caperent menſuras cubicas pedales 1000, ſi autẽ ſingulæ menſuræ pro quarta parte aurei venderentur, excreſceret ſumma ad aureos 611,351,562,500,00. quantum, utrum aliquis Princeps in mundo, aut omnes ſimul in theſauris habeant, quivis facile feret judicium. Sed antequam terrei globi vaſtitatem deſeramus priùs oſtendemus circa eam aliqua. 1. Quoties rota currûs circumageretur, ſi quis orbem curuſ itinere velit circumire. Pono rotæ circumferentiam cubitorum geometricorum 5. itaque in milliari germ. 1000. circumvolvetur. 2. Quot aurei

rei totum globum circumambirent, pono aureum continere grana ſex hordei in diametro, itaque in uno mill. germ. ponentur aurei 853333. & unius aurei pars tertia, ſi in diametro trifariam ſecetur. 3. Quot grana piſorum circa terram ponerentur, pono granum piſi reſpondere duobus granis hordei penes ſe in latum poſitis, itaque in uno milliari ponentur grana piſorum 2560000. Huic tamen tantæ moli poteſt æquiponderare unica plumbi libra, ſed in diſtantia pedum ab hypomochlio 10634002688. & adhuc numero huic adde cifras 12. qui vectis quam deberet eſſe craſſus ne ſuâ longitudine frangeretur, facile eſt conjicere.

CAPUT XX.

Mira quorundam Montium.

Scribit P. Kircher Chinæ fol. 170. p. 2. Paoki mons in Provincia Xenſi ſub galli gallinacei figura ſpectatur, tempeſtate imminente tanta murmura, ſtrepitus, boatuſque edit, ut ad 30. ſtadia exaudiantur. Olaus in ſua hiſt. ſimilia ſonorum monſtra in Botnici maris montibus contingere refert. De monte Cio referunt, in ejus vertice eſſe lapidem quinque perticas altum, qui imminente tempeſtate omninò titubet inſtar arboris

boris vento agitatæ. Ratio poteſt eſſe, venti intra montem clauſi luctantes, montium extra ordinarie frigidorum cauſa, nitrum. In monte Taipe Provinciæ Xenſi, ſi tympana quis pulſet, fulmina, fulgura ac tempeſtates ingentes continuò excitabit. Sed hoc fortaſſe facit alicujus Magi pactum. Martinius in Atlante Chinico montem quendam in China Fang. dictum deſcribit, in quo nullus in autumno ventus percipitur, æſtate verò continuò ventos ex cavernis mittit. Hyberno tempore ventos introrſum ſorbet.

Parergon.

Sed priuſquam à terra abeamus, unum & alterum in ea miraculum artis conſideremus. Martinius turrim in Provincia Pequin Chinenſi novizoniam, nongentos cubitos in altitudine habere ſcribit. Idem in Atlante Chinico folio 69. in China eſſe idolum ex monte factum, cujus magnitudinem inde collige, quòd oculi, aures, nares, os, ad duo & plura noſtratia id eſt germ. mill. conſpiciantur, ſed hoc credibilius non factum arte, ſed ſicut ſcyllæum promontorium ita diſpoſitum à natura, ut capitis humani effigiem præbeat, ita ille mons Idoli: Idque

fortè

fortè solius capitis. In Chinensibus nonnullis urbibus, ut in Nanquin & Hancheu decem millia pontium numerant. In Jokien pons 360. perticas longus supra æstum maris, totus ex lapide nigricante, pilas lapideas habet 300. quibus incumbit, factus ipse ex tabulis lapideis, alius pons uno arcu constat cujus longitudo 400. cubiti. Murus lapideus circa Chinam ad 300. mill. germ. pro cujus custodia millio exercitûs alebatur, est enim ad 20. gradus Astronom. longus Campana Erfordiensis est 8. cubitorum & digit 5. cum auribus. Diameter 7. cubit. 1. digiti, crassities digit. 6. & ¾ Peripheria 26. cubit. & digiti unius, & hæc maxima in Germania. Pondus ejus lib. 25400. At Pescinensis in China major. Alta enim 12. cubitos cum auribus, diameter basis 10. cubiti digiti. 8. Crassities 9. digiti, Pondus 120000. Peripheria exterior. 39. cubit & digit 6. sed nulla fabrica in mundo vastior, splendidior, ditior templo Salomonis extitit. Vasa habuit aurea 430000. Argentea 1340000. Substructio sola cubitos mille in longum: in altum pedes 1048. crassities in angulis cubiti 100, & ubi murus angustissimus, cubiti 50. totum ex Pario albo marmore,

more, cujus aliqua frustra cubitos 40. in longitudine habebant. Super hanc substructionem templum, cujus altitudo minima 157. pedes, in castellis verò pedes 200. columnis innitebatur 1457. quarum quæ minima fuit, ulnarum erat 15. Fenestræ fuerunt 22246. Parietes, tectum & pavimentum aureis laminis tectum. Auri scuta Romana in columnas æneas tegendas insumpta 96910078. Operarii templi fuerunt 901900. Plura apud Villalpandum qui hoc templum septem mundi miraculis anteponit. Sed his immorari tantùm obiter licuit Diod. Sicul. Tradit in extruenda Babylone fuisse vigesies centena hominum millia occupata. Addit tamen Josephus quod hujus opera non sit comparanda cum illa quam postea præstitit Nabuchodonosor.

SECTIO V.
De Spiritibus eorumque Actibus, Magia & Cabbala.

SUBSECTIO I.
De Spiritibus & eorum Actibus.

CAPUT I.
De Nominibus Angelorum.

Capacitate illius infelicis ergastuli utcunque

cunque per conjecturam exploratâ, etiam lustremus incolas, damnatos Angelos Apostatas, quantum de illis ex Philosophia conjectari possumus. Ut nomina SS. Angelorum tantùm tria, quæ sacer codex numerat, nempe Gabriel. Raphael, Michael, retinenda, ita damnatorum nonnisi tot quot idem codex habet; Illa tria etiam non individuorum sed officii credit Abulensis in cap. 13. Judic. q. 35, quia putat singulos speciem constituere, ideò nominibus propriis non egere, nec habere illa posse, quia se mutuò in se cognoscunt. Sed verius contrarium, quod etiam Platonem in Cratylo non latuit. Moyses omisit agere de Angelis quia solùm visibilis mundi describebat Historiam, ita S. Hieron. S. Chrysost. Cavebat Moyses ne populo daretur occasio idololatriæ. Nomina cætera conficta à Rabbinis, Magis, & hæreticis. Non pauca ejusmodi scripsit Archimagus ille Cornel. Agrippa in sua occulta Philosophia. Non pauca vetustiores hæretici, de quibus Iren. lib. 1. contra Hæres. cap. 34. Tertull. contra Valent. Epiph. hær. 26. Orig. lib. 6. contra Celsum circa medium. Confinxit etiam quædam scelestus Adelbertus, quem damnavit Zacharias Papa apud Baron.

Baron. anno 743. Finxit & Mahometes ſuum Maſoth; cujus verba dicta Aroth Calviniſtæ in Gallia loco Pſalmorum uſurpant, ut ſcribit Raynau. in Theol. nat. quocirca meritò edictis vetuerunt uſurpare Angelorum alia nomina præter illa tria, Pontifices & Imp. uti refert Serrarius in cap. 12. Tobiæ quæſt. 10. tamen B. Joanna de la Cruz poſt longas preces impetravit nomen Angeli ſui Cuſtodis Zaruel. Sed Fernel. de abditis lib. 1. cap. ult. Unde acceperit nomina cuſtodum. Adam quidem Raziel, Abrahæ Zakel, Iſacci Raphael, Jacobi Peliel, Moyſis verò Metraton, mihi non conſtat? Nomina quæ finxerat Adelbertus, erant. Raguel, Adimis, Sabbaoth, Tubuas, Simihel. Quòd verò habeant & dæmones ſua nomina, patet ex Eph. 1. verſ. 20. *Omne nomen quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed & in futuro*, quod explicans Theophylact9. *Hinc diſcimus nomina quædam Angelorum ac Spirituum cœleſtium, nobis hîc eſſe ignota, quæ in cœlis revelabuntur, quod me & natura eorum & finis, ad quem conditi ſunt, tutò faciūt arbitrari*: Quæ ratio ipſa militat pro Dæmonibus. Naturæ enim proprium eſt habere unde cognoſcatur. At verò maximè per nomen cognoſcitur. Ideò Exorciſtæ

ritè

ritè nomina dæmonum requirunt, quæ illi non facilè promunt, sed aliqua ludicra substituunt, quia nominum pudet quæ designant dona gratiæ illis fuisse collata, & ab illis amissa. Energumeni etiam habetur certum signum si nomen Hebraicâ prodat lingvâ, & ipse Christus D. Luc. 8. 30. requisivit nomen ab Energumeno. Tornaci compulsus dæmon suum suorumque deponere nomina, prompsit 50, diverso tono & accentu singula lingvâ hebræâ, quæ in tabulas publicas relata, & in sex classes digesta refert Hadrianus Lyræus in Trisagio Mariano lib. 1. sono. 5. Prima classis eorum quæ divina attributa referunt. Secunda quæ respiciunt Mysterium Trinitatis. Tertia processiones Personarum divinarum. Quarta relationem Dei ad Creaturas. Quinta relationem Creaturarum ad Deum. Sexta Eucharistiæ mysterium respicit. Sed utrum in his dæmoni fides danda? Tertull. Chrysost. Euthym. respondent negativè: verum tamen si constet eos ab altiori potestate ad veritatem promendam urgeri, dabitur illis securè. Hâc enim viâ Martyrium occultè peractum, SS. Joannis & Pauli est patefactũ, cum veritate, & similia.

C A:

CAPUT II.

De actione externa Dæmonum.

Dæmones in mundo, & extra ſe, tantùm per impulſum ac motum localem operari poſſunt. Hoc ergo modo, ignem de nubibus inſtar fulminis vibrârunt in domum Jobi. Job. cap. 1. Hoc turbines & grandines excitârunt ut ſubverterint ædificia ejuſdem cap. 3. Hoc, miſcent mare tempeſtatibus, motum cient terræ, ex loco in locum transferunt, hoc in altum extulerunt Simonem Magum, cujus quadrigas igneas, S. Petrus ore ſuo difflavit, ut loquitur Arnob. lib. 2. c. 8. Hoc Chriſtum D. tulit in montem & pinnaculum templi, ut habetur Matth 4. & ad literam vult intelligi Abulenſis. Sic Gyges annulo introrſum verſo inviſibilem ſe reddebat, quia nimirum ſubitò aliò transferebatur. Hoc modo ambulârunt quædam ſtatuæ. Hoc modo ingreſſi cadavera hominum ac beſtiarum, ſimiles vitalium actionum operantur iſti ſpiritus. Hoc modo effingunt auri argentique imagines. In homine ſpecies phantaſticas ordinant, ut potiùs has, quam alias res menti obvias habeat, vel ut oculis auribusq; videantur quædam præſentia, ut ſomnia certa oriantur, hinc

originem traxerunt, auguria, auſpicia, haruſpicia, dæmone ordinante pecorum inteſtina ad determinati aliquid repræſentandum. Et in nobis varia per ſolum motum excitare poſſent, ut paſſiones, iræ, odii, gaudii, amoris, ſed Deus pauca permittit. Utuntur inſuper locali motu ad tranſlationem, deluſionem, applicationem agentium naturalium.

CAPUT III.

De Sagarum tranſportatione.

Sæpe dæmones deludunt phantaſiam ſagarum, & putant ſe aliorſum tranſlatas, cùm eodem loci hæreant. Sæpè tamen reipsâ transferunt. Juriſtis faciebat olim difficultatem, caput *Epiſcopi* 26. q. 5. quod deſumptum ex concilio Anquirenſi approbato, ubi rejiciuntur illi, qui ſagas corporaliter ſaltibus intereſſe credebant. Verùm ſi benè legatur illud capitulum, invenietur non loqui de ſagis, ſed de quadam ſecta quæ credebat Dianam & Herodiadem Deas, & ſe ad illarum choreas transferri, fidem tamen Chriſti non abnegabat uti faciunt ſagæ; quæ ſecta fuit exorta, ut habet Innoc. VIII. in ſua bulla, circa annum 1404. ita advertit Sylv. Prierias Magiſter S. Palatii de ſtrigimagarum

mirandis. Sagæ itaque ſubinde verè à dæmonibus deferuntur & dum volant, incumbunt ſicut aves pectori: non ſuffocantur autem in illo tam veloci motu, quia teguntur in circum quodam corpore antrorſum acuminato ut habet hiſt. Energumen. ad conventicula, aut ſi locus propè fuerit, pedibus eunt. Quodſi ire nolint, ſcire tamen aveant quid illic fuerit actum, cum certis ceremoniis eunt cubitum, & ita obligant dæmonem, ut illis omnia repræſentet, vel in vapore quodam glauco, quem ex ore emittunt, vel per ſomnia. Aliàs verè illas deportat, ad quod ſe illæ præparant per unctiones, quibus non ineſt alia vis quàm pacti, tum ſe dæmon exhibet, vel in corpore hirci, vel ſolùm conſcendunt ſcopas, aut etiam baculum ungvento delibutum ex decoctione infantium non baptiſatorum. Unctionem verò debent copioſam adhibere, ut ſic plures ad macellum conquirant infantes. Quid ibi agant deſcripſit Hiſtoria trium Energumenorum. Prierias Schotus in Phyſica, Voglerus, & alii. Nec eſt præſentis inſtituti perſequi. Neque ex eo convincimus illos conventus eſſe phantaſticos merè, ſiquidem ut hiſtoriæ tot teſtantur, quando aliquis pro-

 tulit

tulit nomen Sanctissimum JEsu, statim dispa（ruerunt. Non tamen censemus fuisse veram evanescentiam, sed dæmon omnia aufert & aliò deportat. Terra autem illa in qua habitum conventiculum plerumque sterilescit.

CAPUT IV.

De Viribus dæmonum.

Dæmon facere non potest, ut saga penetret portas clausas, id enim absolutè vires naturæ excedit, sed aperit, & celerrimè deducit, atque rursus claudit. Vel etiam tot lapides è muro eximit quot sufficiant justo foramini, quod deinde mirâ solertiâ claudit, vel circumfert sagam, phantasiam ejus turbando, ut videatur sibi rectâ ire. Non potest facere ut eodem planè tempore aliquis sit in duobus locis sed solùm deludere oculos, ut videatur esse. Potest præstare immunem à vulneribus, vel etiam ab igne, imò efficere ne tormenta sentiat, ad hoc aliqui obtinendum imaginem Crucifixi gladiis compungunt characteres certos annotant, ad hoc orationes decurrunt quæ falsissimè attribuuntur S. Leoni, vel Carolo Magno, sed ejusmodi nihilominùs tum pereunt cùm minimè timent, quia vel dæmon mendacissimus ex more, pacto non stat: vel quia illi inali-

in aliquo conditionem lædunt. Ita & ſagas quas à ſenſu exemit tormentorum tandem ipſe mactat. Adimit autem ſenſum, nervos pro interim comprimendo, &c. Ab igne præſervat, verum ignem ſubtrahendo & alium ſubſtituendo qui non urit. De quo habet Plin. lib. 6. cap. 107. Ita etiam poteſt dæmon inducere homini extaſim, ſenſus ejus exteriores ligando. Poteſt pecunias cudere ſed à Deo inhibetur, uti etiam rarisſimè ſinitur exportare theſauros, quos novit deliteſcere ſub mari aut terris. Vel characterem alicujus imitari.

CAPUT V.

De Deluſione dæmonum

Deludunt dæmones mutando objectum, agitando, auferendo, transponendo. 2. Mutando medium, vel impediendo ne ſpecies objecti ad viſum pertingant, vel imbuendo medium aliquâ qualitate: vel condenſando aerem intermedium ut ſic majus objectum appareat. 3. Alterando organum, v. g intorquendo oculum, vel imbuendo craſſo aliquo humore, vel ordinando phantaſmata. In virorum ſanctorum corpora non habet vires dæmon, ut dicitur Tob. 6. ſed in eos qui libidini deſerviunt. Tamen efficere po-

 teſt non

test non malis, qualia perpessus S. Jobus. possunt etiam & isti circa multa deludi: sed de his in libris de Auditu Physico.

CAPUT VI.

Alia de potestate dæmonum.

Activa passivis adhibendo multa potest præstare dæmon. Nam possunt hoc modo animalia produci quæ ex putri nascuntur. Sed vitato labore sæpiùs dæmon aliunde abrepta, hic illa sistit. Sicut Gen. 7. fecisse Magos dum illorum baculi videbantur converti in serpentes, probabile est: quanquam etiam poterant species & phantasmata de his rebus quæ erant in phantasia Pharaonis turbare, & efficere ut confluerent in oculos, sicut evenit in somno & phrenesi, & ita sentit S. Thom. 1. p. q. 114. & 111. a. 3. & 4. Poterat etiam aliquâ naturali sed nobis ignotâ facultate visum inficere, ut videret quod non est, uti febricitans palato infecto cibos amaros experitur. Poterat virgis applicare aliqua agentia nobis ignota & invisibilia, quæ illas mutarent in veros serpentes. Poterat virgas in modum serpentum figurare & illas motitare. Potest etiam dæmon animalibus imperfectis vitam reddere, quia hoc vires naturæ non excedit. Sic muscæ submersæ sepultæ

ſepultæ in raſura cretæ reviviſcunt. Mortuæ verò aliter ſi perfundantur rutæ ſucco recipiunt vitam, itemq; ſi intra cineres ſepeliantur. Angvilla defectu aquæ mortua ſi integra aceto injiciatur cui ſangvis vulturis affuſus & ita ſub fimo recondatur intra paucos dies recuperat ſenſum. Muſcæ, mures, veſpertiliones hyeme mortui, ſolo calore excitantur; verùm in his aut anima non defecerat, aut alia redit. Non poteſt perfecta animalia dæmon formare: multò minùs hominem, ſed nec iſtis vitam poteſt reſtituere. Utrúmque vires excedit naturæ, & diſpoſitiones petit vitales, quæ aut à vivente tali, aut à Deo produci poſſunt. Verùm poſſet intrare corpus mortui & in illo ſimulare vitam ſi id Providentia non inhiberet. Poſſet etiam hominem fingere mortuum & ita illum falſo excitare. Parere itaque dæmon etſi mulierem ſe mentiatur, non poteſt, ſed tamen poteſt aliunde ſublatum infantem ſubſtituere, aut alterum infantis formâ dæmonem hos Itali vocant à continuo vagitu vagiones, ſunt ita inſaturabiles, ut nec quatuor nutrices illos expleant. Sunt ponderoſiſſimi, & tandem poſt aliquot annos evaneſcunt. Poteſt tamen dæmon concur-

rere ad generationem aliam de ablato semine.

CAPUT VII.

Adhuc alia de potestate dæmonum.

Potest dæmon somnum longum inducere animali, quia potest hoc per intemperiem humorum præstari, potest etiam efficere ut diu quis famem ferat. Memoriam & ingenium potest augere, quia hoc utrumque potest præstari si organa corrigantur. Sexum animalium mutare potest, quando hic naturaliter mutabilis est, nam ex fæmina falsa sæpiùs facti veri mares, licet non è contra. Vera tamen fæmina nunquam in marem transit. Ita non fuerunt veræ fæminæ de quibus in Hist. Anatom. Laur. l.7. q. 8. ut quæ Licinio & Cassio Longino Coss. in puerum mutatæ: item quam Mutianus Licinius Argis Aretusam vidit, postea maritum, item de qua Plin. lib. 7. c. 8. Item de qua Pontanus

Vota puer solvit, quæ fæmina voverat Ithis.

Morbos inferre ac sanare medicinarum occultarum applicatione, vitam prolongare humidum radicale reparando dæmones possũt. Hominem in bestiam verè transformare non potest dæmon: sed potest ita illi

phanta-

phantasiam turbare, ut se putet lupum aut felem, quia hoc ipsum in aliquibus melancholicus humor effecit. Potest etiam hominem alicubi abscondere, ac ipsemet in figura lupi discurrere mentiendo eum esse, quem abscondit, vel hominem verum proferre sed oculos aspicientium fascinare, ut videatur lupus, vel pelle bestiæ aptissimè inducum exhibere. Vel in verum lupum ingredi, ac ejus lingvam flectendo voces formare; sed quod homo mutatus in jumentum tantum ferat oneris ac jumentum, dæmonis fit auxilio. Tales fictitii lupi irruunt in oppida, & infantes auferunt, ac nullâ arte capi vel occidi possunt, & ultra luporum vires & astutiam de manibus venatorum elabuntur.

CAPUT VIII.

De advocatione & locis dæmonum.

Quod dæmones sub certis constellationibus advocari debent, ut compareant, faciunt id propter tres causas inquit S. Thom. 1. p. q. 115. a. 5. Primò, ut homines credant numen aliquod inesse stellis. Secundò quia stellæ disponunt agentia naturalia ad operationes ab illis intentas. Tertiò, quia hoc ponunt pro signo ex pacto. Quod idem

dicendum de certis lapidibus, herbis, figuris. Ita S. Aug. lib. 21. de Civit. c. 6. Quod arceantur aliquibus fumis, signis, imaginibus, sonis, animalibus, quibus non admiscetur opera Dei, hoc faciunt ex pacto in quantum hæc illis exhibentur in signum divini honoris, cujus illi maximè sunt cupidi. Hinc etiam hostiarum nidoribus fingebant se delectari, verùm ut inquit S. Aug. lib. 20. de Civit. c. 22. *Intelligentias non ut animalia cibis sed ut spiritus signis affici.* Proinde verè illos oblectari, erroneè censent Eugubinus lib. 8. c. 30. Porphyrius, Firmicus, Nicephorus. Quòd aquosa loca plerumque inhabitent ac paludes, ut Ps. 67. dicit. *Increpa feras arundinis*, id est dæmones, & Job. 40. Behemoth. sub umbra dormio in secreto calami, & in locis humentibus. Id facit interprete S. Diadocho cap. 82. quia luto libidinis delectatur. Idem sentit Tyræus cap. 15. num. 5. affectat loca humida, quia vel solis luxuriæ signis delectatur. De cætero perinde est ipsi hortus amœnissimus atque sentina. Imò apud Pallad. cap. 20. Lausiacæ. Infestiores nullibi dæmones, quàm in solitudinibus aridis, idem docet Cyrillus in cap. Isai. 34. Huc spectat & illa Necromantarum ceremonia, de qua

de qua ſcribit Gregoras ad Syneſium de Inſomniis. Geſtant illi gladios quibus dæmonem terrent, ne prope accedat. Item Proclus lib. de Magia & ſacrif. refert viſos aliquando dæmones leoninâ facie quibus gallum gallinaceum dum opponebant, metum oſtenderunt uti veri leones. Item illud quod Pſellus habet. Non ferre lucem, & oculis eſſe veluti luſcioſis. Omnia iſta fingebant mendaces Genii. Sed quod dixit 6. Tobiæ Angelus de jeçore piſcis, quòd, *Fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum ſive à viro ſive à muliere.* Participat tum de ſupernaturali, tum de natura. De illo quidem, quia Deus per hæc infima ut ſigna imperii illorum ſuperbiam caſtigat, eſto hæc minimè illos afficiant phyſicè. Ex natura trahit, quia ſuffitus poteſt auferre à corpore aliquas diſpoſitiones vexationi opportunas. Pro priore parte eſt Valeſ. c. 28. ſacræ Philoſ. pro poſteriore Angelus V. ſuperſtitio.

CAPUT IX.

De Geniis familiaribus.

Dæmones familiares, quos aliqui incluſos, alii Magiſtellos, Martinellos, Paredros, & veteres Genios appellârunt, ſolent ſe exhibere

hibere in annulis, globulis, cryſtallis, & e-
jusmodi. Hi loco à magis nequeunt alliga-
ri, cùm illis non ſubſint; ſed vel fingunt ſe
alligatos, vel dæmonum juſſu majorum hæ-
rent, debent certo ritu à poſſeſſore coli. De-
bent nocturnis alloquiis foveri: demùm
ſuum cultorem aut pesſimè vexant, & ſub-
inde mactant, aut vivum è mundo abripiunt.
Requirunt cavitatem in annulis quibus in-
cludantur, uti ſcribit Ananias de Natura
Deorum lib. 3. cap. 16. Sed hoc ſimulant, ut
tantò faciliùs perſvadeant ſe teneri. Ita A-
thanaſ. q. 32. talis genius familiaris fuit Deus
Socratis, de quo pasſim apud Philoſophos
imò de illo ſeipſe jactat Socrates apud Pla-
tonem in Theage. *Adeſt mihi divinâ quâdam
ſorte dæmonium quod me à pueritia eſt ſecutum,
quæ vox quædam eſt diſſvadens quod ſum fa-
cturus, ad faciendum autem me provocat nun-
quam. Quod ſi quis interdum amicorum ſua
conſilia mecum communicat, differtur illa vox
diſſuadens & me exequi non permittens.* Ideo
bonum putabat ſibi inferre mortem, quia
dæmon id conſilium non refutaverat, ut
idem profitetur in Apolog. apud Plat. Quòd
verò fuerit hic dæmon malus, docet Ter-
tull. Apolog. cap. 22. & 26. & S. Auguſt. 8.
Civit.

Civit.14.& S.Cypr. l. quod idola non ſint Dii n. 52. quia Socrates vir erat multorum ſcelerum. Et inter cætera volebat eſſe uxores communes, ut de eo Cyril. Orat. 6. in Julianum habet. Ex hujus ſchola prodiit Plato, qui ſummæ familiaritati dæmonum ſuos diſcipulos aſſuefaciebat, ut notavit Carpentar. digreſſ. 4. in Alcinoum. Neque ſoli, Plato, aut Socrates, hâc familiaritate maculati, ſed ante illos Pythagoras, Empedocles, Democritus, & poſtea Plotinus, Porphyrius, Jamblicus, & alii ut eſt apud Perer. l. de Magia. In Catone ipſo quot ſunt verba Magica ac barbara!

CAPUT X.

De Energumenis.

Energumenos dari nullos volunt Calviniſtæ quidam, ut ſic rideant Eccleſiæ exorciſmos, ratio illis eſt quia multa poſſũt abſurda effici ab humorum corruptela, quâ ſublatâ aliqui ejusmodi ſanantur. Sed ita eſt, ſanantur, quia humores corrupti dum per medicinas tolluntur, ſubtrahitur dæmoni operationis inſtrumentum. Ut docet Theop. Raynaudus Theol. Nat. diſt. 2. n. 7. in fine. Sed tamen non omnes effectus à corruptela humorum quos in energumenis videmus provenire

poſſunt,

possunt, quidquid ex parte Calvinistarum dicat Sirenius, Pomponatius, Petrus Aponensis, Humor certè non potest conferre species ignotæ antea lingvæ, etsi possit efficere ut æger casu aliquo ejusmodi unum eloquatur verbum, non tamen faciet totum orationis contextum. Insuper ut adnotavit Carpent. digress. in Alcin. energumeni plerumque dum peregrinis loquuntur lingvis, lingvam in ore tenent immotam. Humores non possunt conferre notitiam secretorum, & illorum quæ tunc peregrè geruntur, non addunt vires ad enormia tollenda onera, ad reptandum per muros, ad pendendum in aere, ad legendum, scribendum, pingendum, quæ aliàs non didicerant. Solent qui sunt ejusmodi terreri ostensione aut memoriâ rerum sacrarum, & ad illa verba Psalmi *Deum qui te genuit dereliquisti & oblitus es Domini Creatoris tui.* ut quidam notârunt, blasphemare. Solent maximi ponderis corpora habere, se in ignem atque aquam jactare, aperto ore absque usu lingvæ loqui, aut eam tumentem & nigram ore ejicere. Solent subito ventre, aut aliis partibus intumescere, inflari, vel nimis constringi gutture. Doloris loco si crucis signum

gnũ impresseris statim levari Pomponatius astris ejusmodi effectus attribuit, sed hunc errorem ante eum damnavit S. Hieron. in Matth. cap. 4. Alii putant animas defunctorum id in viventibus operari: Verùm tam absurda beatis, & libertas ea damnatis attribui non potest. Sæpè verò non unus dæmon unum insidet, sed plures Et Luc. 8. tota Legio, invadunt verò omnis conditionis, sexûs & ætatis homines, idque propriâ culpâ aut alienâ immissione. Habent tunc potestatem dæmones in corpora miserorum: sed in animas nonnisi indirectè perturbando sensuum organa, ut sic intellectus offuscetur. Neque tamen virtutes infusas adimere possunt: variè autem varios quoad corpora cruciant. Alios occultis morbis invadunt, alios sensuum usu spoliant, ut Luc. 11. alios ita deturpant, ut monstrosos reddant, alios collidunt, alios in globum conglomerant, aliis imaginationem vitiant, per aliorum guttura voces belluinas emittunt: aliis stomachum ad miram ingluviem distendunt, & nonnunquam cruciare desistunt, imò per multos se occultant annos, aut verè ad tempus redeunt: lingvis meliùs loquuntur veris quàm dum ex aere fingunt corpora,

corpora, quia inveniunt aptiora organa: & tum habent ſe merè paſſivè obſeſſi ideoque cùm blaſphemant, pejerant, ſecreta proditoriè revelant, non peccant. Intrant autem obſeſſos iſti hoſpites frequenter ſub aliqua corporeâ mole, muſcæ, aranei, aut ejusmodi, & ideò tubera faciunt in corpore ubi reſident, & illa ex uno loco in alium promovent.

CAPUT XI.

De falſis energumenis.

Sed non omnes ſunt energumeni qui à plebe creduntur eſſe: nam licet in energumenis inveniantur morbi nullâ arte curabiles, ſomni nimium producti, membrorum ſtupor, belluinæ voces, perpetua inquietudo, robur magnum, agilitas, nimia voracitas, inveniuntur prædicta inter effectus naturalium morborum, aut cauſarum. Læditur enim phantaſia ut omninò credant ſe inſeſſos, vi humorum ut epileptici jactentur. Et fuit Romæ puer 8. annorum, qui Coſſ. Vulteio & Vipſano, à meridie ad veſperam 80. paſſuum millia confecit, & ab omnibus habitus hic effectus pro naturali: inveniuntur & alia plura. Ejusmodi etiam ſunt uſitata veris energumenis, corpore intume-
ſcere,

ſcere, ſubitò lingvam nigricantem ore exerere & tumentem, plorare ſine cauſa, colloquio & cibo aliquando omni abſtinere, ſeipſum concutere, lacerare, terreri, ſpumare; ſentire per corpus tanquam formicas decurrentes, ranas ſaltantes, viperas, ſerpentes, piſces natantes, muſcas volantes: ſed ſūt morbi qui ſimilia energumenicis pathemata inducunt, lycanthropia, apoplexia ſive ſyderatio, paralyſis, canis, ſyncope, catalepſis, lethargus, icterica paſſio ſeu uteri ſuffocatio, delirium melancholicum, phrenesis, hydrophobia, choribantiaſmus ex morſu tarantulæ &c. non deſunt etiam tam improbi qui hoc malum ſimulent, & ſigna ejus imitentur volentes.

CAPUT XII.

De Lunaticis.

Lunatici dicuntur, vel qui caducum morbum patiuntur, hic enim quia in cerebro ſedem habet, quod cum Luna variatur, ad Lunæ viciſſitudines illi patiuntur. Alii verò Lunatici ſunt iidem qui à dæmonio inſeſſi, qui in iis caducum morbum excitat. talis fuit Luc. 17. 14. vel certè ut S Chryſologus ait ſerm. 51. *Dæmon vexat corpus Lunaribus incrementis, ut eſſe Lunæ credatur quod*

est diabolici criminis, & sic balſphemetur innocens creatura. Lunaticos à Luna Nonnus in Dionyſiacis deducit, Firmicus vaniſſimus Aſtrologus, qui vixit tempore Conſtantini magni, aſſerit illos huic affectioni obnoxios, qui ſub ſigno Virginis naſcuntur.

CAPUT XIII.

De inhabitatione dæmonum in hominibus.

Dæmon hominis animam inhabitare non poteſt, ita S. Thom. 3. quodlib. a. 8. in peccatore habitat externè ratione effectuum in quibus illi peccator obedit, & ſervituti ſe ſubjicit: In corpore poteſt habitare, idque evenit aliquando ſine ullo peccato, quia temporales afflictiones poſſunt ſine culpa propter altiores cauſas à Deo infligi, ut patet in cæco. Joan. 9. Inhabitari à dæmone, eſt tradi illi, ut membris hominis pro libitu utatur, ita ut homo videat, & audiat, per ſe aliquid patrari non à ſe. Aliqui Sancti hanc calamitatem à Deo impetrârunt propter exercitium humilitatis. Aliquibus contigit propter alienam levem culpam, ut S. Greg. in Dial. narrat de S. Eleutherio, quòd propter ejus vanam gloriam puer traditus fuerit dæmoni. Aliquibus propter illorum ipſorum venialem defectum, ut S. Moyſi

monacho

monacho apud Caſſianum collat. 1. Aliquibus pro gravi aliena culpa, ut Filio illius Patrisfamilias qui dæmonem pulſum à S. Fortunato ſpecie peregrini conquerentis de inclementia Sancti, ad illius confuſionem hoſpitio receperat. Aliquibus ex proprio ſcelere ut Sauli 1. Reg. 15. Aliquibus denique ex immisſione maleficorum, quod enim poteſt facere ſolus dæmon, poteſt & jusſu malefici. Cæterùm ſæpiùs maleficiati tantùm ab asſiſtente non verò inhabitante vexantur genio. Immisſionem dæmonum primus adinvenit Ludovicus Gaufridi Archimagus, anno 1608. ſi fides habenda hiſtoriæ de tribus Energumenis. Adhibet ad hoc ſcelus ſacras hoſtias, pulveres hirci maleficiorum ſigna, inquit Sylv. lib. de Strigimagis, quæ non ipſæ plerumque ſagæ, ſed dæmon eorum conſenſu defodit. Eligit tamen potiùs mulieres dæmon quàm viros, quia magis credulæ, facilius impresſiones in phantaſia patiuntur, & alias ſeducunt: vindictæ ſunt cupidiores, quàm dum nequeunt conſequi viribus, malitiâ quærunt. Magis quærit dæmon fideles quàm hæreticos, quia de iſtorum non dubitat æterna posſesſione. Angeli cuſtodes noſtri id ſinunt ob fi-

nes altissimos, propter quos Deus etiam fieri permittit, idemque limitat vires, ut non aliud, nec amplius exequantur. Unde suos Judices Sagæ lædere communiter nequeunt, nisi imprudenter aut malitiosè officium suum impleant, inquit Sylv. l. c. Ejusdem Dei beneficio fit, quod subinde advocatus dæmon aliquibus non comparuerit. Deniq; in aliquos habet jus, sed eos ex sua malitia non invadit, habet enim jus juxta 1. Cor. 5. in excommunicatum, sed illi Tyrannicè parcit, ut sic fides de potestate clavium in Ecclesia pro vana habeatur. Cum Necromantæ evocant mortuos, non mortui, sed dæmones mortuorum nomine comparent (excipe Samuelem ad Pythonissæ carmina DEI jussu reducem, ut scriptura & P. P. attestantur) rationem desumimus ex S. Th. 1. p. q. 107. a 7. Quia anima ex natura est forma corporis, nec aliter nisi unita illi, potest in eo operari, dæmonis autem non est unionem producere, itaq; in corpore ita ut operetur comparere non potest. Sed neq; citra operationem juxta placitum dæmonis debet prodire; nam procul dubio Beatæ, aut illæ quæ expiationis torquentur ignibus, ejus imperio non parent: sed neq; illas quas

quas carcere suo conclusit pro arbitrio solvere potest.

CAPUT XIV.

De apparitione dæmonis, & sagis.

Dæmon itaq; vivis comparet assumptâ specie defunctorum qui illi viventes fuerunt cari, ut sic faciliùs decipiat, & persvadeant sibi carcerem inferni non esse perpetuum, neq; adeò graves illius pœnas, in quo etiam efficit ut viventes timeant mortuos, eosque per superstitiosa opera placare laborent. Sæpiùs tamen cadavera ingreditur. Unde sagis in conversatione cadaverosum aliquid afflat, uti Cardanus lib. 20. de subtilitate didicit ex quadam, cui dæmon Amasius id secretum patefecerat. Paracelsus in fragmento Philosophiæ de sagis tr. 1. cap. 5. ipse in hac arte non rudis, hæc signa sagarum ponit. Viros fugiunt, Ferias quasdam superstitiosè colunt, deferunt signa quædam & stigmata, quæ quidem, ait hist. energ. pro gradu dignitatis in illa infernali schola multiplicantur. Delrio tamen negat omnibus hæc stigmata imprimi, & addit quòd varias figuras referant nunc pedes leporinos, nunc aranei, nunc pedes ranæ, & ejusmodi, sed historia cit. esse uniformia instar cicatricis cui si acus

infigatur, neque sangvis effluet, neque dolor consurget, vix latitudinem pisi superant, & cavitatem quandam exprimunt, ut quæ manet post variolas. Hæc stigmata etiam suis prolibus quas ad conventicula delatas dæmoni devovent, imprimi curant. Habent speciales suas cæremonias. Occultant se, & solitudinem affectant, virosque fugiunt, ut ne aspectu quidem dignentur, lotione omni abstinent, molliter cubant, œconomiam negligunt, cancrino modo templo egrediuntur. Adnotat etiam lib. cit. Sylv. Pro certo esse compertum, lacrymari nunquam posse coram Judice & in torturis veneficam, quia lacrymæ emolliunt, & faciliorem ad conversionem faciunt, quod dæmon vehementer præcavet. Idem notat, quod dum hostiam sacram sumunt, infra non supra lingvam recipiant.

CAPUT XV.

De Spectris.

Spectra etsi non omnia sunt opus horum geniorum utut vera sint, verùm non rarò quidam illa sibi fingunt ac metuunt. Turbat quibusdam melancholia phantasiam ut quid pro quo sibi videantur videre. Ephialte, aut incubo pressi morbo, putant se à dæmone

mone opprimi & ſuffocari, ebriis varia ludibria tam in auribus quàm oculis fiunt, ſunt qui putant vitulos eſſe leones; ſunt quibus totum pavimentum in ſcalas converſum &c. multa etiam fingit timor, noctu quispiam conſpicatus propriam umbram, fugit veluti larvam ſibi inſtantem. Spectra etiam à rudibus creduntur, quæ ſunt meri naturæ effectus, ut ignes fatui, draco volans, &c. Dantur tamen & ſpectra vera, & ſæpiùs in locis deſertis aut paluſtribus, aut ubi prælia, aut aliqua ſcelera patrata, conſpiciuntur. Verùm ſubinde ſpectra efficiunt Angeli boni, aut etiam animæ Beatorum, apparent enim & hæ poſt mortem, & quæ tenentur adhuc expiatione, orant vivorum preces & ſuffragia, ſunt ejus rei exempla, apud Sanct. Greg. 4 Dial. c. 40. & c. 55. & apud S. Bern. in Vita S. Malachiæ, &c. ſed homines terrere ac loca infeſta reddere, dæmonum opus eſt, talia ſpectra nomen Salvatoris ac Matris ejus non ſuſtinent, res ab Eccleſia benedictas horrent, rogant ea quæ jam facta ſunt, ſæpe ſunt ſpiritus libidinoſi, blaſphemi, deſperati, vindices, ſuperſtitioſi, formâ belluinâ conſpicui, & beſtiarum voces emittentes; ingrediuntur curioſas ac vanas quæ-

 ſtiun-

stiunculas, revelant quæ non expedit. Fingunt se maledictis ac scurrilitatibus pelli, ut eò magis homines peccent imprecando, & superstitiones exercendo, quanquam & boni spiritus, ne augeatur Numinis offensa, ad ejusmodi se possunt subtrahere. In Metallicis fodinis inveniuntur dæmones qui operarios infestant, vocant illos, virunculos montanos.

CAPUT XVI.

De Erroribus veterum circa dæmones.

Quàm verò futilia, irrationabilia, circa dæmonum cultum veteres etiam Philosophi egerint, unum exemplum quod ex Porphyrii Epistola ad Anelonum Ægyptium, extraxit Euseb. lib. de præparat. Evang. c. 6. ostendet. Ex quo etiam constabit, eos non potuisse esse bonos genios, qui sic colebantur. Magi, inquit ille, invocant Deos ut superiores, cogunt ut inferiores. Dii invicem Magos jubent esse justos, cùm illi jussu Magorum multa perpetrent flagitia. Nolunt Dii exaudire Magum nisi qui multis diebus abstinuit carnali opere, tamen jussu Magorum ad nefandas incitant libidines. Volunt Magum invocaturum abstinere esu carnium, tamen ipsi nidore ac sangvine cæso-

rum

rum animalium oblectantur. Ei qui mortuum tetigit, ad operationes Magicas accedere non licet, & tamen res Magicæ ut plurimùm per cadavera peraguntur. Magi minantur Soli, & Lunæ, & Diis cœlestibus, se concisuros cœlum, & arcana Isidis edicturos, & Osiridis membra Typhoni tradituros, nisi Dii adveniant, & ipsis respondeant, & tamen ista sunt mera nugamenta. Preces ipsæ Magorum quàm sunt ridiculæ! sic enim Deos compellant. Tu qui è limo emersisti, qui sedes in loco, qui navigio navigas, qui singulis horis formam commutas, & in singulis Zodiaci signis commutaris. Et verba barbara admiscent, quasi Dii sint Scythæ, aut Indi, & cùm nullo sensu Dii sint prædi-ti, eos sensibilibus alliciunt. Hactenus ille. Ex quibus etiam patet quàm similia istis modernarum vetularum incantamenta, licet illis quædam sacra svasu dæmonis, ob majus scelus, immisceant.

CAPUT XVII.

De Purgatorio ex ratione.

Vicinus abyssali carceri expiationis locus, de quo non est nostri instituti ex legis divinæ tabulis disputare, solam authoritatem è sana ratione argumentantium Philo-

ſophorum admovemus Purgatorium, locum illum appellant Catholici; admovemus autem è mente S. Auguſtin. 21. Civit. 13. Virgilii authoritatem. Plato etiam in Phædone idem expreſsè docet, quem locum recitat Tertull. de Anima. Eundemq; refert Theodoretus lib. 11. contra Gentes ſub initium. Repetit hanc ſuam ſententiam Plato in Gorgia ſub finem & in Axiocho. Triſmeg. verò in Aſclepio hæc habet quibus configi poſſunt increduli ut agnoſcant non jam ſe contra fidem ſed etiam rationem pugnare. Ergo ne his implicemur, verendum, timendum, cavendumque. Incredibiles enim pro delicto cogentur credere non verbis ſed exemplis nec minis, ſed ipſâ paſsione pœnarum.

CAPUT XVIII.

De Obſesſis & Maleficiatis.

Sæpè in confinio natura verſatur cum inſesſione, maleficio, ut ægrè definire poſsis, effectus illi, quos in afflicto vides homine, à qua ex illis ſupradictis cauſis proveniant, & ſubinde advoces Exorciſtam cùm ſit opus medico. Sæpè tamen manifeſtis ſe prodit hoſtis ſignis, cùm ſcilicet ea per hominem agit quæ ipſe agere non poſsit, lingvis ſcili-

cet loquitur quas homo non didicit, disputat ultra vires hominis subtiliter, signa in corpore subitò excitat. Sed non sunt indubitata hujus inquilini signa, morum in ferinos subita mutatio, belluinæ voces, horribilis vultus, vires insolitæ, jactatio corporis. Lingvis etiam ut ignotis loquatur, scribat, pingat sine arte priùs habitâ, occulta pandat, potest fieri per solum pactum, quale habent qui spirituum familiarium operâ utuntur. Potest etiam dæmon, ut miserum hominem exponat vexationi, fingere horrorem falsò sacrarum reliquiarum, per quas aliquando ejus præsentia exploratur: occultarum tamen verarum non potest horrorem dissimulare. Morbi qui à maleficiis procedunt, ita solent esse implexi, ut nihil de iis certi statuere possit prudens medicus. Æger statim gravissimè dolet, nec quâ parte doleat denotare potest. Extenuatur, flavescit, aut fit cute cinereus, cor quasi corroditur, dilacerantur renes, pungitur; globum à stomacho ad os, & ab eo redire sentit, ventum intra viscera frigidissimum, & inquietum patitur, mente obstupescit, vix sustinet sacrarum accessum personarum, in accessu verò malefici statim pejus habet &

oculis

oculis mutatur. Insessioni causam aliquando dant peccata, ut diximus, desperatio, commercium cum iis qui familiares dæmoni, imprecatio, & neglectus se sacris præmuniendi aliquando causæ soli Deo sunt notæ. Maleficia sæpè oriuntur propter magnum alicujus personæ amorem vel odium, & signa solent supponi. Cùm spiritus ab exorcista urgetur, variis eum ludit artibus, vel conatur in peccatum pertrahere. V. G. simulat se contactum ejus ferre non posse, ut tantò magis contingat obsessam, & ad concupiscentiam excitetur; vel se putat sanctum ludicrũ agit, clamat, ut cursum rerum sacrarum turbet. Difficilem se in respondendo præbet, ut frangat constantiam exorcisantis. Simulat abitum, ut ille desistat urgere.

Solent verò spiritus è corporibus obsessis egredi sub aliquo signo visibili ignis v. g. ex ore, muscarum è naso, venti, globi per secessum, guttæ sangvinis, &c.

Exorcismos per balnea & herbas nunquam ab Ecclesiæ Pastoribus approbatas vidimus, proinde illas non esse adhibendas. Et certè aqua & herba non agunt in spiritum suâ naturâ, ut clarum est: igitur vi divinâ,

sed

ſed quomodo de illa præſumere poteſt, qui omisſis ab Eccleſia ſtatutis exorciſmis ad has ſuas vanitates privatas, quibus etiam laſcivia ſæpiùs immiſcetur, recurrit? ſed, inquies, aqua illa & herbæ ſunt benedictæ, confectio, ſed ſuntne ex ritu Eccleſiæ benedictæ? nonne aliquid vanum, aliqua impertinens adjuncta cæremonia? examinet Theologus certè inveniet. Si res iſta ex Deo eſſet, à viris verè ſanctis & doctis non reſpueretur. Item ſi herbæ illæ vim habent cur non abluit fœmina fœminam, ſed vir? Repones, dæmon operatur in corpus energumeni abutendo ejus humoribus, hos balnea componunt. Sed hinc ſequitur. 1. Si dæmon per motum localem agat nihil hæc balnea prodeſſe, cùm ſcilicet, punget, franget, torquebit. 2. Etſi humor componatur adhuc manſurum dæmonem, cùm nihil ſit quod illum tollat. 3. Si herbæ ope balnei poſſunt humores componere, multò magis notæ illæ medico quàm Exorciſtæ, igitur medicus potiùs eſt adhibendus. Præterea ſi id herbæ exteriùs admotæ poſſunt, multò magis internè ſumpta medicamenta, itaque iſta potiùs asſumenda. Sed inquies, experimur ope balnei fugari dæmones, Quodſi disſimilent ſolùm

lùm ſuam præſentiam, ut te in fide vana de balneis confirment? ſed demus verum eorum fieri obitum, nunquid ſtatim ex eo res ſacra eſt balneum? etiam incantationibus, imaginibus Aſtrologicis cedit, nunquid illæ ſunt ſacræ & uſurpandæ? Præterea eædem herbæ ad quoſvis humores componendos adhibentur, cùm eadem medicina nunquam diverſis atque oppoſitis proſit morbis. At verò alios humores opus tollere alios augere, retinere: alios calefacere, refrigerare: alios diſpergere & alios colligere, quomodo id idem balneum præſtabit, & ita quidem ut non poſſit dæmon obſiſtere, imò cogatur fugere.

Non quilibet habet ejiciendi poteſtatem dæmonia, quia non cuilibet data gratia miraculorum, nec quilibet conſecratur in exorciſtam. Jam verò ſi balneum pelleret, quilibet per illud poſſet expellere, quia ſola aqua præſtaret effectum iſtum, ſicut ignis inflammationem, qui propterea à quocunque applicetur lignis, urit: at verò illa balnea non à quovis admota talem præſtant effectum, itaque illa tantùm in vanam cæremoniam aſſumuntur, & tota cauſa eſt in abluente. Quid autem motus manuum ablu-

entis

entis habet supra dæmonium, qui idem esset si manus in aere & non in aqua moverentur; neque juvat quod hi exorcismi per balnea in libris quibusdam vetustis reperiantur. Multa enim magica, superstitiosa, absurda in libris inveniuntur, propter quæ libri damnantur. Certè in nullo libro approbato Ecclesiastico, in nullo Theologo Catholico balnea leges. Ipsa etiam formula quæ adhibetur ad benedictionem hujus balnei, & incipit *Exorciso te unda condita balnei*, continet statim in hoc initio quandam ruditatem. *Per Deum qui tibi simile lavacrum Moysi servo suo fieri mandavit, dicens, facies labrum æneum, &c.* Hic falsitas magna, labrum enim Moysis erat pro Sacerdotibus oblaturis victimas, hoc pro dæmonibus pellendis. Illud ut in eo lavarent manus & pedes, hic tota corpora abluuntur: illud æneum hoc plerumque ligneum, &c. Cæteros errores non numero, ipsi etiam exorcismi quos isti balneatores aliàs adhibent, absurdi sunt, enumerant partes hominis etiam quas natura tegit, & sine pudore non sinit nominari, præscribunt dæmoni, ut per os exeat tanquam per viam faciliorem, quasi cùm sit spiritus, non ubique habeat parem viam. Tum

illa

illa, *sive maleficium sit factum in auro, argento, ære &c.* Longus rerum & risu dignus catalogus, tum ubi jubet ut exorcista singula seorsim membra ægri contingat, quæ nullo omisso numerat.

Illud verò notare decet, quod in instructione circa judicia sagarum impressa Romæ anno 1657. scriptum est. Posse dæmonem non instigatum ab ullo malefico signa maleficiorum supponere, ut innocentem quempiam suspectum reddat maleficii, *uti videmus* (ait idem libellus) *in actu exorcismi nonnullorum obsessorum, qui videntur evomere acus, clavos, involucra, quæ tamen impossibile est obsessos in corpore habere, prout non habent, sed dæmon in illo actu supponit talia ad os obsessi, ut credatur fortè obsessum esse maleficiatum, & aliquis indebitè molestetur*, & hoc maximè fit, ut ibid. additur, cùm ab Exorcista interrogatur, à quonam in hunc sit immissus hominem? Aliquando etiam Matres quæ suos infantes in lectum recipiendo suffocârunt ut se protegant, à sagis occisos affirmant.

Exorcismus ne sit vitiosus, 1. nihil contineat per quod invocetur dæmon. 2. Ignota nomina non immisceat. 3. Nulla signa præter crucis admittat. 4. Spem in nulla re constituat,

jejunis neque illâ die quidquam aliud edant. Vel, Rec. Baccarum lauri lib. 1. Herbæ Pol. zielenica cribrum, teratur, addatur allium cum fuligine & sale, detur hoc in potu.

20. Cleopissâ nares modicè ungantur.

SECTIO. V.

De Volatilibus Agrariis.

AGetur per Subsectiones. 1. De Gallinis domesticis. 2. De Gallis indicis. 3. De Anseribus 4. De Anatibus. 5, De Columbis. 6. De Pavonibus, Phasianis, Cygnis. 7. De Apibus & Melle.

SUBSECTIO I.

De Gallinis domesticis.

In hac Subsectione erit Caput 1. De Gallinario. 2. De Ovis & exclusione. 3. De Caponibus. 4. De Sagina. 5. De Morbis & Remediis.

CAPUT I.

De Gallinario.

1. Ubi morantur gallinæ locus frequenter lixivio aspergatur, ut pulices, & alii ver-

mes intereant. Sit prope furnus quia fumo delectantur, & in cinere libenter volutantur, ex quo fiunt pingves ac fæcundæ. Sit locus bene clausus ne bestiolæ subintrent, nam & lacertæ nocent. Habeat portam versùs meridiem, & fenestras loco alto ut fætor exhalet. Sit locus siccus & contra pluvias optimè munitus, pro nocte clausus.

2. Aquam bibant mundam, habeant pro suis nidis divisiones in quibus ova ponant, stramen in nidis sæpè, & æstate præcipuè mutetur ut sit semper mundum, quia gallinis proprius fimus inducit morbos, podagram, ungvem in lingva.

3. Sint dispositæ perticæ in quibus dormiant, desuper planæ, ne in rotundis titubent, perticis applicatæ sint scalæ per quas ascendant. Quia dum sursum volant ac luctantur, intra se ova rumpunt, neque omnes possunt volare. Sint circa illorum domunculam aliquæ arbores sub quibus possint umbram capere.

4. Vespere dandus illi domi cibus, ut pro nocte assuescant domum redire. Hyeme danda aqua tepida, sit & locus tepidus, sic etiam hyeme ova ferent, quæ pedibus frige-

frigefactis non ferrent, videndum etiam ut pedes mundos habeant dum cubitum gallinæ eunt.

5. Etiam manè cibus detur, ne si illum quærant alibi, etiam ponant ova alibi, albæ non æquè sunt fæcundæ, nec longævæ.

6. Gallina aut Gallus ungues habentes quinque sunt ferociores, quæ verò habet ungves grandiores ut plurimùm solet ova rumpere aut devorare. Pingvis est sterilis. Quæ cantillat ut gallus est inutilis.

7. Gallina bona digitos habet inæquales, oculos magnos, pentras ad nigredinem tendentes. Gallus rixosus lenitur si orbiculus coriaceus tibiæ illius inducatur.

8. Si hortos intrent gallinæ fiunt steriles, ideò vicini horti spinis sepiendi. Melior est gallina mediocris quàm alba. Sub arbore noctu dormiens contrahit morbos, item si bibat aquam glaciatam, aut maneat in pluvia. Si non habeant pulverem in quo se volutent, contrahunt vermiculos.

9. Sufficiunt pro prædio 25. Gallinæ dum sint bonæ. In Autumno gallinæ seliguntur pro hyeme servandæ, reliquæ, uti & quæ plusquam trimæ, ad calinam deputantur,

10. Hoc jucundum. Alligetur funiculo gallina & vexetur donec jacuerit, cum cretâ in terra incipiendo ab ejus oculo scribatur linea, funiculus tollatur, hâc lineâ credet se alligatam.

CAPUT II.

De Ovis & exclusione.

1. Nimis juvenis gallina bene fert ova, sed malè pullos educat. Quæ non fert ova, pectus illi & venter deplumetur, & flagelletur urticis, & aliquoties mergatur in aqua frigida, cibus per triduum subtrahatur, ligetur strictè in cavea. Tum verò detur illi cibus, & gallo societur, & sic pariet.

2. Ultra tres annos ad ova inutilis. Steriles impingvandæ pro mensa, quæ bis de die fert ova citò moritur. Devoranti sua ova globi cretacei, aut ex rapis facti supponantur. Priusquam permittatur incubare, ferat 50. ova, sed hoc non ubique succedit.

3. Ova pro pullis debent esse ea quæ infra octo dies à coitu cum gallo nata, talia enim sunt prolifica. Melior ad incubandum gallina quæ sæpiùs exclusit, nec antiquior quàm trimula.

4. Ab

4. Ab initio Martii ad finem sept. tempus aptum est pro incubatu. Sed pulli qui post medium Junii excluduntur, parum valent.

5. Ova non sint nimis recentia, sed minimùm octo dierum. Sit nidus mundus, æstate excluduntur pulli intra dies 18. hyeme intra 25. & temporibus frigidis pauciora ova ponenda, poni autem solent 17. 19. 21. 23. non plura. Ne refrigescant, habeat gallina prope nidum sufficientem cibum.

6. Incipiat incubatio ante plenilunium, ut deinde pulli post novilunium prodeant, tales enim crescunt magis. Sit nidus loco separato ne aliæ gallinæ vexent incubantem. Et ut pulli sani nascantur, saltem bis ova necesse revolvere ut omnia æquè calefiant. Ad nidum per scalas ascendat, quia supra ova involando posset ea confringere.

7. Inter ova gallinæ supposita si aliquod sit ruptum abjiciatur. Adnotetur dies quo cæpit incubatio ut possit juvari pullus, nam si 19. vel 20. die non prodierit, rumpenda est modicè testa, quam aliquando propter duritiem aperire non potest. Si 21. die pullus non compareat; res est de-

ſperata, ejiciantur ova ne gallina fruſtra ſe vexet.

8. Bonum eſt ut quatuor vel quinque gallinæ eodem die incipiant incubare, ut poſtquam aliqui pulli prodierunt, ova reſidua ſub unam gallinam colligantur, & pulli alteri ſupponantur, ſed nulli omnes tollendi, ſed ova priùs modicè aperienda quæ ſi corrupta fuerint, abjicienda. Quæ ultimis ovis incubat cibo careat per biduum, donec omnia excluſerit, tum optimo pabulo reficienda.

9. Pulli ac prodierunt ſtatim in cribrum mittantur, & ſubtus fiat fumus urendo pulegium, vel mentaſtrum, & illâ die non detur illis cibus, ſic enim præſervabuntur à pituita. Deinde ſint ſub gallina in loco calido, ſequenti die bene paſcantur, vel molli trito caſeo, vel foliis porri tritis & coctis. Sed parùm detur unâ vice ne ſe ita impleant ut non poſſint digerere, ſic præſervabuntur ab ungve in lingva, & catharris, ita alantur per triduum, & in corbe retineantur cum Matre in loco tepido. Poſt hos tres dies habeantur in loco ampliore cum Matre per dies 15. & levibus cibis alantur donec acquiſiverint vires. Demum

mum vagari liberè ſinantur, ſed infra cameram aliquamdiu.

10. Triginta pullos una gallina poteſt ducere, aliæ pariant ova.

11. Poſtquam intra cameram pulli diſcurerunt per menſem, quo tempore caveri debuit ne aquam turbidam biberent, ut non oriretur ungvis in lingva, plumæ ſub dorſo detrahantur infectæ ſordibus. Si conſtipentur, pluma anſerina lixivio peruncta inſeratur ſi pediculis ſcateant, aquâ laventur in qua cocti lupini.

12. Ova quæ ſupponuntur decem diebus antiquiora non ſint. Gallinæ quæ roſtra & ungves acutos habent, ineptæ ſunt in cubando. Plin. & Colum. Dicunt ex longis ovis marem generari, contrarium ſentit Ariſtoteles.

13. Ova incubatui utilia merguntur in aqua, inutilia ſupernatant. Ita exploranda poſt aliquot dies incubationis, non autem concutienda quia fibræ læderentur. Vel poſt triduum ab incubatu opponatur ovum Soli ſi pellucidum apparuerit abjiciatur. Tonitru læduntur ova ſuppoſita ideò pro antidoto ſupponendum aliquid graminis, vel ſurculi lauri, vel capita allii

cùm clavis ferreis. Si aër nimis æstuet, ne ova arescant leniter aquâ irriganda, quod observandum præcipuè circa ova Gallorum Indicorum & Pavonum.

14. Die 20. post incubatum si moveatur ovum sonus pulli audietur, & hoc tempore incipit plumescere, & habet caput supra dextrum pedem, alam verò dextram supra caput, & vitellus paulatim deficit.

15. Non oportet pullos à Matre tollere, aut alere, donec omnes excludantur. Hoc tempore etsi ceciderint ex alto damnum non accipiunt. Serpens si illos afflet, perimit.

16. Maximè valent pro ferendis ovis ab anno, & dimidio ad secundum, ideoque tum pascendæ magis. Et quidem ut caleant danda, aliquando autem cum fænogræco. Sed gallinæ pingviores minora ferunt ova. Ut autem ferant majora, albissimum gypsum cibo immisceatur. Vel pulvis lapidis contusi tenuiter cum siligine contusa vino modicè irrorando. Vel detur ad saturitatem hordeum semicoctum cum vitia & millio.

17. Incipiunt ferre ova calore incipiente, desinunt illo desinente. Dabunt tamen

men totâ hyeme si alantur pane assato & mollificato, & vespere aliquid avenæ vel hordei comedant, & sint in calore.

18. Ne tonitru sub incubante gallina offendat ova, præter illa de quibus suprà, aliquid ferri supponatur, vel folia lauri, vel allium, vel herbæ virides.

19. Incipiat à 12. Lunæ incubatio nec post 14. vel à decima non post 15. ut pulli sequente novâ Lunâ prodeant. Ne verò ova in nido corrumpantur, suffumigentur sulfure. Pro incubatu non assumuntur alia ova nisi nata inter 7. Febr. & 22. Sept. Item quæ sunt primi partùs, non valent. Observant aliqui ut supponantur in Jan.° 15. in Martio 19. in April. 21, quia cum mensibus crescit calor. Qui pulli post medium Junium excluduntur, non crescunt, & sunt viles.

20. Non temerè ova quibus incubat gallina tangantur, quia non facilè ad illa redit. Circa 18. diem ab incubitu quæ ova in aqua tepida supernatant, abjicienda.

21. Ne afflet pullos serpens circa eorum domunculam frequenter cornu cervi urendum, aut galbanum, aut capilli mulierum, nam hi fumi fugant serpentem.

22. Excludi etiam ova possunt intra pul-

villos factos è plumis gallinarum conspersis earum fimo: & collocanda sunt ut parte acutiore sint sursum, oportet in nido revolvi ova singulis diebus quaternis. Dicuntur pulli ejus coloris nasci quo ova tinguntur.

23. Ova si æstate serventur in siligine rumpuntur. In jusculo salso durant sed vacuantur. In canabe sunt tutiora hyeme & æstate, sed contrahunt odorem. Diutiùs perdurant si non in lateribus jaceant, sed acutiori parti insistant: & durabiliora quæ post novilunium Augusti nata, vel Lunâ Novemb. decrescente, vel die Natali aut Ascensionis Domini, ut quidam volunt. Servantur hyeme in palea seu straminibus concisis, cinere, æstate in furfure. Unus gallus sufficit viginti quinque gallinis.

24. Alii ut totâ hyeme ova habeant recentia bene pascunt gallinas, & in loco calido retinent, ac in cibo præbent semen urticarum siccarum cum furfure calefactum. Urticas autem maturas ac plenas semine colligunt, atque ex fune suspendunt ut putrescant deinde servant clausas, gallinæ subinde sereno die gallis misceantur.

25. Gallinæ 30. dant per annum capones 60. & alias gallinas.

26. Ova

26. Ova non exclusa possunt coqui ut sint dura. Et tenuiter concidi ut dentur in pabulum novis pullis, & hoc illos conservabit.

27. Gallina plura ova pariet si tritum leporis stercus cum furfuribus comedat. Vel semen rutæ capraria cum pabulo, vel semen canabis cum semine urticæ. Sterili autem datur nigella. Steriles gallinas faciunt acini botrorum, fabæ, paleæ fabarum.

28. Excludi etiam possunt hoc modo pulli. Fimum columbarum, aut gallinarum contere & cribra, tum ova in loco calido in hoc fimo pone, ne unum contingat aliud, ac omnia cooperi plumis gallinarum, & hoc singulis diebus renova, post 20. dies cautè aperi pullis testam, & gallinam superpone. Vel sepeli ova in fimo calido, qui post senos dies renovetur ne putrescat, & videndum ut æqualis semper sit calor.

29. Pulli erunt varii coloris, ait Andr. Tesner. Si ova pingantur varie & oleo oliv. ungantur, & siccata gallinæ supponantur. Sed sint colores qui alias in gallinis reperiuntur.

30. Pulli singulis annis colorem mutabunt

si ova feriâ quintâ gallinæ supponantur, natis hâc die ovis nec frigus, nec aliud corrumpens nocet. Ait Schwent.

31. Ova nata Lunâ decrescente non valent pro incubatu. In dextra parte gallina gerit ova ex quibus mares prodituri: In sinistra ex quibus gallinæ

32. Pulli erunt inplumes si ederint aliquid ex assâ fætida. Imò id ipsum cuivis gallinæ accidet: plumas enim dimittet. Occisa etiam gallina, sine aqua deplumabitur, si pellem illi in capite aperueris ac inflaveris, sicque jacere permiseris.

33. Gallus incessanter cantabit, si agallochum admixtis paucis garyopillis atque osse de corde cervi oleo nigellæ miscueris, & hoc ungvento caput galli perunxeris. Lemnius de complex, lib. 2. c. 4.

34. Gallæ non fugiunt si quis herbam Angelicam manducaverit & contra illas halârit.

35. Pulli saginantur micis panis albi cum lacte appositis.

CAPUT III.

De Caponibus.

1. Capo aut gallinæ loco pullos ducat, sit

ſit juvenis & venter ac totum pectus deplumetur, ac urticis bene opus cædi, & per biduum abſque cibo relinquatur, tum offeratur illi de bono vino juſculum cum pane, & pro potu vinum detur ad ebrietatem, & ſic habeant per triduum, & aliud triduum ſit in loco obſcuro. His factis datur illi unus pullus per dies decem ut cum illo in lucem exeat, & mox illum adamabit, poſt illi adduntur pulli 25.

2. Tempus caſtrandi pullos quando cantare incipiunt, dum ſecum pugnant, quærunt gallinam. Aliàs nunquam pingveſcent, quia ſunt ſalaces. Pridie caſtrationis nec cibus nec potus detur, ſit Luna decreſcens. Exempto quod eximi debuit conſuatur vulnus & cinere aſpergatur. Alatur autem bene & bibat, & ad hoc cogatur novus capo, & per triduum in cavea claudatur ne diſcurrat, talibus neque criſta, neque barba creſcit. (Simili modo caſtrantur anſeres) poſt triduum abſcinde forfice criſtam & barbam ne illum galli invadant, & hoc meliùs quàm ſi unâ die totum fiat. Alii loco caſtrationis exurunt ferro calcaria uſque ad tibias, & ita illis poſt dies 30. ſpontè areſcit, quod exſcindi debuit, ſed

ſeni-

ſenibus ita uſtis non niſi poſt tres menſes. Alii quæ fuerunt exſcindenda, ferro exurunt, & vulnus cretâ obducunt.

3. Non ſatis eſt factus capo cui non exuſta calcaria, quæ debent exuri priùs ex illis de tracto cornu.

4. Capo excludet ova ſi vino inebriatus poſitus fuerit ſuper ova, & cribro ne avolet, contegatur, deinceps ſpontè incubabit. ait Geſner.

CAPUT IV.

De Gallinarum Sagina.

1. Gallinæ ſaginandæ aut capones, ſint loco ſtricto & obſcuro, ſed calido, illæ ad ſaginam aptiores quæ cervice pingvi. Optimum eſt ſi in ſportulas includantur perforatas ut caudam & caput exerant, ſportulæ verò pendeant. Deplumentur autem in capite & ſub alis ne pediculos creent, & ſub cauda ne ſuo ſe luto inficiant. In potum ſola capita poſſint inſerere. Habeant pulverem in quo ſe volutent.

2. Non maneant in terra, ſupponatur ſtramen & quotidie mutetur. Paſtilli dentur facti ex farina cum juſculo: nec bibant niſi ſemél intra diem, idque modicè, ſic

ſic intra dies 15. fiet pingviſſimus capo. Vel in tribus locis acu oculi configantur, & ponatur in faſciis ut infans, citisſimè pingveſcet, ſed melior qui priori modo impingvatus. Optimus & utilis podagricis qui millio cum aqua per tres hebdomadas paſtus.

CAPUT V.

De morbis Gallinarum & remediis.

1. Si tusſim vel ungvem in lingva habeat, per roſtri nares pluma ejuſdem ipſi transmittatur. Hoc malum provenit, vel quia parum bibit, vel quia turbidum, vel pluviam. Vel abluatur roſtrum oleo oliv. cui modicum allii intritum, & aperto ore locus affectus pungatur ut ſanies effluat, tum lavetur extremitas lingvæ cum ſale & aceto.

2. Excæcantur gallinæ, vel ob ſenium, vel quia loco nimis frigido, vel ſub dio dormiunt.

3. Fluxus alvi illis accidit, vel cùm nimis vorârunt, vel quia aliquid laxativum deglutiverunt, vel quia domuncula earum ſtetit noctu aperta.

4. Oculi laborantes ſuccu portulacæ ac lacte muliebri curantur. Aut ſi cumino, melle,

melle, saleque ammoniaco forinsecùs illinantur.

5. Quæ perpetuò vellet incubare, ad gallum remittenda.

6. Cataracta si sit in oculo, vel scabies, curatur melle, cumino, sale ammoniaco æqualiter sumptis ac tritis oculum illiniendo foris.

7. Fluxui alvi, fac pilulas ex farina hordei cum vino, fece vini, cera. In aquam verò quam bibunt infundatur decoctio coconearum.

8. Constipatio pullis accidit, aperiuntur stipidâ & potui mel imponitur.

9. Ungvis ne innascatur in lingva, rostrum eluitur oleo oliv. infuso in particulam allii, & cibis admiscetur stafisagria.

10. Feles dicuntur pullis non nocere si habeant sub alis alligatam rutam sylvestrem.

11. Ne pediculi vel pulices nascantur in pullis, laventur decocto cumini & stafisagris. Vel aqua decoctionis lupinorum sylvestrium.

12. Si mordeantur à bestiola venenata, locus ungatur oleo oliv. in quo suffocati scorpiones. Postea applicetur Mithridatum, &

& bibant in aqua theriacam. Ne verò noxia intrent domunculam gallinarum, fascis rutæ intus pendeat; & limina, atque circa fenestras ungantur felle cati aut vulpis. à vulpe non lædentur deterrendo illam odore, si carnem vulpis coctam & concisam aliquoties comederint.

13. Morbo & langvori. Millium coquatur addito butyro & allio contuso, hic erit cibus per dies aliquot gallinarũ, ac præcipuè pullorum. Præservat verò à morbis, si mox ut nati, aspergantur aquâ in quàm puræ nives Martiæ solutæ. Gallinæ verò, si mentha siccetur, ac teratur, & aquâ bulliente perfundatur, qualicunque autem farinâ admixtâ in pabulum offeratur.

14. Cùm pulli alas demittunt, videndum ne fortè vermiculi caput rodant, proinde modicè deplumatum ungvento quod vocant gryseum ungatur.

15. Si nati fuerint cum ungve in lingva, ungvis lentè detrahatur, & lingva modico cinere aspergatur, & oleo in quo allium maduit, atque guttur impleatur urinâ humanâ.

16. Si gallinæ multùm volitent, evellendæ pennæ sed solùm ex una ala.

17. Ungvem habens in lingva allium tritum cum furfure edat.

18. Ne Butorius aut vulpes invadat, siccam illius carnem, vel hujus jecur edant, vel in collo partem pellis ex his animalibus gestent.

SUBSECTIO II.

De Gallis Indicis.

1. Pulli Indici alantur mox ut nati ovo ad duritiem cocto & minutatim conciso, tum pulte hordeâ crassâ coctâ in sero lactis. Suffumigentur ut de pullis domesticis dictum.

2. Si comederint urticas minores urentes, capita illis tumescunt, cæparum gramine comesto cæcutiunt.

3. Gallinæ nisi subtrahantur ova statim illis incubant, imò & lapidibus, sed mas si ova repererit, conculcat & frangit, pituitâ laborant, & eodem remedio curantur quo domesticæ.

4. Gallina excludit ova 18. vorat multum, dormit extra domum sed sub tecto. Mas sufficit unus pro quinque gallinis, sed non sit anniculo junior, durat annis tribus. Gallina diebus incubat 30. & Lunâ crescente

te imponenda. Pulli nati in loco temperato recludendi, & per mensem pascantur pane trito & herbis concisis. Mas castrari potest, & magis pinguescit quàm fæmina. Ova comesta Indicorum generant calculos.

SUBSECTIO III.

De Anseribus.

1. Ex Anseribus 30. debent reddi Domino Anseres sexaginta, & ova 30. Juniores Anseres semel in anno, antiquiores bis vel ter sub ventre ac pectore lanâ relictâ deplumantur, pulli eodem modo suffumigantur ut gallinarum.

2. Dum in aquis morantur intrant illis per nares sanguisugæ usque ad cerebrum, & mactant. Mares anseres 2. sufficiunt fæminis 16. reliqui castrari possunt pro sagina. Albi anseres optimi nigri sylvescunt.

3. Ut nec pulli Indici, ita nec anserum, ad gramina dimittantur prius, quàm sint robusti, quia dum trahunt gramen, collum lædunt.

4. In Julio detur pullis per dies alternos avena quæ per noctem maduit in urina & aqua mixti^ æqualiter.

5.Ha-

5. Habeant suam domunculam in qua pro nocte recludantur, habeant aquam & gramen. Deplumantur initio veris & Augusti, pulli seipsos alunt. Devorant semen, herbas, radices, & in plures annos agrum suo fimo sterilem reddunt.

6. Excludit ova 13. aut 15. æstate intra dies viginti quinque, hyeme intra 30. incubanti cibus ac potus penes ipsum nidum ponatur, nam aliquæ malunt fame perire, quàm sua deserere. Exclusi pulli recluduntur cum Matre per dies 12. detur illis furfur cum urticis concisis & aqua calida, vel cum lactucis: vel millium, potus nunquam desit. Tum dimittantur ad gramen, sed priùs domi mediocriter pasti, videndum ne fossas transeant, possent enim pedes frangere.

7. Incubat anser à vere usque ad Julium. Ter in anno fert ova, primò 5. secundò 4. tertiò 3. Qui jam sunt quadrimestres, apti saginæ; & magis quàm senes, optimè impinguantur polentâ, & citiùs pinguescunt si excæcentur, quia anima soli nutritioni intendit. Mundè semper haberi debent. Quæ biennium excessit magis fert ova, & incubationi aptior, ova fæcundiora anseris

qui

qui vivit inter aquas, & coloris eſt unius, & plumæ mollioris. In loco non multùm calido incubat. Ubi primum poſuit ovum, eodem cum aliis currit. Non ſolent aliena excludere, etiam anſerina. Niſi ſaltem aliqua propria admiſceantur. Pullos urticæ necant, præſervat ab hoc malo, ſi, dum incubat, urticæ ſubjiciatur radix ovis. Quas plantas momordit non facilè recreſcunt.

8. Aliqui anſerem ſaginant hoc modo. Involvunt linteo, & loco obſcuro ſuſpendunt, ac claudunt aures ne audiant, dant offas è farina hordeacea cum aqua ter quotidie. Jecur anſeri ſaginato mirum in modum excreſcit.

9. Morbi & remedia Anſerum, eadem ſunt quæ Gallinarum.

10. Segetes & hortos vaſtant. Cavendum ne ſpinas vel urticas intrent. Ut albam carnem habeant hordeo paſcantur, ſiligine pingveſcunt. Moriuntur pulli ſi ederint jusquiamum, cicuta inducit mortiferum lethargum, mortem rubeta ſi comederint. Juniores à ſenioribus concutiuntur, ideoque ſeparatim habeantur.

11. Pro remedio ſolet dari jejunis ſmegma dilutum aquâ, & hoc per triduum.

12. Anſer maſculus longiores habet pedes quàm fæmella, & captus clamat, fæmella ſilet. Non clamabit autem ſi piſa ejus auribus inſerantur.

13. Anſeres ſaginati ante diem Nati Domini mactantur, ſale condiuntur, in Martio abluuntur cerviſiâ, & ventis exponuntur.

14. Quidam plumas anſerum ut aptas culcitris faciant, in mortario lapideo ſuperjecto illis ſtramine contundunt piſtillo ligneo ſic enim ſeparantur à calamis.

SUBSECTIO IV.

De Anatibus.

1. Anas ſemper vult eſſe in aquis, & delectatur turbidis, ut foſſis in quas defluxit pluvia, & tales pro eis ſunt aperiendæ, remotiùs tamen à domo propter clamores. Initiò Veris & Auguſti deplumantur in pectore & ventre, & quibusdam in Gallia magis placet lectus ex earum plumis quàm anſerum, imo & caro, & ova magis placent. Separari convenit ab anſeribus.

2. Quando incubat ovis, cavendum ne

intret aquam, ova enim madefaceret, & inutilia redderet. Devorat pisces in aquis & ova piscium. Pullis dantur micæ panis, herbæ concisæ cum millio: majoribus carnes inutiles etiam concisæ.

3. Ubi morantur in aquis habeant partem ripæ eminentem, ut sub illam se recipiant præcipuè dum timent vulturem, & sub ea projiciantur illis aliqua grana, non ita vastant hortos ut anseres. Ova sylvestrium supponuntur domesticis, sed pulli ferè sylvescunt.

4. Dum saginatur sit in libertate, & aliquando pisces comedat. Pulli suffumigantur ut gallinarum.

SUBSECTIO V.

De Columbis & Turdis.

1. Columbarum plura quàm sex paria non probant in prædio. Semina optima in agris devorant: hyeme illis opus præbere pabulum, quâ veniunt viverræ ungatur via allio. Sed ipsa viverra pellit mures & glires.

2. Columbæ semper alicui damnum inferunt. Ne intra columbarium nascantur animalcula lixivio abluatur, nec sit valdè

altum ob faciliorem volatum pullorum, ſit prope aquas currentes ut Matres ſine labore pullis deferant potum. Rimas & fiſſuras in ſua domo non amant, libenter illam incolunt ſi intus columbas depictas videant, diſplicet ſi perpluat. Si ex muro columbarium & lateres male cocti, eos rodunt, & ſuis excrementis corrumpunt. Immunditiem fugiunt. Albi magis è longinquo conſpiciuntur ab Accipitre.

3. Saginantur pulli per infundibulum ori injectum grana immittendo & aquam: Sed meliùs apud propriam Matrem craſſeſcunt dum majores plumæ, ne volitent, ex alis detrahantur.

4. Qui columbarium inſtituit non à pullis ſed à majoribus inſtituat, idque in camera, à Matribus pulli non ſeparentur, quia ſic fient fæcundiores, pariunt bina ova, prius ex illis eſt pro mare, poſterius pro fæmella, tertium autem ferè ſemper inutile.

5. Aliqui ut pullos ſaginent, crura frangunt ne ex nido evolent, dolor ultra biduum non durat, diligit Columbus locos in quibus ſuum videt fimum, proinde non magnâ purgandi diligentiâ. Si cumini

ni semen ituris ad pascua dederis, vel salviam cum thure in columbario suffumiges, locum retinent.

6. Turdi habentur ut columbæ, excepto, quod pro nocte insident perticis.

7. Utile ut pro nocte columbarii fenestellæ claudantur, ne à bestiolis infestentur.

8. Ut fugitivi redeant, in summitate columbarii sit fictitius columbus. In columbarium primò inducendi implumes nam alii dilabuntur. Sint coloris cinerei aut nigri. Qui pedes habent implumes magis sunt cicures. Qui collum in auratum & oculos ac pedes rubeos, durabiliores. Albi magis obnoxii avibus rapacibus. Flavi & rubri non æquè multiplicantur.

9. Ut cicurentur, dandum illis millium, postea vicia, & tandem cuminum, & per dies 15. si novus veniat ex columbario non dimittatur. Non fugient, si detur illis lens cum aqua mulsa, vel cocta in musto, vel siccæ ficus mixtæ farinâ hordeaceâ. Dicuntur etiam non fugere si in vertice columbarii sit caput noctuæ, vel ramus vitis sylvestris, vel si ungantur portæ ac fenestræ oleo menthæ. Vel, priusquàm exeant

pascãtur vitiâ vino irroratâ admisto semine agni casti vel viticis: Imò horum odore alii attrahentur. Novus non dimittendus nisi sub vesperum, & cælo turbido ac pluvio.

10. Columbarium frequenter suffumigandum junipero, thure, rosmarino. Odore malo pelluntur.

11. Fimus alteri non debet misceri, hic enim agrum impingvat pro canabibus & arboribus vetustis.

12. Retinentur etiam si verbena in columbario ponatur, ut manè è columbario exeant, strepitus mediocris faciendus.

13. Retinent columbarium pulli qui nondum ipsi cibum per se capere norunt, & bis per diem alantur donec ipsi didicerint capere pabulum, quare in columbario grana aliqua relinquantur.

14. Columbus toto anno pariet si habuerit bonum pastum, & locum tepidum. Pulli verni meliores, nati in Autumno viles. In æstate esus illorum non laudatur. Cùm pulli per se comedere incipient ne statim avolent evellendæ illis pennæ principales, ut ad minimùm uno mense remaneant in loco eumque adament, in quem tamen pastus injiciatur.

15. Qui inter Majum & Augustum nascuntur uti meliores, relinquantur, cæteri sint pro culina. Nati circa finem Martii pro columbario optimi. In Aprili & Majo cibus dandus copiosus, quia tunc & ova ferunt & pullos excludunt, & in campis parum inveniunt.

16. Columbi delectantur hâc escâ. Rec. Jusculum halecum, semen canabum, pisa, vitiam, argillam de furno, salem, fabarum farinam, mel, misceantur, coquantur. Vel, Rec. argillam de furno misce cum urina humana.

17. Columba uncta balsamo, aut oleo nardi, imò & sudore fætido hirci alias columbas adducit.

18. Fugantur columbæ si columbario injiciatur pluma bubonis aut noctuæ, vel pes felis, aut leporis, aut vitrum contusum vel si alligetur uni campanula vel ingluvies gallinæ cum pisis. Vel si in caudam immittatur aliquid massæ fætidæ. In domo tacta fulmine columbas ferunt non habitare.

19. Anisum coquatur in aqua donec crepuerit, & in ea aqua per tres dies grana frumenti madeant & simul cum aniso columbis detur, non fugient. Vel imponatur pasta con-

confecta ex argilla, urina ſale, piſis, ſemine aphaces, & cumini.

SUBSECTIO VI.

De Pavonibus, Phaſianis, Cygnis.

1. Phaſianus unus duabus fœmellis datur. In anno ſemel ponit ova 20, ſed 15. ſupponuntur, die 30. excludit. Pulli per 15. dies coctâ hordei farinâ vino aſperſâ aluntur: poſtea datur triticum, locuſtæ, ova formicarum: ab aqua coërcendi, nam pituitâ corripiuntur, medicina eſt allium cum pice liquida roſtro affricatum.

2. Pavonum pulli per dies 30. claudendi & farinâ hordeaceâ vino ſubactâ nutriendi adjecto modico molli caſeo bene purgato, alioqui nocebit, nam illis lac contrarium. Dandæ etiam ſubinde araneæ, muſcæ, cicadæ. Poſt ſex deinde menſes hordeum coctum edant, & vadant liberè ſed à frigore & pluvia cavendum, quia alas perderent. Providendum itaque ut ex ovo in æſtate prodeant, frigore enim conſumuntur. Supponuntur novâ Lunâ quinq; propria & novem ova gallinacea, quæ tamen poſt dies

dies 10. rejiciuntur, & nova supponuntur & ita die 30. pulli gallinacei cum pavoninis excludentur simul. Notentur autem atramento pavonina ut videatur an illa revolverit, quod si neglexit, revolvenda cùm abit ad pastum. Ubi exclusi pulli gallinacei statim alteri gallinæ dandi, neque istæ pavæ secum agent, mater habeat pavunculos. In æstu magno ut se refrigerent semper habeant recentem aquam. Mas verò habeat semper fæmellas quinque ut dum una incubat, desit illi nulla.

3. Pavonis durat in annum caro incorrupta. Dormiunt Pavones in alto, multi sunt cibi, viso ignoto homine vociferantur. Si caudam amiserint, non prodeunt in publicum. Edunt gramen, granum. Stando ova deponunt. Ideo domunculam & non altam, & plenam stramine habeant, sed in occulto, ne mas accedat qui ova devoraret. Pulli non bene colorati mactantur à parentibus. Ter in anno ponit ova, 1. quinque, 2. quatuor, 3. tria vel duo. Si novâ Lunâ supponantur ova pro incubatu dantur masculi. Sed vulpes incubanti insi-

dian-

diantur. Consistunt loco altiore ne caudam lædant. Mas pugnat contra gallinaceos timendo suæ fæminæ. Quam si domi non habeat, alibi quærit. Initio Febr. coëunt, postea dant ova per tres annos fæcunda, deinde sterilia. Fæmina melior quæ mediæ ætatis, & ova pro incubatu meliora quæ recentiora. & sub incubante aliquoties revolvenda, ut omnia æquè incalescant, sed cibus illi apponatur, quia antequam excluserit, de nido non prodit.

4. Pullus ac natus statim calidis pannis siccandus. Sequenti die nihil comedat, tertio apponendæ muscæ, vermes, aranei, farina cum aqua frigida, neque ex domuncula ante mensem dimittantur. Defectu potûs sicut & gallinis, oritur ungvis in lingva. Cùm pulli emittunt cristam ægrotant, ideòque magis fovendi. Una mater 15. proles educat, semestres facti donantur omni libertate, sed ut domum redeant, vespere cibus domi detur. Ægrotant etiam dum pennas mutant, tum vescantur melle cum frumento. Si fameant, tecta & hortos destruunt.

5. Pavones candidos quidam hâc arte faciunt, opponitur incubanti linteum album

ut illud continuò aſpiciat, ſed ut animalibus cæteris color ſic trahi poteſt, quia in utero gerunt, ita de avibus mihi eſt dubium quæ ſolo calore ad excluſionem concurrunt, imò excludi poſſunt calore ſolis aut ignis.

SUBSECTIO VII.

De Apibus, & Melle, & Cera.

1. Apes dum naſcuntur ſunt absque pedibus, unde fortè & Apes dicuntur. Quævis habet ſuam cellam in alveari quam alia non ingreditur. Vivum Regem omnes comitantur mortuum deferunt. Fimum in alveari non deponunt. Cùm infigunt aculeum, ſequitur etiam inteſtinum, & ſic pereunt. Hyeme calido, æſtate frigido gaudent aëre.

2. Otium nocet apibus, ideò non multum mel relinquendum ut laborare cogantur. Quando faciunt inſolitum murmur, parant fugam, alveare tunc lacte vel aliâ re dulci reſpergendum, ut detineantur. Quando mel corrumpitur, intereunt, humido augentur tempore, deficiunt ſicco. Mel autem virtutem aut vitium ſumit à floribus ex quibus colligitur.

3. Dum

3. Dum paſcuntur in uno locō mittunt exploratores ut videant ſi meliora alibi paſcua. Si peregrè profectæ domum pro nocte redire non poſſint, pernoctant in campo ſed ſupinæ ut alas à rore conſervent, & una permanet vigil, quæ in aurora edito ter bombo excitat omnes.

4. Quando imminent tempeſtates continent ſe domi, ſeniores domum ordinant, & purgant, juniores evolant. Si ventus perflet, prope terram volant, & lapillum geſtant. Tempus ſomni & vigiliæ una bombo denunciat. Si quæ ſit inquieta, expellitur. Rex circuit operas & inſpicit. Qui ſi pereat, ſtatim eligunt alium.

5. Humido tempore mel deficit, apes augentur. Damno illis ſunt, ventus, pluvia, fumus. Cùm cibus deficit parant contra alias pugnam. Si Rex ineptus regimini, rejicitur & aliquando necatur.

6. Magis laborant juvenes, magis pungunt ſenes. In vere & Autumno præcipuè mel conficiunt, ſed præſtat vernum. Sine Rege fit favus, ſed non mel, aqua pura illis potus. Laborioſiores flavis nigræ, montanæ ſunt ruſticæ & iracundæ, ſed magis mellificant. Quæ otioſa eſt, aut non prolificat, à

à Rege occiditur. Si externæ damna inferant decollantur à custodibus. Breves pugnant contra longas.

7. Biduo antequam Rex prodeat, dat sonum insolitum, illum omnes comitantur relictâ domi custodiâ. Distingvunt inter se curas, aliæ ferunt aquam, aliæ mel, &c. Vivunt sex annis. Adolescunt diebus 40, post quos manu mittuntur.

8. Sudore madens homo, ebriosus, aut recens ab impuritate, apibus odio est. Gaudent loco libero, frigus metuunt, alta illis domus incommoda, fatigantur ascensu. Oderunt strepitus, hominum deambulationes, fimum, paludes lutum. Sint procul à pecoribus, sed prope herbas ac hortos, aquam currentem, quæ si desit ponatur prope vas cum aqua. Quò intra alveare major obscuritas, magis laborant.

9. Hyeme ut parcant melli apponitur aqua mulsa tepida, vel farina millii. Ut juvenes à veteri alveari non abscedant, Rex novus occiditur.

10. Pro novo alveari apes acquirunt juvenes, sed in vere, & sint de loco simili tuo, noctuque leniter ab homine deferantur, die tota sequenti quiescant. Aquæ mulsa sit

prope alveare, & ſonitus fiat. Si duo ſint Reges, alter necandus, qui eſt magis fuſcus & lacte reſpergatur alveare. Si fugiant, aſpergendæ aquâ, vel pulvere, ac ſonus lenis excitetur, nam magnum fugiunt. Ante fugam tumultum excitant.

11. In Januario videndum utrum cibus defecerit, an impluat, an beſtiola ingreſſa vel nives. Suffitu bono gaudent. In Aprili pro novis Apibus alvearia parantur.

12. Apum venatio ſic habet, prope aquam ponitur conveola cum modico melle, ubi illam ingreſſæ aliquot apes, clauditur: tum una dimittatur, eam ſequere, ducet ad ſuam domum, & ſi iſta fefellerit, dimitte alteram & ſequere. Sed & ipſa quæ mel guſtavit adducet alias. Examen abditum fumo expellitur, quod ubi evolat plantatur proximè ramus cui inſideant, & hoc negotium manè inſtituendum ut plus illi ſuppetat otii.

13. Gaudent cythiſo, thymo, caſiâ, roſmarino, cunilo, apio, violâ medicâ, ſalviâ, thymbro, nardo, myrrhâ, origano, ſerpillo, melyſſophillo, aſphodelo, amaraco, croco, hyacintho &c. Oderunt veratrum, rhapſiam, abſynthium, cucumerem

rem ſylveſtrem. Rurſus amant fabam, ſynapi, ervillum, papaver, melilotum, roſam, cerynthum, rapaceum, triticum, geniſtam, pinum, ſalicem, abietem, amygdalum, perſicum, pyrum, & omnes plantas in quarum floribus nulla amaritudo.

14. Alvearia probantur, pinea, fraxinea, ex juglande. Ingreſſus in ea ſit talis ne intret pluvia, & modicus ut ſolùm una apis ingredi poſſit, ut autem plures egredi poſſint, ſint plura foramella, & hoc propter inſecta ne ſubintrent. Hyeme apponi poteſt pro cibo ficus ſiccata contuſa, vel madefacta, novo apes magis delectantur alveari quàm putrido.

15. Dum pugnant, pulvere aſpergantur, vel aquâ mulsâ. Regi detrahunt quidam alas ne fugiat. Dum ſunt paucæ apes in pluribus, colligantur in unum alueare, ſed priùs liquore dulci reſpergantur ac cibus ſubminiſtretur, & per triduum in uno alveari maneant recluſæ relicto modico ſpiraculo.

16. Si frigore aut tempeſtate moriantur, in vas colligendæ, & cinere calido ficulneo, vel ſimili aſpergendæ, vas modicè concutiendo, ſed ipſæ manu non tangendæ.

17. Pestis apum est cùm frequenter suos efferunt mortuos, aut non prodeunt. Offeratur illis mel coctum cum galla: vel aridâ rosâ tritâ cum galbano suffiantur. Mortuo etiam Rege nisi alter aliunde substituatur, fame pereunt.

18. Tithymallum si edant, vel olmum, ventre profluunt, tum urina hominis vel bovis proxima sit alveari, vel amelli radix cum veteri vino cocta ac expressa.

19. Oleo exanimantur, & cancrorum coctorum odore. Inimica illis nebula, & echo quæ illas tremefacit. Fumus utilis etsi molestus. Porcinum stercus mactat si superponatur.

20. Si alveare ungatur floribus melissæ, non fugiunt apes, & si fugerunt redeunt: si ungatur floribus matricariæ, fugiunt: si buxo, pereunt. Retinentur etiam si præter flores melissæ attritos alveari, intùs folia calami aromatici appendantur, vel si intùs atteras fæniculum Italicum, & partem ejus relinquas.

21. Alvearia sic statuenda ut horâ tertiâ pomeridianâ sol intret ostiolum. Semper autem in promptu sit copia novorũ ut dum apes novæ comparent, statim recipi possint,

possint, sed novum alveare benè intùs melissâ imò & melle perfricandum.

22. Optimæ apes primæ, id est, quæ ante Pentecosten prodierunt: deteriores quæ circa festum S. Joannis: quæ his posteriores, viles. Optimæ vernæ usque ad S. Vitum, post has ineptæ. Fiunt seduliores si lacte caprino bis per æstatem alvearia tingantur.

23. Tempus castrandi alvearia est circa finem Augusti, lenis fiat fumus ut apes alvearii summa petant. Cavendum ne Rex lædatur, alioqui perirent. Pro hyeme relinquitur mel à summo incipiendo, ad unam spitamam. Tenuiora alvearia ne à gelu petrentur munienda stramine. Revidenda post Bacchanalia ne victus desit. Qui si defuerit, mel crudum intra cavam panis crustam supra bacillum cubitalem in alveari defigatur.

24. Si duo sint Reges, debilior & minor occidendus, alioqui in sylvas fugient. Modus verò novum examen colligendi hic est. Corbis linteo clauditur relicto foramine per quod apes cochleari ex loco in quo consederant, transferuntur in corbem, & quidem si in eum deposueris Regem, apes spon-

spontè sequentur. Claudatur corbis & in loco obscuro maneat donec sol propè sit occasum, interea præparetur alveare, tum apes in linteum effundendæ, sed corbis inclinatus proximè statuatur. Incipient regredi ad corbem, interea Rex molli manu capiatur & in caveolam mittatur, atque in alveari ponatur, sequentur apes. Rex est cæteris longior, subtilior, subgryseus instar vespæ, & major: caret aculeo. Sed si pereat, apes dissipantur.

25. Quæ apis hominem pupugit si non moritur, non mellificat, & à cæteris occiditur, vel pro hyeme ejicitur.

26. Alvearia habeant tectum. Non sint è ligno viridi, laudantur non omninò nova, sed melyssâ, vel melliphyllo fricentur. Fuci perdantur qui perdunt apes, hi verò similes sunt apibus, sed inter se litigant. Cùm apes domum redeunt vespere, claudatur bene alveare, quia fuci sunt postremi, & illis venenum in concha proponatur, scilicet, fex cervisiæ mellita.

27. Castratio non fiat nisi die sereno & calido. Circa 6. Martii purgentur alvearia, addatur mel calefactum modicè, vel si opus dematur, item purgentur dum emittit

tit, folia sambucus, non moveatur favus quia in illo sunt prolis initia.

28. Dum novellæ apes evolant sonus faciendus ut se congregent, sed non suffumigentur, verùm leniter aspergantur, locus verò in quo primò consederunt bene fumo imbuatur.

29. Mel è buxo collectum, turbat intellectum, sed juvat epilepticos. Optimum est mel quod veluti granula habet.

30 Cera dealbatur, si diutissimè coquatur in aqua.

31. Citiùs examen dimittunr si ad initium Maij lacte ovillo aliquoties exteriùs ungantur alvearia.

32. Ungventum pro alvearibus. Rec. Vinum, mulsum antiquum, radicem ursibrancæ, adde rutam aridam tritam, item salviam, saccharum, cinnamomum, piper longum, acetum, & tritum apium. Coquantur & in vitro Soli exponantur, ac sæpè agitentur.

33. Fucos mactare. Cum melle venenum muscarum apponatur.

34. Apes alienas quæ suis mel furantur opprime, claude tuàs in alveari, alveare autem exteriùs unge melle, venien-

tes alienæ insidebunt, & opprimi poterunt.

35. Signum propediem exituri examinis si Rex post occasum in alveari bombiset.

36. Si apis te pupugerit terram madidam affrica, melle unge locum ; vel, quod est melius, lava urinâ. Vel applica malvam contusam. Vel, stercus bovis cum aceto adaquato. Idem est de morsu vesparum.

37. Apes illum dicuntur non pungere qui aliquot folia plantaginis acutæ in ore detinet.

38. Cera dealbatur. Concide in particulas, & Soli expone, atque sæpiùs aquâ fontanâ purâ irriga.

39. Solent mel corrumpere farinam affundendo, sed fraus deprehenditur immisso veru candenti, si enim est in melle farina, adhæret verui instar massæ. Mel ex tiliis colligitur pridie S. Magdalenæ.

40. Ab alvearibus quernis cavendum. Novum debet ablui.

41 Mel falsificant farinâ millii vel castanearum, sed proditur, si accendatur non purè ardet.

SE-

SECTIO VI.
De Venatione, Aucupio, Piſcatione.

SUBSECTIO I.
De Venatione, & Feris.

CAPUT I.
De Reti & Sclopo.

1. Retia quæ fiunt pro Venatione, Piſcatione, Aucupio. Dum perflat inter ortum & meridiem. Vel quæ ſub hoc vento committuntur aquis non ita facilè putreſcunt. Fila ſint æqualia neque nimiùm torta: craſſiora dant rete ſtrictius. Æquales ſint annuli retium ne unus alio magis adductus det retis latitudinem inæqualem. Quinque orgias latum rete omni communiter profunditati aquarum ſufficit. In extremitatibus retium tres ſint aut quatuor ordines ex duplò craſſioribus funiculis quàm alii.

2. Sed pro feris minoribus fiant retia ex funibus craſſis calamo, qui tamen neque ſint nimis intorti, neque laxi, rete in latum habebit annulos tredecim, annuli longitu-

dine ſpitamæ. Unus vir ejuſmodi funium conficit uno veſpere libras quatuor. Pro majoribus feris funes craſſitiem æquant digiti minimi & ſolent ex tribus funiculis in ſimul contortis fieri. Annulos rete in latum habet 12. longitudo annuli minùs quàm tres ulnæ quadrantes: cùm alligantur, tertius annulus intermittitur.

3. Sclopus ſi globum demiſſiùs juſto jaciat, dioptram quæ eſt propior oculo habet altam; Si altiùs deferat, hæc dioptra eſt humilis: ſi ad latus, dioptra una in oppoſitum latus promovenda.

4. Retia & venabula ſint ſub unius cura, qui ea quando opus tradat, & recipiat, rerevideat, ſicces, atque ſervet. Hyeme fiant & inſtaurentur retia, quæ pro leporibus hyeme permittuntur ſubditis.

5. Canes ſiliquis ex braxatorio ſuſtentari poſſunt, dummodo ſiccentur, & terantur, addaturque pingvedo.

6. Venator provideat ne cogatur Dominus ferinam emere.

7. Pulvis pro ſclopo venatorio fiet. Salnitrum coquatur in lixivio facto ex cinere clavellato, ut ebulliat ſemel ac iterum, tum

in

in loco frigido ſervandum, at cùm opus pulveri pyrio communi addendum.

CAPUT II.
De Venatione.

1. Venatio fit manè æſtate, quia Sol adultior cum rore aufert veſtigia. Auſter huic operi inimicus, quia odorem feræ ſuæ diffundit humiditate & tepore: Boreas melior quia conſtringit & ſervat. Luna plena idem facit quod Auſter. Lepores ad Lunam ludunt, & veſtigia reddunt incerta.

2. Hyeme venantur ſub meridiem cùm via mollior. Ros & pruina odoratum canum impediunt: ver florum halitu confundit, æſtas odorem abolet, Autumnus conſervat.

3. Venenum pro lupo eſt. Rec. Duas nuces vomicas, contere, & miſce cum melle, & anſeris adipe, adde pulverem fungorum lupinorum ſiccatorum, creſcunt iſti ubi defalcatum eſt hordeum, ſunt cani. Fiat botulus ex pelle colli anſerini, & dictâ materia impleatur ac objiciatur.

4. Pro vulpibus idem venenum quod diximus pro lupis, ſolùmmodò fungi non ſunt addendi.

5. Ve-

5. Venatio non ſuccedit ab ultima die Lunæ ad primum ejus quadrantem. Quia tum feræ latitant defectu lucis.

6. Lupi mactantur ſi piſciculos marinos blemos in mortario contriveris ac in loco lupis obnoxio ſupra carbones poſueris, ac circa, maſſam eandem myxtam carni vervecinæ ſparſeris, fumus piſcium attrahit lupos, & tam ille quàm iſtæ carnes occidit.

7. Lupi & vulpes ad certum locum alliciuntur. Rec. Crabronum ſub finem Maii campos vaſtantium. Gallis dicuntur bennetons lib. 1. vivos contere & miſce cum axungiæ porci lib. 1. deinde per dies 15. Soli expone, poſtea parùm ebulliant & exprimantur per telam, addantur quinque vel ſex haleces in furno ſiccati & in pulverem redacti. tum aſſæ fœtidæ galbanique ſing. unc. duæ, & fiat ungventum quo ſoleæ calceorum linantur, ſequentur lupi & vulpes veſtigia.

7. Pro leporibus congregandis. Rec. Riſigallam, hermodactylos, ſemen jusquiami, contere, ſubige ſangvine leporis.

CA-

CAPUT III.

De Feris.

1. Lepus omni menſe parit, & antequam pariat, lac habet in uberibus. Fæminæ magis decipiunt canem, quia poſt quartum ſaltum declinant. Vivunt annis 7. alterius patriæ leporem non admittunt in ſuam. Dum capitur lepus pars ejus danda canibus, qui exceſſerunt annum, eorum caro dura: maris melior, idque montani. Fæmina habet longius ſed ſtrictum caput, aures magnas, loco ſemel pulſa non redit, mas redit. Vere laſcivit, & huc atque illuc diſcurrit. In locis glabris & in pulvere ſqualloreque odor cani imponit: In ſentibus durat & in gramine, quia iſtis non ſolos pedes lepus ſed & corpus affricat. Cùm unus lepus reperitur, non procul inde & alius erit.

2. Cuniculus pabuli gratiam refert in carne, aut vitium, locis expoſitis orienti gaudet, averſos à Sole vitat.

3. Cervi ſingulis annis in Aprili cornua deponunt quo tempore de die latent, noctu paſcuntur, Retia pro cervis diſponuntur vento ſecundo ne illa olfaciant, idque in autumno inſtituitur venatio. Pedis ferien-

rientis tantus est impetus, ut percussione frangat venabulum.

4. Vulpes in unum locum congregabuntur si felem excoriatam melle inunxeris & pulveribus herbæ raniculi consperſam exposueris. Aut potiùs per sylvas ad certum locum traxeris. Imò tua sequentur vestigia, adiposâ carne suis aſſatâ soleas unxeris, & particulas jecoris suilli sparseris. Schwent.

5. Vulpes & lupi mactantur, si herbam marcillum infixam carni suillæ aſsâris. Alii ponunt herbam thoram, alii consiliginem. Schwent. Alii aſſumunt botros vini expreſsos, arsenicum, & colocynthidem, omnia redacta in pulveres miscent & faciunt pilulas, has sparge in loco ubi vulpes discurrunt tracto priùs per illos cato aſſato.

6. Pro quacunque fera, cibo admisce tythimalum, ranunculum, aconitum, manicum, solanum. Hyosciamum, papaver cornicum, pharicon, taxum, thapsiam, toxicum, mandragoram, ephemarim sylvestrem, & alia.

7. Mustellæ accurrunt ad cor stellionis: lupi autem capite fugantur, imò & odore combuſtæ felis. Card. mactantur si salem

ſalem armoniacum farinâ miſcueris & illam comederint.

8. *Cervos capere.* Infige in aſſerem fruſta multa ſalis oblonga ubi cervi ſolent vagari (idque prope aquam) ut modicè emineant, ea lambent, tum alterâ die promove, ſub aſſere autem ſit argilla cruda quam nunquam aqua attigit eam ſale imbue contuſo, vorabunt eam cervi & ubi aquam ſuperbiberint, ita intumeſcent, ut ſe loco movere nequeant, durat hic tumor per tres horas, eos ſic collige.

9. *Lupos capere.* Cadaver ponatur prope aquam inſpiatur ſal creſsè in modum piſorum contuſus, quem ubi voraverint cum carnibus & biberint, idem fiet de illis quod proximè dictum de cervis.

SUBSECTIO II.

De Aucupio & Avibus.

1. Aves ut ad locum certum advolent, ita alliciuntur. Mellis pars in aqua ſolvitur & modicè coquitur, in hac granum madefactum ſpargitur, ſylveſtribus columbis ſparguntur piſa, & poſtquam loco aſveverunt, tum piſa quæ in forti cremato per noctem maduerint in

quo

quo tamen positum semen contusum hyosciami, objiciantur ante solis ortum, post horam ebriæ manu capi poterunt.

2. Anates sylvestres inebriantur sparsâ farinâ cum vini fece. Si avi in escis detur album veratrum, vel millium auripigmento mixtum, subitò moritur, sed caro inficitur.

3. Cervos putant fore albos si ova pingvedine felis ungantur. Sturnos verò si ova oleo olivarum illinantur. Aves nigræ fiunt quæ baccas Italicæ taxi comedunt scripsit Lonicer.

4. Cornix una capiet alteram, si humi resupina extendatur, advolantem enim ad se aliam retinebit unguibus.

5. Anseres sylvestres hoc modo ajunt posse manu càpi. Veratrum cum tota cicuta madeat in aqua horis 24. deinde aquæ huic pabulum anserum imponatur & coquatur donec aquam ebiberit. Ubi hoc pabulum comederint, non solùm Anseres, sed & aliæ aves obdormient. Si autem pabulum in sulfure coquatur quæ aves comederint subitò morientur. Sed ne moriantur, statim illis in os ol. olivarum infundendum.

6. Pro

6. Pro omni ave, accipe tormentillam & in bono vino coque, & poſtea in eodem hordeum, vel aliud granum, & ſparge ubi aves ſolent eſſe, manebunt ebriæ. Allium campeſtre avibus projectum illas inebriat.

7. Aves ſtatim moriuntur ſi guſtent millium arſenico coctum. Vel, ſi veratrum album cibo miſceatur, vel nux vomica, Veſpertiliones occidit ſuffitus hederæ. Manu capi poterunt, ſi ſemina allii angvini modicè decocta ne germinent, edenda ſpargantur. Vel cum nuce vomica cocta grana frumenti.

8. Aves inebriantur allio ſylveſtri, perdices farinâ vino demersâ, vel lappæ ſeminibus, vel fungis muclari concisi mixtis ſemini hyoſciami, Cornices pereunt nuce vomicâ carni mixtâ. Columbæ mactantur fabis maceratis in aqua in qua jacuit nigrum elleborum.

9. *Anates ſylveſtres* capere. Vel hordeum macera in cremato, & projice ut vorent & inebrientur, vel ipſe aquam ingredere, & capiti herbam quæ ſolet aquis innatare lata rotunda per modum galeri impone, & ſuperpone hordeum, & accede anates, ac

ſub aquam trahe quas voles, maſculos autem eligas, & ſic non terrebuntur aliæ.

SUBSECTIO III.

De Piſcatione & Piſcibus.

1. Piſces ut intrent retia, linienda ſunt oleo laterculorum. Apium aquis injectum piſces necat. Omnis piſcatio ſuccedit flante vento meridiano.

2. Angvillæ capiuntur, Fit funis craſſitie digiti ex cortice arboris factus, & per aquam extenditur duabus horis ante Solis occaſum, illi diverſis locis alligantur hami longo cubitum funiculo, hamis autem imponuntur parvæ percæ, vel gobii, vel piſciculi qui ſunt ad ripas ſtagnorum ſimiles muſtellæ fluviatili. Funis alligatur ligno natanti. Eodem modo & ipſæ muſtellæ, & percæ, & ſiluri capiuntur. Sed pro Luciis hami ſint in catenula, & imponantur illis alburni.

3. Piſces de flumine ſunt meliores, quàm de piſcina: peſſimi paluſtres, meliores ubi Aquilo aquam exagitat, quia vitia ſanat. Parùm vident noctu, cito naſcuntur & creſcunt. In bona aqua pariunt in Martio, Aprili, Majo.

4. Falco

4. Falco Italus ait, pisces frixos diutius servari, si eo momento quo è frixorio tolluntur, acri vini aceto perfundantur.

5. Cancri fluviatiles in antris riparum degunt, si tamen aqua caleat in antro, signum est ibi stabulari bufonem.

6. Ubi semel ductum est rete pro piscibus, ducatur iterum. Lapilli in capitibus piscium reperti auxiliantur contra calculum. Tincam in longum scissam apponunt plantis febrientium.

7. Trotta neque recludi neque alio transferri patitur.

8. Gluten quod resistit aquis, hoc est. Rec. Calcem vivam, pingvedinem porci, vel resinam, albumina ovorum, oleum oliv. limaturam ferri, misce.

9. Pisces ut congreges. Rec. Pulegium, Satureiam, origanum, majoranam, sing. drachmas tres, corticem thuris, myrrhæ, sing. dr. 8. polentæ libram dimidiam cum bono vino, jecur porci assi, adipis capræ, sing. lib. 1. arenæ subtilis, allii lib. 1. misceantur, & duabus vel tribus horis ante piscationem injiciantur in aquam, cum locus reti circumdetur, & rete implebitur.

10. Allicere pisces. Rec. Pingvedinem

ovis, ſeſamum, combuſtum, vinum bonum, origanum, thymum, majoranam ſiccam, & cum pane vel polenta tritis ſubigantur, fiantque pilulæ. Vel Rec. Calcis vivæ, vini, caſei ovilli veteris, vel ſevi hircini, miſce & in aquam projice. Vel, Rec. Limaces abjecto cortice, concide, & injice. Vel carnem vituli cum ſangvine per 12. dies in olla relinque, hæc dabit paſtum pro piſcibus.

11. Teſtudines capies. Rec. Salis ammoniaci dr. 8. ceparum dr. 8. pingvedinis vituli dr. 6. Fac pilulas, accurret teſtudo.

12. Salmones venaberis. Rec. Dum galli fiunt capones ejus quod excinditur dr. 8 nucum pinearum uſtarum dr. 16. minutatim terantur, & in aquam injiciantur, concurrent ſalmones. Vel, Rec. Rutæ ſylveſtris dr. 8. tantundem pingvedinis vituli & ſeſami, conterantur & fiant pilulæ.

13. Rete implebunt piſces ſi illi impoſueris linteolum impletum ſangvine hirci, jecore bovis conciſo, & farinâ hordei, & rete expanſum in aqua reliqueris. Vel crematum in vitro clauſo & cerâ obducto, reti impone. Vel laguncula pellucidam cum argento vivo. Anguillæ naſſam intrabunt ſi in ea fuerint canabis maturæ culmi.

14. Intra-

14. Intrabunt maſſam piſces, ſi in ea fuerint pulveres ex capite, ſtomacho, viſceribus pedibus, ardeæ ſiccatæ.

15. Piſces in unum locum conveniunt in quo merſa fuerit herba blattaria ſive Erechtites quæ priùs in melle per 24. horas jacuit, poſtea ſiccata ad Solem.

16. Dicitur piſces venturos ad manum ſi eam pingvedine ardeæ unxeris. Idem dicitur & de pingvedine anſeris maſculi. Vel ſi te iſto ungvento inunxeris. Rec. Camphoram, farinam tritici, ardeæ pingvedinem, oleum oliv. ſing. æqu.

17. Cancros capies. Piſa recentia cum ſuo ſtramine aquis impone. Vel anethum in maſſam pone. Jecori hircino etiam cancri adhærent. Vel viſcera piſcium frixa cum melle clauſa in linteolo maſſæ impone. Vel ranam excoriatam, vel carnis bubulæ fruſtum in veru conſtitue, adhærebunt cancri: veru cautè eleva ſuppoſito reticulo. dum tonat facilè capiuntur.

18. Si ex pane mixto cum cyclamine globulos in aquam ſparſeris, piſces ut mortui ſupernatabunt.

19. Piſces obſtupeſcunt ſi pabulo eorum pulvis ariſtolochiæ rotundæ miſceatur. Cibo

bo odorato alliciuntur: ut aniso, panacis succo, & maximè cumino. Sapit illis sangvis suillus, caseus caprinus, panis triticeus, papiliones fulvi: fex vini illos inebriat & aqua ardens. Attonitos reddit flos calohæ seu calendulæ, vel ipsamet calx, tythimali cujusque succus, nux vomica. Pastilli optimi ad stupefaciendum pisces. Rec. Cocculi quartam partem unciæ, cumini & cremati sextantem, farinæ uncias tres, & fac pilulas. Cyclaminum summè appetunt, ejus ergo radix contusa, commixta calci si spargatur, venenum erit piscium.

20. Semen Aristolochiæ rotundæ per aquam sparsum si vel attigerit piscis, quasi mortuus statim inversus supra aquam natat. Simile quid præstat & ipsa herba cæmento mixtâ. Ad manum autem pisces venient, si urticas cum pentaphyllo contriveris & succo sempervivæ subegeris atque ita manum unxeris, imò ad retia current istis perunctа. Inescantur pisces. Rec. sangvinem capræ nigræ, feces vini odorati, pulices, misce, adde pulmones capræ minutim concisos, & aquæ injice.

21. Valeriana reti imposita, odore pisces trahit ad rete. Vel ungantur retia succis urti-

urticæ, millefolii, ſempervivi. Vel, Rec. pingvedinis ex ardelio ave lib. 2. Camphoræ unc. 1. mannæ unc. 2. Sem. Olei de lateribus q. s. Moſchi gr. 2. miſce. Ad hanc mixturam cuicunque rei illitam piſces current. Vel ſangvinem vituli cum ejusdem carnibus conciſis miſce, & per dies decem in olla ſerva, tandem ſparge, vel lentem cum amylo tritam projice in aquas.

22. Naſſes intrabunt, ſi illo quod ab expreſſa myrobolano ſupereſt trito, item ſtercus humanum, panis miſceantur. Sed ſi recte fuerit conſperſum ſale, nullus piſcis intrabit.

SECTIO VII.
De Horto.

Agetur 1. De loco horti. 2. De ſeminatione horti. 3. De plantis comeſtibilibus. 4. De plantis odoratis. 5. De rerum ex horto collectione, & conſervatione. 6. De aquarum ex herbis diſtillatione. 7. De vinea.

SUBSECTIO I.
De loco horti.

1. Non poteſt eſſe unus hortus pro omni-

 bus,

bus, nam quædam aprico, quædam umbrâ gaudent: item quædam humido, quædam arido. Non ſit tamen hortus loco pulverulento, prope habeat aquas ut aſpergi poſſit, aquæ poſſunt pluviales in ciſternas colligi, quæ ſuo tempore aſperſioni ſervient.

2. Si locus eſt humidus foſſæ ducantur quæ exhauriant: ſi ſiccus, profunda fiat foſſio & fimus humidus invehatur: ſi arenoſus, fimus ſtramini & argillæ mixtus inſpergatur.

3. Hortus debet habere cellarium in quod hyeme debiliores plantæ reponantur.

4. Hortorum terra ut reparetur, uno anno ſerantur cannabes, aut braſſica ſupra fimum recentem, reliquis annis hoc loco bene prodibunt olera alia.

5. Stercoratur ager pro caulibus, petroſelino, ſiſere, ſiſere luteo, Rapis, paſtinaca, cucumeribus, betis, raphano, allio, cucurbitis. In quo loco fuerunt braſſicæ benè dein ſuccedunt ſiſeres lutei, ſeruntur autem inpiciendo à ſolutione terræ poſt hyemem usque ad Pentecoſten. Cæpæ gaudent terrâ lætatâ fimo ſuillo cum paleis canabum, vel conſperſâ putridis ſarmentis lignorum.

6. nulla

6. Nulla planta ex loco pingviore in steriliorem transferatur, quia peribit: ſed è contra faciendum.

7. Olera ut citiùs in olla coquantur ager nigrâ terrâ reſpergendus, vel ſi hoc non factum, aliquid de ſynapi ollæ injiciendum.

8. Aggeribus hortus non eſt circumducendus niſi ſit in loco paluſtri quia multum humoris abſumunt foſſæ. Fænile, ſtabula, horreum, procul ſint ab horto ne paleæ involent, quæ ſunt peſtis horti, nam folia perforant.

9. Omnis fimus minùs quàm triennis nutrit vermes. Cinis hortis humidis inſpergendus Lunâ decreſcente & ſiccâ, & flante vento occidentali.

SUBSECTIO II.

De Horti ſeminatione.

1. Seritur in Martio, Aprili, Majo, Braſſica, radicula, rapum, & poſt hæc, beta, lactuca, rumex, ſinapi, coriandrum, naſturtium, Initiò Octob. in calidis partibus, porrum, apium gythium, atriplex. Sed hortenſia ferè omnia ante Solſtitium. Ruta ex ſemine tardisſimè prodit, meliùs per ſurculos pangitur.

 2. Celer-

2. Celerrime de terra prorumpunt, ocymum, blitum, napus, eruca, nam tertio die: Lactuca quarto. Cucumis & cucurbita quinto. Postulaca seriùs. Anethum quarto, nasturtium, & sinapi quinto. Beta calido tempore sexto, frigido 10. vel 12. Porrum etiam 19. aut 20. origanum expletis 30. apium post 40.

3. Seminandum est Luna super terram existente. Allium Lunâ decrescente. Pisa post Lunam novam, cepæ circa plenilunium. Phaseoli decrescente. Fabæ item. Lactuca item. Porri Lunâ novâ. Petroselinum pro radicibus Lunâ vetere, pro foliis Lunâ novâ. Pastinaca vetere & u Raphanus.

4. Rosmarinus seritr inter Pascha & S. Joannem post Novilunium, idem de garyophillis & cupresso. Violæ flavæ statim post hyemem seruntur, transplantantur circa Pentecosten. Semen neque sit ex primo neque ex ultimo flore. Garyophilli sub plenilunio sati evadunt pleniores & singulis annis sub eodem transplantantur. Lactuca seritur circa plenilunium. Cichorea in plenilunio transplantatur. Tulipæ, vere & initio hyemis seruntur. Lavendula pridie S. Martini. Majorana in plenilunio Martii.

Me-

Melones à Paschate post quatuor septimanas, sed in Novilunio, & tertio quovis die rigantur sicco cælo. Spinacæ unâ vel altera septimana post S. Michaëlem. Cypressus si in horto pro hyeme manserit, fimo equino tegitur, seritur autem in Novilunio Novemb. effossa humo, & alia ingestâ & fimo addito autumnali. Si in humido serēda, id fiat in Martio & loco moveri non debet.

5. Brassica sata in Vigilia B. V. Assumptæ & plantata pridie S. Michaëlis, habetur post festum SS. Trinitatis. Insita in Augusto & plantata in Septembre vel Octobre, per hyemem bene custodita, in Quadragesima circa Pascha profert capita. Seminata die Corporis Christi, vel Rogationum, non succedit. Brassica Italica seminatur in pervigilio S. Jacobi, hyeme in cellario servatur. Portulaca & nasturcium seruntur in plenilunio. Cucurbitæ in terra pingvi in fine Aprilis. Duo semina aut tria simul profunditate trium digitorum defodiuntur, ita ut acutior extremitas sursum spectet. Sed priùs per noctem in aqua madeant, & seminata fimo foveantur. Cucumeres eodem modo seruntur, sed postquam

exorti

exorti fuerint non rigentur, & semina priùs in lacte, vel melle cocto detineantur.

6. Cynaræ, aliæ sunt Bononienses, rubræ & hæ meliores; aliæ virides Neapolitanæ. In Martio ante plenilunium in aqua per diem macerentur, & postea siccentur, tum in ejusdem mensis plenilunio inserantur, idque terræ intra vas repositæ, ita ut extremitates tenuiores deorsum spectent, tum verò humus tabulâ modicè comprimatur, & vas fornaci bene calefactæ admoveatur. Non profundiùs quàm ad duos in terram digitos depangantur. Modicè quotidie rigentur ne terra sit arida. Cùm prodeunt, terram elevant quæ decutiatur. Tum vas in hyppocausto ad fenestras transferatur, sitque in calore mediocri. Cùm exortæ fuerint cynaræ cortices extrusi seminum de terra cautè sine læsione auferantur: possunt etiam Soli exponi cùm non est asper ventus. Tandem in hortum transplantentur. 25. April. die calido: distet unus ab alio tres ulnæ quadrantes. Postquam cynaræ sunt collectæ maturæ, prodeunt aliæ de caule eorum. Caulis amputetur ut solùm spitamâ supra terram emineat, deinde cum sua terra in vas transfertur

fertur ac in loco debito una radix prope aliam defodiatur, ac mediocri gelui relinquatur, poſtea fimo equino inſpergatur, ac terrâ obruatur, tum ubi æſtas redierit transplantentur. Si plures ſurculos emiſit caulis, in longum ſcindatur cum radice, cavendo ne ſurculus lædatur, & quælibet pars ſeorſim plantetur, & ſic cynaræ multiplicabuntur.

7. Ceparum ſemina priusquam ſerantur, linteolo involuto madeant in aqua donec incipiant conglutinari, ſed aqua in dies mutanda: tum ſerantur laxè & terra copioſè injiciatur, ſed non comprimatur, neque tegatur. Prodeſt interſerere petroſelinum, quia & hæc, & illud creſcet majus, & à Sole defendet, prodeſt & ad latera plantare betas quia munient à ſiccitate, ſed ſi id factum humidâ æſtate, ſuffocant, & ne ſuffocent, folia de betis tollenda.

8. Beta ſeritur decreſcente Lunâ: item paſtinaca, ſed hujus ſemen prius in aqua triduò madeat. Rapæ in plenilunio, ſed ut ſint dulciores madeat ſemen in aqua mulſa. Braſſica circa 5. Apr. ſeritur, & in cellario ſervatur, tum ubi terra incaluit, plantatur.

9. Aliqui pro ſatione betæ obſervan-

tem-

tempus quo alni folia incipiunt aperiri. Cepas verò seminant ultimâ Lunæ Vespere, & postridie mane excolunt. Semen Brassicæ comittũt terræ circa Festum S. Georgii, vel in sancta hebdomada, & stramine tegunt ne gelu noceat: post pluviam circa festum SS. Trinitatis trasplantant, ac ubi excrevit, circumfodiunt.

10. Cucumeres, melones, Cauloflores, caulorapi, cucurbitæ, lactucæ, seleres, cauloseleres, seruntur, cùm nõ ampliùs metus est à frigore, servantur autem priùs in hypocausto intra vasa, tum transplantantur.

11. Videnda hic quæ dicta sunt Sect. 2. subsect. 4. cap. 1. Nam multa eorum huc etiam spectant.

12. Caules amant terram pingvem, laboratam, & quô rariores, meliores, & ubi illi sunt, nihil sit aliud.

13. Negat Porta posse nasci flores diversos ex eâdem radice per seminum commixtionem, sed oportere radices diversorum dividi & in unam jungi. Negat varulam. Medicas arbores reddi per infusionem in illas medicinas. Alii contrarium asserunt, nos relinquimus cujusque experientiæ.

SUB-

SUBSECTIO III.

Reliqua de Horto.

1. Horti ſint modicè declives, ut nimia pluvia posſit defluere. Longitudo ortum & occaſum reſpiciat, ut aliqua pars circa ortum & occaſum Soli pateat, neque totus inumbretur à ſegetibus. Sepes ſint è ſpinis vivis.

2. Fimus recens bona ſemina exurit, malas plantas parturit, melior annuus, optimus triennis. Lunâ decreſcente ſpargatur: nec in eo ſerendum, priuſquam computruerit.

3. Cùm planta debet transferri cum terra ſua immota cochleâ excindatur. Priùs autem in charta pro horto Italico delineatur ordo areolarum quàm in terra, advertendo ne ſint minutæ, conſiderando ſimul in quo loco quis flos pangendus, & qui calido, pingvi, humido, Auſtrato &c. eget. neque ſerendi ſimul flores quorum radices ægrè diſcernuntur, quia diſcerni non poterunt. Quæ plantæ majorem habent florem quàm radicem, meliùs proveniunt ſi ſeorſim ſerantur. Advertunt etiam ut calores florum in areolis aliquam figuram exprimant.

4. Ante

4. Ante Kalendas Octobr. ſerere non expedit. Intra occaſum Vergiliarum, ortum & occaſum Coronæ, ſata feliciùs proveniunt. Luna ne ſit decreſcens niſi dum quæ ob bulbos & radices ſeruntur. Inter ſigna in quibus eſt Luna, bona ſunt, Piſces, Aries, Taurus, Virgo, Libra, ſola ultima pars Geminorum infelix, cætera indifferentia. Sed Mars ſit ſupra terram, Jupiter & venus ſuprà cum bono aſpectu Lunæ, Stellæ etiam de Natura Saturni vitentur.

5. Infra radices ſit mollis terra. Muſcus ex arbore floribus injectus tam contra frigus quàm æſtum defendit dum ad ſpitamam injiciatur. Aſperſio fiat non infuſio aquæ. Neque dum incipit congelari terra aperienda, ne frigus ſubintret. Aqua ex profundis puteis inutilis eſt, quia à Sole indigeſta, quare priùs cælo exponenda quam ſpargatur: optima eſt pluvialis in ciſternis ſervata, aut è torrentibus; ſtagnans, inepta eſt.

6. Si flos langveat, inſpiciatur radix, & pars læſa abſcindatur, reliquum curetur cerâ ac reſinâ. Langvet autem flos ſi lateat ſub eo ferrum, corium, hinc fiunt folia mucoſa.

7. Flos manu non tangatur, neque effodiatur

diatur cum terra madet. Cavendum ne cati aut canes per hortum diſcurrant.

8. Talpam effoſſione aſſequi difficile. Sed capta una (ut alibi etiam dicimus) imponatur in ollam profundam cujus ollæ defoſſæ os ſit æquale cum terra, hæc cæteras in ollam advocabit, præſertim in vere, vel flantibus ventis, quia tunc fodiunt. Sorices fugient ſi unus caſtratus dimittatur. Lumbricos, vivâ calce aſpergendo locum & perfundendo, perdes. Vel cannabum ſeminis ac foliorum decocto.

9. Bulbi dum è longinquo vehuntur muſco arborum involvendi, & ſic intra ceratam telam inſuendi & claudendi ciſtâ quæ non perpluat: ſi per dimidium aruerint, ſicci cortices ſuo tempore ad vivum detrahantur.

10. Flores dum peregrè mittuntur non jaceant in ciſtula, ſed vel in faſciculos colligati pendeant, vel lateribus ciſtæ infigantur, & aridis foliis caudices ſint involuti. Poſſunt diu ſervari in arena, ſed illa priùs eluatur ad puram aquam & ſiccetur: tum flos ſuſpenſus in olla fictili circumfundatur arenâ, ſed Tulipis antequam hoc modo ſepeliantur præcidendum caput triangulare,

 ſicca-

ſiccabuntur quidem, ſed omnem retinebunt colorem. Servantur etiam flores tincti aquâ chryſulcâ.

11. Plantæ lætiores ſunt quæ cinere ſui generis plantarum aſperguntur. Flores ſolitò majores, ſi in una planta cæteris avulſis unicus flos relinquatur. Vel eum unâ cum planta in ipſo plenilunio in alium locum transfer. Vel aliquot ſemina cerâ concluде, & ſere ut unam plantam producant. Criſpi erunt flores ſi modicè ſemina tundantur, & inter ilia cylindri lignei imponantur. Semina quæ è medio floris ſumuntur meliores flores producũt, quàm quæ è fine.

12. Terra horto utilis non eſt ſpeciali arte præparanda, non ſit tamen nimis pingvis, quia plantæ non in flores ſed folia abirent. Neq; ſit nimis rara: ſit tamen mollis ut radices penetrent, ſit humida tale ſolum eſt nigrum molle ac leve ſi areſcat, aquâ diductum eſt modicè glutinoſum, guſtu ſubdulce ſi percoles per illud aquam eamque delibes, odoris eſt boni. Probatur hoc modo bona terra. Scrobem effode, & in eandem terram egeſtam repone: Si ſcrobem ſuperat, terra pingvis eſt & aëre turget: ſi non implet, macra: ſi æquatur, mediocris.

cris. Item, si plantæ in ea crescunt exiles, macra est: si virides & multùm foliosæ, pingvis. Item si facile solvitur in limum, pingvis: si plus aquæ in ea manet quàm limi, sterilis: glutinosa & argillosa maximè floribus inimica: rimosa radices Soli prodit. Illa bona quàm recens effossam volucres rostris scalpunt, quia pingvis & vermibus abundat.

13. Colores pro tingendis floribus ut eos recipiant modis quos infrà ponimus, sunt hi. Color niger fit ex alni fructu siccato & pulverisato. Viridis ex rutæ succo. Cyaneus ex cyani flore passim obvio in tritico, si exsiccetur & pulverisetur. Pro flavo crocus, & crines florum aliorum. Pro rubro lignum Brasilum, pro viridi smaragdino spinæ cervinæ decoquantur baccæ, & decocto flos rigetur. Pro aureo ejusdem baccas immaturas decoque. Pro nigro ab aliquibus gallæ cum chalcanto decoquuntur. Discolor erit flos si jam hoc, jam illo colore rigetur. Mixti coloris erit flos, si varia semina in ovis pilula dum seruntur ut concrescant includantur. Usus colorum specialis hic est. Misce ovillum fimum cum aceto, adde salis aliquid, & coloris tertiam

partem, in hac massa immerge. Vel, accipe optimam terram & exsicca atque in pulveres reduc, & in vas collige, in eaque planta radicem alborum florum, & nullâ aliâ aquâ riga quàm coloratâ. Sed tandem redit flori suus color naturalis. Odorati flores eodem modo redduntur ac colorati. Rosæ verò ut magis oleant, rosis aliis earum radices obruuntur, & terrâ.

14. Possunt ex floribus variæ figuræ exhiberi in pavimentis: imò in parietibus unctis bitumine. Ut flores sint citi, sunt in calore servandi & aqua calidâ irrigandi: ut tardiores, transplantentur.

15. Canis in horto excubitor melior niger quàm alterius coloris, quia de nocte non apparet, ideòque magis terret, de die etiam magis terret: sed ut ferocior sit, per diem sit in catena.

16. Vermes si in vase in quo sunt flores enascantur. Vas sensim immergatur frigidæ, & vermes enecandi sursum egredientur.

17. Semina duriora ut faciliùs germinent, in aqua in qua solutum est nitrum, minùs quàm horis 12. macerentur. Vel cortex à tergo in adversa parte oculi dissecetur.

18. In

18. In frigidis partibus fimus terræ ſuppo-natur ut eam calefaciat.

19. Rubetæ & ſerpentes hederam ac ſalviam amant, fugantur odore uſti galbani, cervi, aut capræ cornu, capræ ungulis aut pilis, junipero, radice lilii, ſtirace, naſturtio, corio vetere calceorum, rutâ: uſtis tribulo herbâ ſi ex aqua trita cavernis affundatur.

20. Herbæ ne in ſemitis hortorum naſcantur veterum ruderum cribratos pulveres inſperge, aut glareis permixtam arenam foſſilem, aut macram terram qualis ex alto effoditur, aut calcis particulas quando viva extingvitur quæ remanent globuloſæ, vel teſtas contuſas aut calce ſubactas, ſed hoc ultimum à gelu diſſilit.

SUBSECTIO IV.

De Plantis comeſtibilibus.

Agetur 1. de Fabis Faſeolis. 2. &c. &c.

CAPUT I.

De Fabis, Faſeolis & Braſſica.

1. Omnes Fabæ volunt terram pingvem, humilẽ, citiùs coquuntur albæ quàm nigræ: coqui non poſſunt quæ in macro ſolo pro-

dièrunt. Valdè se propagans ideò pauco egent semine. Sunt fæcundiores si transplantentur, folia earum impingvant hortum. Non tangendæ quando florent, quod idem de aliis herbis, comestæ obtundunt hominis mentem, & gallinas reddunt steriles, præcipuè nigræ. Ut serventur, jaceant priùs in cumulo per diem, tum in aqua bene salsa, vel bene calidâ per dimidium horæ. Aliæ sunt quæ pro hyeme seminantur, aliæ vernæ. Mutat faba colorem, & ex candida fit nigra. Exesa crescente Lunâ repletur: pertusa ac corrosa idonea est sationi.

2. Faseoli volunt terram optimè elaboratam & pingvem, seminantur cælo sicco & aperto: terram suis foliis & radicibus impingvant, esus illarum humores crassos generat.

3. Brassica loco salso gaudet. Cinerem illi si asperseris, non admittet erucas. Cùm langvet, vermis est circa radicem, & hic perdendus: cùm flavescit, eget aquâ. Omnia verò infirma folia sunt amovenda, ne inficiantur alia. Ut brassica sit melior omnia folia quæ prima protrusit, sunt avellenda, succrescent meliora. Ut securior sit à pruina humus cinere conspergenda, aut aquâ salsâ

ſic & ipſa braſſica fiet melior, non plantanda prope vites, nec prope origanum, rutam, rapum porcinum, prodiret enim non bene. Nec toleretur in horto una ſtirps putrida, quia alias inficit, imo nec aqua in qua braſſicæ coctæ, aut quæcunque herbæ, Erucæ dum invaluerint, nidi formicarum inſpergantur, formicæ pellent âut devorabunt erucas. Ne vero invaleſcant, dum plantatur, hunc inde ſorbi arboris rami defigantur.

4. Semina matura collecta, ſiccata ad Solem durant annis 6. ſi bene cuſtodiantur.

5. Fabarum bina & bina ſeruntur ſemina, diſtant à ſe una ſpitamâ, bis ad minimum debent circumfodi. Semina durant annis quatuor.

6. Braſſica inter vinum ſata, vilius facit vinum. Inter braſſicam, ſata ciclaminus aut origanum, viliorem facit braſſicam. Aqua infuſa in qua nitrum ſolutum, meliorem.

CAPUT II.

De Beta, Apio, Synapi, Raphano, Lactuca.

1. Betæ & Apii meliùs proveniunt, item naſturtii antiquo ſemina. Hoc ipſum eſt in canila, origano, coriandro, cùm in aliis no-

va ſint feliciora. Betæ ſemina non omnia eodem anno pullulant; aliqua altero, aliqua tertio.

2. Quo ſemel loco ſynapi ſatum vix ab eo locus poteſt ſe expedire. Raphani ut dulciores ſint ſalsâ rigandi: minùs movent ructum ſi cum olivis diſruptis edantur, ſemper autem conſumunt dentes.

3 Beta non niſi tertio anno perfectum ſemen habet & pro ſeminatione utile. Ut betæ ſint grandes, radices illinantur pingvedine recenti bubulâ, & tegantur deſuper lapide plano. Ut verò ſint rubræ, irrigandæ fæce vini rubri, vel ſint in magno Solis calore.

4. Raphani non ſerantur prope vites quia ſunt inimicæ. Tenuiores fiunt ſi irrigentur aquâ ſalsâ. Synapi ſemen quantò recentius, meliùs. Ubi ſemel ſeminatum valdè ſe propagat. Optimum eſt quod intus fractum, nec album, ſed viride: album enim vetus, & exoletum. Planta ſeminaria non transplantentur, quæ in cibum aſſumenda transferatur.

5. Betæ ſeri poteſt & in vere, & in æſtate, & in Autumno, transplantatur cum 5. aut 6. folia habet, poſtea circumfoditur. Si concuſſa ſit grandine vel aruerit, prope terram

ram abſcindatur. Semen ſervari poteſt quatuor annis.

6. Lactucam æſtate opus alternis aut tertiâ die irrigare. Cùm jam habet 4. aut 5. folia tranſplantetur, pede diſtet una ab altera, & adaquetur. Criſpa ut ſit alba vertex ligandus biduò antequam evellatur. Non criſpa ſtatim liganda atque ſatis crevit. Semen colligitur bene maturum & ſiccatur ad Solem & valet per tres annos.

7. Raphanus amat terram pingvem bene commotam & ſæpiùs, & volunt raphani circumfodi, & poſtquam facti ſunt majuſculi, tolluntur illis folia prima, & terra cooperiuntur. Quantò folia ſunt molliora tantò raphanus melior, ſemen colligitur maturum, ſiccatur in Sole, ſervatur in loco ſicco, & durat duos annos. Locum humidum petit. Dulcis fit, ſi ſemen in mulſo jacuerit. Major, ſi detrahantur folia uno medio relicto, ac terra operiatur. Vel antequam ſeratur, terra ad aliquot digitos paleis operiatur. Ne pulices illi noceant eruum interſere. Odit vitem, ſalem reſolvit, ebur purgat.

8. Ne braſſicam infeſtent vermes, ſemen in ſalſæ braſſicæ juſculo maceretur.

CAPUT III.

De Cepis, porris, allio.

1. Cepæ fient multò majores si fossa, in qua servandæ sunt, priùs ante dies 20. aperiatur, & siccetur. Cepas decorticatas sinunt coci aliquot horis macerari in aqua ut sic deponant acrimoniam. Colliguntur cepæ deficiente Luna sereno & sicco tempore, quando jam folia incipiunt arescere, & semen nigrescere. Si serantur dum Luna est sub terra, sunt acriores sed minores, amant terram rubram. Ut fiant majores antequam plantentur diebus 20. denudentur earum capita, & vertices amputentur, & terra effodiatur ut penitùs exsiccetur. Ut serventur diu, aquâ calida perfundantur, tum siccentur, & supra stramen hordei disponantur ita ne una contingat aliam.

2. Porrum nonnisi quarta die post seminationem irroretur. Ut sit majus, plura semina uno linteolo detrito involuta serantur.

3. Allium resolvatur in denticulos, & quisque ex illis humo seorsim committatur, cavendum ne aquam habeant. Quando jam tria folia emisit oportet sæpiùs cir-

circumfodere, quia pulchrius prodibit, & dabit ſemen majus. Ut autem naſcatur majus, quando è terra incipit conſurgere, calcetur. Ut dulce naſcatur, per circum ſerantur nuces olivarum, ſervatur in fumo camini, vel in ſalſa aqua, colligitur tempore ſicco & ſereno. Allii eſu in majo recenti butyro toto anno ſe futuros ſanos arbitrantur ruſtici in Gallia. Idem pueris exhibent ad necanda ventris animalia. Reſtingvi dicunt ejus comeſti odorem, ſi liberaliter ſuperedatur apium.

4. Cepæ diu ſervantur, ſi evulſæ in loco calido detineantur ut aliquantulùm areſcant, poſtea dolio immiſcendo cinerem imponantur ac claudantur.

5. Cepæ volunt in horto crebrò purgari & terram circa ſe moveri. Cùm transplantantur (quod faciendum quando ſunt nimis denſæ) truncentur per medium folia & radices. Ad unum digitum ſub terra profunde plantantur. Purgari debent circũ herbæ inutiles. Colliguntur cum folia frangunt ſeſe. Meliores pro ſemine, quod dabunt anno ſequenti, plantantur in Auguſto, & opus illis dare ſuſtentacula. Si relinquatur

ſemina

femina in fuis nidis durant annis tribus, aliàs folùm uno, colliguntur matura.

6. Porrum vult esse in Sole. In terra stercorata, distet unum ab alio digitis duobus.

7. Allium postquam tria folia emisit circumfodiendum, sed non supponatur nec superponatur fimus, quia generat vermes qui allium devorant.

8. Porrum magnum erit, si veteri linteolo plura simul involvantur semina, & in terram missa stercorentur, atque rigentur. Vel, si in porri caput sine ferro imposueris semen rapi vel cucurbitæ, post sationem debet conculcari, ac tandem quartâ die rigari. Inter seredum, arena terræ misceatur. Ne verò comestum malè oleat, semen cumini præsumatur.

9. Allium ut crescat majus, postquam folia emisit, ea reflexa in terram pangantur. Ne fæteant comesta, superedatur cruda faba, vel radix betæ in prunis tosta, vel apium viride.

10. Cepis dum feruntur satureia misceatur. Crescente Lunâ satæ, sunt acriores sicut & rufæ ac oblongæ. Majores erunt si in terra ante 20. dies laborata serantur, vel detractis

detractis tunicis. Contra ordinem Lunæ augetur & decreſcit cepa.

11. Cepa etiam fit grandior, ſi poſtquam aliquomodo crevit, eradicetur, & per dies 20. Soli exponatur, & rurſus plantetur.

CAPUT IV.

De Fungis, Fragis, Bulbis, Naſturcio, Spinachio, Endivia.

1. Fungi adnati arboribus ſunt lethiferi. & quivis fungus vertitur in venenum ſi afflaverit eum ſerpens, vel ſi creverit ſupra pannum putridum, aut ſupra panni rubiginem. Saliuntur, priùs optimè mundati & loti, ac modicè cocti, tum ſiccati bene ac refrigerati poſitique æſtate in loco frigido; hyeme autem ſervantur in loco ſicco, debetque juſculum ſalſum illis ſupernatare.

2. Fraga è ſylvis ſumpta plantantur in horto, ſed tantùm annis tribus durant, ideoque nova plantanda.

3. Bulbi ſi ſerantur, non latè proveniunt. Ante biennium, meliùs illos in particulas conciſos terræ mandari, ſed in hunc uſum oportet effodi priuſquam efflorеſcant. Si in illis folia incipiunt infernè areſcere, ſignum

gnum eſt maturitatis : ut majores ſint circumponantur radicibus laterculi.

4. Naſturcium quod habet meliora folia eſt minùs.

5. Fraga ſub umbra arborum plantanda: venenum non recipiunt etſi illa ſerpens aut aliud venenatum tranſierit.

6. Spinachium ſeri poteſt in Sept. & initio Veris, ſed priùs ſemen detineatur in aqua donec germinare incipiat, poſtea miſceatur cum terra ſicca. Opus temporibus gelidis ſtramine cooperire. Omnem terram admittunt, dum ſit bene culta & humida aliquantum. non tolerant circumfodi, ſed mundari, & tonderi volunt, ſemen maturum colligitur, & durat annis duobus.

7. Endivia ſeritur per totum Aprilem & Junium vult terram mediocriter pingvem & cultam, transplantata melior. Poſtquam ad medium crevit transfertur in terram pingvem. Ligatur deinde ut ſit alba. Semen maturum colligitur, in Sole ſiccatur, & durat tres annos.

8. Fungi naſcuntur ubi ſalix putris defoſſa.

9. Fraga præcocia erunt, ſi quovis triduò rigentur aqua mixta ſuilla aut columbarum

barum ſtercori. Melius autem proveniunt inter boragines ſata & ſub earum umbra, & ſemper debent relinqui herbæ quæ illis umbram faciant.

10. Fungi ut ex albi aut nigræ populi cortice minutim conciſo creſcant, aſpergantur fermento panis cum aqua mixto in terra bene ſtercorata.

CAPUT V.

De Peponibus, Melonibus, Cucurbitis, Cucumeribus, Boragine, Napis.

1. Pepones comeſti, à ventriculo ſi non ſuperentur, morbum choleram adducunt. Qui intùs madent, nullius ſunt valoris. Meliora ſunt ſemina quæ intra melonem conſervantur ad maturitatem. Melones appetuntur à felibus. Pepones longiores ſunt melonibus. Pars hujus aut melonis carni impoſita dum coquitur, facit illam citiùs elixari.

2. Cucumeres, Melones, Pepones, ut naſcantur absque ſemine, item cucurbitæ: Semen eorum in oleo ſeſami triduo maceretur ante ſationem. Ut ſint ſolitò majores, dum creſcunt in aquam immittantur, vel in vaſe ſerantur quod ſemper exponetur ſoli, ac frigori ſubtrahetur, &

ponatur. Soli ac frigori ſubtrahetur, & dum incipiunt creſcere abrumpantur illis capita. Ne verò illis noceant vermes, in circum ſeminetur origanum, vel ejus rami depangantur. Ne ſint aquoſi supponenda palea terræ in qua ſeruntur, & modiciſſimè adaquentur. Ut ſint purgativi in ſingulas dies quinque perfundantur quinquies aquâ in quâ depoſitus fuit cucumer Sylveſter per triduum. Vel ſemen illorum per triduum ponatur in infuſione ſcammoneæ. Ut ſint odorati, ſemen ponatur in aqua roſacea, & circùm plantentur roſæ. Ut ſint dulces, deponatur ſemen in aqua ſaccarata, vel melle, aut lacte. Ut diu ſerventur, adaquentur ſucco ſempervivæ. Menſtruata ſi cucumeres, pepones, melones acceſſerit: occidit, aut facit amaros. Ut recentes diu permaneant, ponuntur in fece vini, vel in aqua ſalita, vel intra vas appendantur intra quod ſit aliquid aceti.

3. Cucurbitarum ſemina priusquam ſerantur ſint in aqua per noctem, quæ ſupernatabunt ut ſterilia abjiciantur, deinde bina ſemina ſimul in terra defigantur ut ſurſum acumen ſpectet, ſit autem foſſa in qua

qua deponuntur profunda & lata pedes duos, impleta fimo veteri, & ut citiùs prodeant, addatur fimus equinus recens statim ex stabulo. Quò minùs irrigantur sunt meliores. Ex semine quod est prope collum cucurbitæ, nascuntur longæ: ex eo quod est in medio, rotundæ: ex eo quod est in lateribus, breves & crassæ. Teneriores fiunt si erecta semina figantur in terra. Cortices dant duriores si semina acumen terræ obvertant. Semen ut possit servari, priùs arescat in sole, vel fumo.

4. Cucumeres quando tonat crebrò, pereunt. Hyeme recentes habebuntur, si fuerint sati inter brassicam, & dum illa se in caput conglobat, immittantur capiti.

5. Seminari possunt boragines & in Aprili, & in Augusto, & possunt omni tempore humido transplantari. Colligitur semen dum parat decidere, & exponitur soli ut maturetur, servari potest quatuor annis.

6. Napi in Augusto seruntur in terra optimè culta & impinguata, & ante sationem semen cum terra miscetur aut arena, & sic seritur, vult frequenter circumfodi & mundari ab herbis inutilibus. Serun-

tur post pluviam sed in loco soli exposito.

7. Semina Cucurbitarum antequam serantur, in aqua tepida jaceant donec tumescant, & duo aut tria semina simul in terra ponuntur.

8. Melones non multùm letatam volunt terram; sic enim fiunt sapidiores.

9. Cucurbita erit sine semine si postquam aliquantum crevit abscindatur, & in terra sepeliatur ut tantùm vertex extet, & hoc iterum ac tertiô faciendum. Grandior erit si semen inverso acumine pangatur. Pulices illi non nocent si sint juxta, rami origani. Celeriùs adolescit ramos superfluos amputando. Longior erit si vas cum aqua apposueris ut ad illud protendat. Odit oleum, contactu mulieris languet, & menstruatre etiam aspectu. Durat recens in albi vini fece demersa clausa, vel in vase aceti ita ut vas non contingat, claudendo vas pice ne acetum evaporet. Saporem, & odorem dabit ejus succi in quo semina macerabuntur. Nona die facit fructum in cinere ossium humanorum sata.

10. Cucumerum eadem ratio quæ cucurbitarum, frigus non metuent si semen in

in medullam rubri penes terram abſcisſi ſeratur & terrâ ac fimo muniatur à Mulis ſummè expetuntur.

11. Melones feli ſunt in deliciis, ſi illorum particula imponatur carnibus, aut ſemen urticæ, vel Synapi citiùs caro elixatur. Idem eſt de ficûs ſurculo. Maturantur in farina.

12. Cucumeres ut ſint præcoces hyeme in calido ſervantur, & aquâ tepidâ rigentur ut diu maneant virides, non avulſi immittantur in vas in quo eſt aqua ſed illam non tangant, & tegantur ne ſol eos adurat. Majores erunt, ſi ubi prodierunt, non avulſi defodiantur, vel ſub radice defodiatur vas cum aqua, vel ſemen intra ipſum cucumer ſeratur. Sine ſemine erunt, ſi ſemen ante ſationem triduò fuerit in oleo ſeſamini.

CAPUT VI.

De Lactuca, Cichorea, Petroſelino.

1. Lactuca diebus ſiccis alternis, vel tertio ſaltem die adaquanda, imò ſtatim poſt inſitionem ne terra letatâ ſemen rejiciat. Ut ſit criſpa, transplantetur & vertex amputetur, & ſit ex majori ſpecie. Ut ſit alba,

alba, priusquam evellatur, biduò ligetur, vel transplantata ſabulo aſpergatur. Ut diverſæ ex illa herbæ enaſcantur, rami avellantur, & in vulnera infigatur ſemen acetoſæ &c.

2. Cichorea cùm jam habet 4. folia debet transplantari in terram pingvem, & ut ſe pandat, lapillus intra folia immittendus, quo facto etiam dulcior fiet. Erit alba ſi tegatur ſcutellâ dum creſcit.

3. Petroſelinum multam amat adaquationem, & ut ſit majus, in linteolo veteri plura ſimul defigantur ſemina, vel intra globulum fimi caprini. Ut folia ſint criſpa, ſemen concutiatur ſtipite ſaligno donec cortex deciderit. Vel, poſtquam ſemina ſunt inſita tellus cylindro benè complanetur. Quò vetuſtius ſemen, melius. Ut citiùs prodeat, diebus aliquot ſemen in aceto madeat, aliquando etiam terra cinere ſtraminum fabarum aſpergatur, & modico cremato, & tegatur. Ut creſcat majus, ante hyemem ſerendum.

4. Fugit petroſelinum nimium ſolem. Colligitur ſemen non omninò maturum ſed cùm incipit albeſcere, & ſiccatur ad ſolem, tantoq; eſt melius quantò antiquius.

5. Pe-

5. Petroselinum totâ hyeme manebit viride si die S. Joann. Bapt. seratur.

6. Lactuca ut sit amplior, seratur laxiùs, vel opprimatur testâ aut glebâ, vel abscindatur vertex. Ut sit candida, inspergatur illi pura arena & ligetur. Non lædetur frigore quovis quæ habet semen album. Ut sit mollis, postquam è terra prodiit, transplantetur. Ut sit capitata, transplantetur, & ubi ad spitamæ crevit altitudinem ablaqueetur, & fimo recenti bubulo ungatur, & terrâ obruantur radices, atque rigetur, & ubi cœperit crescere, vertex abscindatur, testâque fictili non picatâ integatur. Odorata erit, si semen ejus cytrii semine conclusum seratur, vel aliquot ante sationem diebus in aqua odorata madeat. Tenerior erit si ligetur biduò vel triduò antequam evellatur.

CAPUT VII.

De Cynaris, Asparagis, Rapis, Carduis, Saleri.

1. Cynaræ seminantur decrescente Lunâ, neque primo anno dant bonum fructum. Obvertitur acumen seminis sursum, terram petit nigram permixtam sabulo,

bulo, duobus digitis profundè ponitur, & molliter contegitur terrâ, multâ eget aqua. Si semen deorsum acumine spectet, debilem fructum dabit. Ut sint sine spinis, lapide acumen semini amputetur: vel in medullam lactucæ imponatur, & sic semen inseratur. Ut sint odoratæ, semina jaceant in aqua rosarum, vel lauri, aut alio oleo per triduum antequam seminentur, sed priùs quàm in terram abeant, siccentur. Vel baccæ lauri semen insertum seratur. Ut sint dulces, in melle aut lacte madeant semina, tum resiccata serantur.

2. Asparagi non eduntur cum salute nisi planta sit annorum sex. debent autem abscindi non erui, ut radix maneat. Pulvis ustorum cornuum arietum aut caprorum desuper illis inspergatur. Imò ipsa cornua erunt loco seminis dummodo perforentur. Fructibus decerptis ut radix fructificet, circumfodi debet.

3. Raporum semen cum fuligine misceatur in aqua, ac die venturo seminatur. Non sit antiquius trienni, alioqui caules producit. Ut verò sint majores, transplantentur, & terra desuper calcetur ne humor abeat in folia.

4. Plan-

4. Plantantur etiam sic cynaræ, à planta antiqua avelluntur gemmæ cum aliqua parte plantæ, & terræ bene laboratæ committuntur, atque rigantur aquâ pluviali, fit autem hoc à medio Septembre per totum Octobrem.

5. Cardui plantantur in terra pingvi profundè fossà, & hoc potest fieri inter allia & cepas, distet unus ab alio passu. Pro hyeme supra illos terra calcatur & fimus ponitur. Purgari debent, & herbæ inutiles evelli. Semen maturum colligitur, & durat annos duos.

6. Seleri in Maio seruntur in terra profundè commota, pingui, letata, & teguntur stramine, donec pullulent, sint in loco mediocriter umbroso, nam calor magnus illos lædit, postea transplantentur in locis soli expositis. Semen maturrimum colligitur, ad solem siccatur, durat annos 4.

7. Asparagi non evelluntur sed abscinduntur ut repullulent illæsâ radice. Nascuntur & ex rasura cornuum Arietis. Agrip. Occult. Philos. lib. 1. cap. 32.

Caput VIII.

De Paſtinacis, croco &c. Pimpinella, Mentha.

1. Paſtinacæ ut majores creſcant non denſè ſeminentur, & crebrò avellantur folia.

2. Crocus ibi amat ſeri ubi creverunt cepæ, meliùs verò è ſuis prodit cepis quàm è ſemine. Inſidiantur illi talpæ & mures. Cepa ejus priùs in umbra per dies decem ſiccanda, & cùm eſt inſita calcatur humus. Colligitur Sole oriente, ſervatur in loco clauſo & ſicco bonus eſt crocus qui non frangitur, qui manum tingit, & odorem habet acrem.

3. Acetoſa & Pimpinella in loco pingvi ſeratur, & ut ſemen, tranſplantetur, & creſcere ſinatur. Acetoſa ut ſit pulchrior, ter aut quater in anno tondeatur.

4. Fœniculum marinum ſeritur in loco ſicco & ſabuloſo, ſed multùm ab initio irroratur.

5. Pimpinella ſeritur in loco ſtercorato, & irrigatur, vult tonderi, ſemen maturum colligendum.

6. Mentha vult terram aliquantùm impingvatam & profundè culmin, ac Soli expoſi-

positam, humidam, & aquæ vicinam. Non tangatur ferro, pro hyeme tegatur fimo, alioqui degenerat in mentastrum.

7. Pastinaca amat locum multò antè bene cultum, neque densè debet seri ut crescat major, frequenter illi avellantur folia. Et ubi aliquantùm crevit, conculcetur. Semen immaturum colligitur, & siccatur in umbra, durat duos annos.

SUBSECTIO IV.

De Plantis odoratis.

Agetur 1. De Rosa. 2. De Liliis, &c. 3. De Cultura horti.

CAPUT I.

De Rosa & Rosmarino.

1. Rosa ut quinque diversos colores habeat, cùm gemmæ turgere incipiunt subulâ ramos sub geniculo persora, & uni ex ligno Brasilo unum colorem affunde, alii alterum, & vulnera fimo bubulo illine.

2. Rosmarinus quò sub foliis candidior, faciliùs asservatur. Servatur verò hoc modo, sint in fundo vasis fictilis duo foramina, terra sit mixta carie salicis, vel saltem col-

lecta circa ſalicem carioſam, cum hac carie lutum quod ex urbibus evehitur, ſiccatum & craſsè cribratum miſcendum eſt, transplantari debet ſæpiſſimè in Maio & à Vere ad Julium ſubinde. Manè circa horam 8. æſtate rigetur, veſpere circa 5. Vertices crebrò amputandi ubi jam bene radicatum, ut craſſeſcat. Cùm Sol aſcendit, paulò inferiore loco deponendum, quàm cùm Sol aſcenderet, & in hunc uſum diſponenda gradatim ſcamna. Hyeme autem in cellario ſervetur, vel in cubiculo bene munito quod inſiſtit hyppocauſto calefacto, illud bene munitaq; habeat feneſtras (fortaſsè & carbones inferendi) calor autem per foramen ex hyppocauſto aſcendat cùm illo opus, opus eſt autem cùm aqua pro ſigno hujus rei in cubiculo relicta congelare incipit, neque alio tempore eſt neceſſe.

3. Roſa juglandi & pruno poteſt inſeri. Roſa plena in Martio tranſplantetur ante plenilunium, erit odoratior, & ſubalba. Si roſeam gemmam à matre avulſam in amygdalæ corticem inſerueris, quo tempore amygdala florent, etiam roſa dabit ſuos flores. Roſas ſerotinas habebis, ſi roſam cortici malorum inocu̇laveris, vel ſi

prima

prima ejus germina decusseris. Rosæ perdurant, si nondum apertæ intra arundinem maximam concludantur. Eodem modo flores & fructus, si vitreo in vase ab aëre defenderis, & in cisternas aquâ plenas demiseris.

4. Rosæ magis odoratæ erunt, si allium juxta plantetur, ut radix tangat radicem, idem fiat cum liliis. Rosæ datur quivis color, si dum prodiit, antequam se aperiat, subulâ nodus sub flore aperiatur & color ex decocto ligno brasilo infundatur, ut dictum superiùs.

5. Rosæ diu servantur, priusquam se aperiant, non tactæ manu abscindantur, & intra vitream lagenam positæ, bene claudantur, ac in arena sepeliantur. Vel, vas ligneum intùs consperge sale, & hâc die rosas abscissas nondum apertas impone, & iterum sale asperge, & ita fac donec vas impleveris, tum vinum bonum infunde, claude, serva in cellario, ita Schwent.

6. Flores rosarum odorati manebunt per annum, supra plumbeam laminam sub meridie siccentur ac claudantur. Sint sicci & bene compressi, & vas siccum. Conservantur diu recentes positi in lagena querna,

quæ

quæ obturata mittitur in aquam currentem. Sed nunquam tangantur manu. Præscindantur autem dum se incipiunt aperire, & nocte serenâ sub dio habeantur, & in fictili vase lotâ & exsiccatâ arenâ obruantur. Vel in vacua sed clausa olla infodiantur.

Caput II.

De Liliis, Ruta, Viola, Ocymo, Salvia.

1. Lilia erunt purpurea. Quando Lilia alba florent, accipe aliquot earum radices & in camino suspende, emittent radiculos uti cepæ, ante plantationem in fece rubri vini pone, & tandem in terra planta ac fecem eandem affunde. Talem etiam colorem assumunt Lilia qualis sub earum radice positus fuerit. Diversis mensibus prodibunt si aliarum radices profundiùs ac profundiùs in terra ponantur.

2. Ruta cinere aspergi debet, fimum ac humorem respuit. Salsis aquis gaudet, ferro si tetigeris arescit. Si ramum ejus in terram flexeris radices aget. Contactu menstruatæ moritur.

3. Lilia erunt purpurea, si bulbos eorum arefactos in fece nigri vini deposueris, & eadem

eâdem irrigâris. Rubra, vel alterius coloris erunt, eum colorem cortici bulbo illæſo infunde. Recentia durabunt ſi priusquam ſe aperuerint fictili claudantur, aperient autem ſe expoſita Soli.

4. Una viola variarum violarum odorem habebit, ſi variarum linteolo ſemina impoſueris & ita ſeveris ſed ut vigeat, ſingulis annis tranſplantari debet. Toto anno florebit ſi capuli decutiantur dum ad ſemen properant.

5. Ocymum ubi ſeminatum debet bene premi terra, aliàs putreſcit. Debet conſpergi aquâ ferventi aut aceto. Ubi ad palmum excrevit præſcindatur, ſed non ferro. Capræ illud etiam famentes non edunt. Unde res à capris tutas facit. Dicitur à ſuccino non trahi. Si edatur, illo die, à punctura ſcorpionis facit inſanabilem. Etſi hoc, & de capris alii negent. Commanſum Soli expoſitum gignit ſcorpionem vel alios vermes. Lunæ primâ die tritum & ollæ novæ inditum, emittit ſub plenilunio ab altero fine flores. Dicitur, ſi integrum ocymum cum radice ſupponatur ſcutellæ in qua eſt cibus, fæminas illius cibi nauſeâ corripi.

6. Sal-

6. Salvia debet cinere & lixivio muniri.

Plura de Floribus vide in P. Ferrario.

CAPUT III.

De Cultura horti.

1. Dum hortus ab herbis inutilibus repurgatur advertendum, ne à dormitantibus operariis etiam utiles herbæ evellantur. Cum autem nimis herbæ inutiles in horto propagantur, ferendum hagecum, vel cannabis ut eas extirpent.

2. Colorem quem voles dabis rosis, violis, &c. Accipe terram pingvem & Soli expone donec in pulveres solvatur, in his planta florem, & colore ex decocto ligno Brasilo irriga: pro viridi cape cynosbati baccas & coque, pro nigro succum nigrum. Sed cavendum à rore & pluvia.

3. Si variarum plantarum cerâ concluseris semina, aut in stercus caprinum imposueris, & severis, variata exurget planta.

4. Hortorum plateæ ne herbas proferant sale conspergentur.

5. Rosæ ramus in terram reflexus radices agit. Lectæ cælo sereno sunt odoratiores, melius siccantur quàm ad Solem.

6. Gramen ne repullulet instrumento æneo

æneo in ſangvine hirci tincto eradicandum eſt.

7. Piſa præcocia, cucumeres, rapæ. Fimus equinus antiquus putridus ad ſemipedem ponatur, & ſupra illum terra cribrata ad duos digitos ſeminentur in hac prædictorum ſemina, prodibunt alterâ, vel tertiâ die, etſi non rigentur, etſi tempus ſit frigidius. Idem de fragis, ceraſis, ſed horum ſemina macerentur per noctem in fimo bubulo aquâ diluto.

8. Vino rubro ſemen impoſitum tardè prodit; in vino malvatico, & ſpiritu vini moritur.

9, Arbores citiùs germinant prope culinas plantatæ, quia illas calor aliquis accedit.

10, Roſa Damaſcena, raphanus, borrago, beta, in mera aqua creſcit aliquamdiu, ſi ſurculus ſtans aquæ imponatur.

SUBSECTIO V.

De collectione rerum ex horto & conſervatione.

1. Radices communiter colliguntur quando jam folia de plantâ ceciderunt. Flores, quando omninò ſunt aperti. Roſæ & cap-

cappari ut ſervari posſint leguntur adhuc clauſi, ſemina dum omninò maturuerunt. Omnis verô collectio fit tempore ſereno & Lunâ decreſcente. Herbæ ſervandæ, debent priùs optimè mundari ac in umbra ſiccari, vel in Sole, tum reponi ad ſaccum factum ex corio non ex tela, vel in ciſtas ligneas ne exhalent. Errant qui herbas medicinales in aëre libero appendunt, tales enim & pulverem & telam araneæ, & ſpurcitias muſcarum recipiunt. Flores nunquam in Sole, verùm in umbra ſiccantur, neque tempore meridiei & in alto loco, quia facilè exhalant. Sed dum ſiccantur crebrò revolvendi, ne alicubi putreſcant, advertendum etiam ne amittant colorem aut odorem: ſiccati in vaſa terrea reponantur. Semina ſervantur in ſaccis, vel vaſis terreis ſtricti oris bene clauſa.

2. Papaver, cepa, porrum, intra ſuas herbas meliùs ſervantur. Radices ut maneant recentes reponuntur in ſabulo, ut rapæ &c. vel defodiuntur in terra. Quæ ſiccæ radices ſervandæ, eluantur bene, & minutæ fibræ amputentur, tum in umbra versùs ortum ſiccentur, ut radices fœniculi, cichoreæ, petroſelini, aſparagi. Sed ſi radices ſint

sint majores siccandæ in umbra versus meridiem, ut liliorum, gentianæ, rapæ porcinæ, & postquam siccatæ sunt Soli exponantur dimidiâ die. Servandæ verò deinceps in loco spectante septemtrionem quem Sol non accedat, nec pulvis, nec fumus. Nullo modo quidquam dictorum permittit Hyppocrates vento siccari quæ servanda sunt, sed in vasis jubet recludi.

3. Rosas diu servabis, si herbidam adhuc hordei segetem unà cum radicibus avulsam in dolio non picato ponàs, & rosas adhuc clausas superponas, atque vas claudas.

4. Lilia servabuntur tota anno, si nondum aperta cum suis ramusculis tollantur, ponanturque in vase fictili novo non picato, & claudantur. Si velis ut aperiantur, Soli expone. Etiam rosæ rudi tantùm fictili inditæ & bene munitæ, & terrâ subdio obrutæ servari possunt.

5. Flores anno durare possunt, si in oblongo vase clausi, & ostio occluso per sigillum Hermetis sub aquis mergantur.

6. Ramusculum cerasi die S. Andreæ tolle ab arbore, & aquæ impone ut solent flores sicque relinquatur ad Natalem Domini, dabit flores.

7. Flores ſolitò majores fient cultu extraordinario, circumfodiendo, irrigando, letando &c. Odores contrahent illarum aquarum quibus ſæpiùs eorum radices fuerint rigatæ, vel ſi in illis aquis macerentur ante ſationem ſemina. Colores novos acquirent, ſi in aquis coloratis maduerint ſemina, & iisdem aquis frequenter radices ac plantæ irrorentur, ſic quidam varietatis miræ habuit flores, manè coloris unius, veſpere alterius aquis irrigando. Roſa rubra odore ſulfuris albeſcit, ſed per noctem prior color redit.

8. Roſa præproperè florebit, ſi roſeam gemmam à matre abſciſſam in hiantem amygdalo corticem emplaſtremus, dum floret amygdalus. Et vulnus terrâ cribratâ ac ſtercore liniamus, irrorando quando opus, & ſoli exponendo. Democritus in Januario promittit roſas, ſi frutex in æſtate bis quotidie rigetur. Theophraſtus ſemen ante ſationem in aqua præmacerando, vel ſatum continuò irrigando.

9. Roſas, violas, aliosque flores, ſingulis menſibus habebis, ſi ſingulis menſibus alias atque alias plantaveris, ſtercoraveris, humectaveris.

10. Serotina datur roſa quæ malorum cortici inoculatur: vel prima germina decutiendo, nam alio regerminando præterit tempus, & tandem tardi fiunt flores. Garyophillos item ſeros habebis, primos flores avellendo ac ſoli ferventi exponendo, & ne areſcat bene irrigando.

11. Si variorum ejusdem ſpeciei florum ſemina linteolo (hoſtia etiam adhiberi pro linteo poteſt) involuta inſerueris, verſicolores expecta flores.

12. Roſæ erunt ſerotinæ ſi avellantur ſemper quoties prorumpunt, idem de Ceraſis. Vel ſi radices circa Nativitatem Domini per aliquot dies denudentur; vel eximantur è terra antequam protrudant gemmas. Vel funiculo robuſto ligetur planta ne ſuccus aſcendat, vel extra ſolem plantetur.

SUBSECTIO VI.

De Aquarum ex herbis diſtillatione.

1. Cùm diſtillantur herbæ venenatæ opus cavere ne fumus aut vapor inficiat. Vitra eligenda ſine bullis, nodis, æqualis ubique crasſitiei, plumbea vaſa meliora vetera quàm nova. Ne fumus inficiat a-

quam diſtillatam ſub alembico ponatur ſubtilis arena aut cinis. Nec ſtatim ſit ignis fortis. Carbones priùs extrà accendantur, ut quod in illis eſt virulentum effumet. Alembicum non valdè impleatur. Quando eadem aqua diſtillatur aliquoties, in omni diſtillatione uno gradu minuatur ignis, quia jam eſt materia attenuata. Phlegma aliquarum manet in fundo ut in aqua vitæ, in aliquibus primò exit, ut in melle, aceto, & ut plurimum. Ut aqua habeat odorem, res odorata in roſtro alembici ponatur in nodulo lineo ut per illam aqua tranſeat. Videndum ut non magis quàm guttatim fluant diſtillata. Ut aqua odorem ignis amittat, ponatur clauſa in loco frigido, in arena humida. Si ſtillatæ aquæ ſint turbidæ, clareſcent immiſsâ guttâ aceti in libras ſingulas. Fit diſtillatio deorſum in his quæ volumus odorem retinere. Carbones ponunt ſupra alembicum, ſed cautè ne adurant, quod ipſum fieri poteſt intra duas ſcutelas, quarum inferior habeat in fundo foramella, de cætero claudantur optimè. Diſtillant etiam hoc ex floribus aquam, vas latum fictile linteo tegitur, ſupra linteum v.g. flores roſarum ponuntur

ponuntur & rursus telâ aut chartâ conteguntur, tum in scutella fictili vel alio vase carbones superponuntur, destillabit in vas subjectum aqua.

2. Alii sic faciunt aquas odoratas. In crematum ligatas funiculo herbas odoratas, garyophillos, rosas, moscatellas, violas, aut lilia imponunt, & dum odorem credunt excerptum, istas eximunt, & alias immittunt, sed garyophillos aut violas citiùs oportet extrahere, ne etiam colorem affundant.

SUBSECTIO VII.

De Vinea.

Agetur 1. De loco vineæ. 2. De vitibus. 3. De morbis vitium. 4 De vindemia.

CAPUT I.

De Loco vineæ.

1. In locis calidissimis vineæ statuuntur ad septemtrionem: in frigidiusculis ad meridiem: in mediis inter hos, ad diversas mundi plagas. Sata in plano multum affert vinum, sed in montanis melius vites quò altioribus alligantur sudibus, magis botri maturantur.

2. Vinea non ponatur ubi sunt aquæ sal-

 sæ,

sæ, aut amaræ, neque ubi terra scinditur calore Solis, nam radii penetrando arefacerent radices, neque ubi lapides sunt in superficie, neque ubi argilla aut rubra terra. Ubi fuit vinea vetus non succedat nova nisi priùs antiquæ fuerint extractæ radices. Ubi plantanda est nova ducantur fossæ in longum contra meridiem, & per annum apertæ maneant ut Sol terram percoquat. Terra deinde tota bene confodiatur ac stercoretur, sed magis ligone eget quàm fimo vinea. Gaudent vites lini aut siliginis siliquis ad radicem appositis.

3. Opus ut monte vel ædificio defendatur vinea ab aquilone. Facienda etiam priùs fossa & infundatur aqua pura misceaturq; cum terra, cum sinatur stare quiete ut terra subsidat, gustetur jam aqua, si gustu aspera, vel olfactu gravis, non plantetur eo loci vinea. Non omnis autē vitis in quavis terra nascitur.

CAPUT II.

De Vite.

1. Surculi è montanis vineis in plano plantati, succedunt; non è contra. Idem est de aliis plantis, imò de animalibus. Surculi eam cæli spectent plagam plantati quam

quam ſpectabant dum eſſent in vite, imò & locorum ſimilitudo obſervetur. Neque accipiendi pro plantatione rami longi prope terram è vite prodeuntes, neque prope ſummitatem, ſoli valent qui de medio vitis prodeunt. Item neque de juvencula, neque de vite vetula, quia utrique debiles. Surculi ſint longi tres palmos, ſi multos habent oculos: ſed ſi paucos, longiores tollantur poſt vindemiam Lunâ creſcente. Et ſeorſim ponantur quæque diverſi generis.

2. In macro campo planta ſurculos de vite magnarum uvarum, in molli tenerarum: quas ſtatim inſerere non potes, reponantur loco humido. Plantatio fit Lunâ creſcente.

3. Si vitis cum radice inſeratur citiùs fructificabit. Nulla verò circumfodienda dum floret, ſed dum jam uvas maturas habet.

4. Fimus prodeſt viti novellæ, ſed non aliis, verùm inter illum & radicem ſit terra, alioqui exureret in locis calidis.

5. Folia ſuperflua detrahuntur viti in Majo, ſed non, poſtea; quia nudatus botrus pateretur. Putantur vites incipientibus caloribus, & in macra terra magis reſecan-

tur. Herbæ à radice vitis sunt amovendæ, primi anni vitem non puta, secundo anno munda. Quando sunt magni calores bene tegendæ radices. Si vitis putetur ante hyemem dabit multum sarmentorum, sed uvarum modicum. In locis tamen calidis ante hyemem putantur.

6. Pro hyeme bene tegendæ, nec in frigore tangantur, quia sunt valdè fragiles. Semper Lunâ vetere putandæ ne nimiùm lacrymentur, nisi fuerint nimis humidæ ut sic purgentur. Novi putatores facilè errant non habendo notitiam locorum.

7. Longa vitis & tenuis est sine viribus. Quæ citiùs gemmas solet emittere prior putanda, quæ Soli obvertuntur scissionem recipiant versùs Boream, ne Sol adurat, & è contra de aversis à Sole. Non plantandæ circa illas arbores, quæ multa folia, ramos, & radices habent. Surculus non plantandus qui dedit gemmas. Nihil seminandum inter vites ne exsugantur.

8. Vitis odit corylum, laurum, raphanum, brassicam: amat populum, ulmum, salicem, ficum, oleam. Optimus locus pro vite in quo sylva exusta, sed sit terra rara.

Lapides

lapides amat ad radicem per quos in æſtu refrigeratur: In ſuperficie nocent.

9. Servantur ſurculi diutiùs undique terrâ tecti intra dolium ſiccum, ſed claudi debet dolium, & luto muniri ne perſpiret: Sic poſſunt ſervari in duos menſes. Si aliquantùm aruerunt, priusquâm plantentur, per noctem in aqua madeant, & duo ſimul pangendi in caſum ſi alter exaruit, ſed ſint ejusdem ſtirpis, neve ante plantationem germinaverint. Non longiores ſint uno pede. Et hoc breviores, ſi crebros oculos habeant.

10. Poſt plantationem omni menſe circumfodiendi, videndo ne herbæ prope naſcantur. antequam floreant depampinentur, putatio non ſit prope oculum.

11. Vites ligatæ generoſiora dant vina, à terra enim botri inficiuntur. Cui letamen appoſitum dat vinum mali ſaporis. Calx viva viti oppoſita facit ut citiùs producat uvas, ſed tandem illam mactat. Pluviæ vernæ prænotant fore vinum copioſum & generoſum.

12. Surculus utiliter infixus cepæ pangitur. Si extrahatur illi medulla dabit absque acinis botros. Præcoces autem feret ſi

inseratur ceraso. Citò etiam germinabit, si pars abscissa rigetur aquâ in qua solutum est nitrum. Post bonum vini proventum minùs putandæ vites quàm post parcum. Qui putat vites tempestivè, multa sarmenta lucratur: qui tardè habet satis vini.

13. Vites statim post Pascha deteguntur, aliàs mucescent. Teguntur circa finem Oct. Si appareat surculus, in terram defigatur ad tres digitos doneç radices egerit, sequenti anno eum amputa, & seorsim planta.

14. Instante hyeme vitis circumfodiatur ac fimo tegatur. Cùm post hyemem redit calor discooperitur, circumfoditur, alligatur: & cùm palmites emittit si cælum est siccum irrigatur.

15. Plantantur vineæ in Novemb. die sereno postquam folia deciderunt, neque ampliùs succedit plantatio. Botrus fiet parte niger parte albus, si nigræ & albæ vitis surculi in longum findantur, ut gemmæ in hoc & hoc sit dimidium & dimidia albi & nigri ligentur ut coalescant, muni argillâ, sicque inserantur. Sic etiam rosæ parte albæ, parte rubræ producuntur, idem de garyophillorum radicibus.

16. Vitis

16. Vitis hoc modo in cerasum inseritur dummodo sit cerasus viti proxima. Ramus cerasi perforatur, & per foramen vitis ramus non abscissus transmittitur, post duos annos hic surculus à vite resecandus, deinde cerasi pars superior amputanda, ut sola vitis in cerasi ramo maneat.

17. Aliqui sic vitem transplantant (quod etiam in arboribus succedit) accipiunt vas cum fundo pertuso, & per ejus fundum transmittunt ramum, ac vas terrâ implent, & sic vas accommodant ne sit viti violentia, aget ramus in vase radices, qui post annum sub vase abscinditur, & quod in vase est ubi placet collocatur.

18. Putatio vitium facienda antequam oculos aperiant.

19. Vitis fertilior si circa illam cornua caprarum defodiantur ita ut summitates è terra extent, & à pluvia tangantur.

20. Vitis pedunculos non producet, si & ipsa, & culter quâ putatur, adipe vrsi ungatur. Glacies viti non nocebit, sive illam, sive cultrum oleo oliv. cum allio unxeris.

21. Ut vinea sit citò, cinis sarmentorum vitis ponatur in fossis, aut resegmenta sartorum,

torum, & ſutorum, ante hyemem non debet circumfodi, imò nec ulla arbor.

CAPUT III.

De morbis & remediis vitium.

1. Quando vitis non maturat uvas rigetur radix urinâ hominis cum aqua mixta.

2. Si areſcat, abſcindatur & fiat emplaſtrum ex aqua foliorum ſambuci cum argilla, ſupra locum abſciſſum.

3. Si nimis lacrymetur, radicem craſſiorem vulnera, ut eò defluat. Ut recreſcat, ſub terra ad 4. digitos profundè abſcindatur. Si ramos nimis fundat, cinis vel arena radici affundatur.

4. Dum nebula, eſt, aliquis fumus excitandus v, g. fimum urendo. Si rumpantur rami alligentur optimè, & luto bubulo illinantur, ad radicem etiam fimus idem ponatur & circumfodiatur. Si uvæ marceſcant, etiam radici fimus applicetur. Sed ſi in terra pingvi addatur viti fimus, botri marceſcent: in ſterili addendus hyeme & vetus. Novus enim herbas propagat.

5. Ne vermes, bruchi &c. infeſtent, herbæ inutiles extirpandæ, ex quibus beſtiolæ illæ naſcuntur. Et fiat ſuffitus ex cera & ſulfure:

sulfure: & vites in loco putationis ungantur oleo oliv. cui intritum est allium.

6. Nix non relinquatur penes vites, quia amburit. Ut fructus maturet vitis aceto acri & urinâ veteri perfundendæ radices, ac sæpè circumfodiendæ. Quam partem vitium ambussit gelu resecanda. Contra malum nebularum, radices aut folia cucurbitæ sylvestris contundantur, & in aqua deponantur, atque hâc infusione vitis post nebulam irroretur. Avertit etiam laurus nebulæ nocumentum si plantetur proximè.

7. Ex sterili vitia fit fæcunda, si urinâ hominis senis lentè irroretur, & postea ponatur letamen cum terra in autumno. Cùm arescit & folia flavescunt, urinâ hominis, aut aquâ salsâ irrigetur.

8. Cùm nimis lacrymatur, fiat incisura in trunco, quæ ungatur oleo oliv. ad dimidias decocto vel fæce olei non salitâ.

9. Cùm folia albescunt, & botri decidunt, cribratus cinis misceatur cum aceto forti, & truncus irroretur. Cùm nimis multos ramos profert, ii sunt abscindendi: & si hoc non prosit, radici affundatur arena, & modicum cineris, aut lapillorum. Cùm pars botri arescit tollenda est, & altera pars

unga-

ungatur cinere ſarmenti cum aceto, & pes ipſius vitis irroretur urinâ veteri.

10. Cùm botri immaturi marceſcunt, radici aſpergatur cinis vetus, aut farina hordei mixta ſemine portulacæ. Ne animalcula vitem vaſtent, culter quo putanda eſt ungatur hirci ſangvine, & adipe aſini aut urſi, aut oleo in quo coctæ ſunt erucæ, vel alia ejuſmodi, aut allio contuſo. Ut verò hæ pellantur beſtiolæ, fiat fumus de ſtercore bovis, aut de Galbano, aut de calceo vetere, aut cornu cervi, aut capillis mulieris: aut pæonia plantetur in vinea. Ne mures aranei lædant vitem, putanda noctu quando Luna eſt in Leone vel Scorpio, vel Sagittario, vel Tauro, riganda verò vitis aquâ in qua per dies 10. maduerunt cancri.

11. A vermibus ajunt tutam fore vineam, ſi cineres vitium cum earundem lacrymis permixti ſepeliantur in vinea.

12. Ne ab animali attingatur, erucas quæ ſunt in roſis coque in oleo & cultrum quo putatur vitis unge.

13. Pruina ne viti noceat, aut adipe hircino, aut ſangvine ranarum cultros putatorios unge, aut coticulâ cum cinere & oleo oliv. cultros acue.

14. Ver-

14. Vermes non naſcentur, ſi inter vites cinerem vitium cum vitis lacrymis poſueris.

15. Ariditas prohibetur. Quod aridum eſt ad vivum reſeca, & cæſuram aceto optimo cum cinere illine. Vel urinam veterem circa radices funde.

16. Sterilis ſi ſit, truncum querno finde cuneo, & lapillum induc atque urinam veterem humanam affunde, & circumfode ac fimum cum terra appone, & hoc fiat in Autumno.

17. Siderata vitis eſt cùm folia rubent, tum truncus terebretur, & clavus quernus inducatur. vel radix propria. Fluentes vites cinere cum aceto reſpergendæ.

CAPUT IV.

De Vindemia.

1. In Octobre colligendi ſunt botri cùm illos jam bis aut ter pruina præcoxit & rugas traxêre. Boni vini, ut dulcius ſit vinum, die 30. ante vindemiam folia circa botros abſtrahantur, ut botri à Sole magis percoquantur. Poſſint & botri detrahi nonnulli præſertim æſtate frigidâ, & cæteri fient dulciores.

2. Dies S. Urbani Serena & Auguſtus calidus vina promittit bona.

3. Vindemia fit quando jam botri ſunt maturi, ſed non nimis, maturi ſunt ſi rubro clari, ſi dulces guſtui, viſcoſi, molles, & nihil habent acerbitatis. Dum acini exprimuntur nihil omninò ſecum trahunt pulpæ. Decerpe uvam è racemo, & poſt biduum vide ſi pendens è vite racemus ita eſt conſtrictus ut locus uvæ revulſæ non appareat, nondum botri ſunt maturi.

4. Generoſius eſt vinum quod Lunâ vetere vindemiatur, & diutiùs ſervatur: ſed Lunâ novâ plus vini prodit. Vindemia fiat ſereno tempore, nihil habeat roris. Unde quam diu ros eſt operarii ſe pro labore reficiant, ſumptum enim cum rore vinum citò corrumpitur. Si macida ſit à pluviis uva, antequam in torculari frangatur, effundendum id ſeorſim quod de illa ſpontè effluxit. Nec uva Sole accenſa priuſquam refrixerit frangatur, quia daret vinum aduſtum. Omninò autem ſeparetur immatura, affecta, macida, â cane læſa, item omnis palea & ſpurcitia, item illa quæ in umbra crevit, quæ minuta, rubra, diverſa quomodocunque. Nocet vitibus ſi non cultro botri abſcindantur, ſi uvæ cadant)

5. Vinacia sunt cibus pro omnibus animalibus, & valent pro letamine. Botri ex alia vinea sint seorsim, & qui de monte, vel plano. Antequam exprimantur botri jaceant Soli expositi in stramine, sed sub tecto, propter pluviam & rorem per dies sex aut octo, mundati & abluti, tum siccati calcentur mundis pedibus.

6. Cùm vinum est debile citò incipit bullire, & citò desinit, è contra forte. Vasa non repleantur musto, nam æstuando efflueret. 4. 8. aut diebus 12. bullit, quantò bullit diutiùs tantò fit durius, & si nimis bulliat in acetum desinit, & nigrescit, & potatum lædit jecur. Postquam bulliit, refundatur in vasa munda, & dum spumat, recens, sed idem affundatur mustum ejiciendo spumam & acinos, deinde vas claudatur, & postquam refrixerit, claudatur perfectiùs ne expiret. Postea transvasetur semel ac iterum sic enim roboratur, subinde & sexies transfunditur. Sed nigro satis id semel fieri inter S. Martinum & Natalem Domini. Bibitur post dies 15, estque in medio optimum.

7. Vinacia per diem & noctem maneant in doliis ut incalescant, tum aquam optimam affunde, & illam coque per dies 5. aut 6.

Vel in vaſe miſceantur vinacea cum aqua per dies quaſi octo, ſemel aut iterum de die commovendo, tum addatur color de prunorum ſucco, deinde in torculari exprimantur effundendo id quod effluxit, & ponatur in dolio per dies non plures quàm 15. deinde tranſvaſetur, niſi enim hoc fieret, corrumperetur, & æſtate fieret acetum.

8. Cùm detrahuntur folia circa botros ante vindemiam relinquantur illa quæ poſſunt defendere contra pluviam & rorem. Uva matura tantùm ſex diebus in ſuo ſtatu permanet. Plato lege ſanxit ne pueri bibant vinum ante 18. annos, puellæ ante 30. Qui meraciori aſſueverunt evertitur illis ventriculus potu debilioris. Ariſt. docet, quòd magis dilutum quàm purum vinum inebriet.

9. Si nimis pluit ſub vindemia ut uvæ ſint plenæ aquâ, poſt expreſſionem & infuſionẽ muſti in dolium, poſtquam cæpit bullire, ſtatim in aliuū dolium transfundatur, aquoſitas manebit fundo, & 30. menſuris vini addatur uva & dimidia ſalis. Alii coquunt ejuſmodi vinum.

10. Botri diutiùs ſervantur Lunâ plenâ avulſi, die ſerèno, poſt roris ſiccationem

nem si intingantur in aqua salsa cum pauco vino cocta, & ponantur supra stramen.

11. Ut vinum dulce sit toto anno, botri exponantur Soli saltem per biduum. Vel, vino quod spontè non pressum fluxit, postquam bulliit injiciatur iridis radix, aut lilii contusa, & percoletur vinum, ut sit absque fece simile erit græco, si quod molli pressione effluxit, seponatur; & salis cocti duæ libræ triti in singulas mensuras imponantur postquam vinum ebulliit: sed botri fuerint priùs Soli per biduum expositi.

12. Adaquatur vinum decimam partem aquæ effundendo vinaceis respectu vini, quod ex illis expressum, huic aquæ affundatur spuma vini quod bulliit, item fex. Maneat ita per noctem, die sequenti exprimatur pedibus, ponatur in dolio, bulliat, & tandem occludatur. Ajunt ex ebrietate evigilare qui caules superederit, vel aliquid cum melle confectum.

13. Ne vinum corrumpatur, fundo vasis in quo debet bullire scutela salis contusi, pro uno carro uvarum ponatur, deinde mustum cum aqua bulliente infundatur & misceatur, maneatque æstuans novem diebus. Tum in aliud vas transfundatur, & claudatur ne perspiret.

14. Uvæ ſervantur recentes ſi pedes botrorum pice ferventi tingantur, uvæ autem ſepeliantur in cinere, vel farina millii, ne ſe contingant, aut illas aër accedat.

15. Ut vinum clareſcat, albumen ovi cum ſale & alumine imponitur. Conſervatur in vaſe quod eſt fumo ſulfuris repletum prius, poſtea vinum infuſum.

16. Botri ſervantur recentes etiam hoc modo. Argilla carens arenis diluitur aquâ, in eam depurati ab uvis corruptis botri ſtatim ac de vite reciſi immerguntur, & ſiccantur ad Solem, deinde in vaſe clauſi ſervantur in cellario. Vel ſic. Prope vitem in loco opaco fiat foſſa duos cubitos profunda, repleaturq; arenâ, in eam vitis cum botris flectatur & bene contegatur, ne mador penetret, & ne terram vel arenam botrus attingat.

17. Botrus in anguſti colli vitrum immittitur (idem de alio fructu) dum parvus eſt, creſcit intra vitrum, & videtur quaſi grandis eſſet impoſitus.

18. Vinum dum ſit generoſum, conſervatur & melius redditur cum ſuis fecibus in lagenas transfuſum, & in cellario intra arenam ſepultum, etiam annis ſex durat, ſed Italicum muceſcit.

C A-

CAPUT V.

Quarundam plantarum proprietates.

1. Polypodio si tangatur cancer crustam deponit. Pythagoras dicit apud Nieremb. in Erotem. Curios. Si fabam dentibus momorderis, & Soli tantillùm exposueris, redolebit humanum sangvinem. Si fabæ folia nigra vasi incluseris, & clausa sub terra per dies 90. defoderis, aut caput pueruli invenies, aut muliebre pudendum.

2. Polypodium viride cum ventositate solvit ventrem, siccum stringit. Folia quercûs recentia etiam solvunt ventrem, sicca adstringunt. Idem de ebulo, rosa, sambuco. At verò rheubarbarum, sena, carduus benedictus, hermodactylus, laureola, solvunt: Sed si ex illis fiat decoctum, hanc vim amittunt. Megirion solvit maximè: sed ut solutio statim cesset, manus & pedes in aquam frigidam ponendi, cùm tamen in loco frigido deambulare nudis pedibus solvat alvum. Floravantius.

3. Rheubarbari virtutem adæquat radix herbæ rumicis. Petroselinum intra dimidiam horam germinat. Caules fabarum exure, cinerem pone in vase ligneo: interim

rim ſemen petroſelini maceretur in aqua ardente per triduum & inſeratur dictis cineribus.

4. Feles ſupra modum amant herbam valerianam carnibus inſperſam: Lupi amant lupinariam quæ ut illos mactet arſenico imbuta ſpargitur circa cadavera.

5. Aceris gemmæ antequam in folia ſolvantur ſupplent lupuli vicem in cerviſia eodem modo atque lupulus ſiccata, additur tamen pro coctura manus una lupuli.

6. Circum agit ſe heliotropium, ſi exciſum infixeris ſuberi ut erectum innatet aquæ in olla poſitæ, ſub olla verò ignem excitaveris. Fabula verò eſt quòd herba aproxis ignem è longinquo concipiat.

7. Baſiliſcus herba frequenter olfacta dolores capitis inducit, imò ſcorpios in capite generat ejus folia ſub teſta putrefacta in ſcorpios vertuntur. Hollerius.

SECTIO VIII.

De Pomario & Arboribus.

Subſectione 1. De loco pomarii. 2. De inſitione & cura. 3. De morbis arborum & remediis. 4. De collectione ac conſervatione

vatione fructuum. 5. De generatione. 6. De proprietatibus. 7. De fructuum immutatione agemus.

SUBSECTIO I.

De loco Pomarii.

1. Non sit in loco humido, humili, umbroso, nec prope viam publicam. Spectet meridiem. Si terra sit macra foliis arborum impingvetur. Sepes optimæ de spinis vivis quæ fossâ succingantur. Fossæ in quibus plantarum facienda insitio, priùs per sex menses apertæ maneant. Si frigus permittit plantatio facienda in fine Febr. tempore sicco.

2. Montes amant, abies, cedrus, laryx, picea, & arbores in quibus resina gignitur: item aquifolia, therebinthus, castanea, fagus, juniperus, cornus, carpinus: etsi pleræque harum etiam in planitiem descendant. Montes & valles inhabitat. Abies, robur, castanea, ilex, tilia, cornus. Plana quærunt, tamarix, ulmus, populus, salyx, corylus, juglans, ornus, acer, fraxinus, fagus. At prunus, malus, oleaster, juglans, rarò in monte visuntur. Quæ admittunt planitiem & montes, in plano sunt formo-

 siores,

ſiores, in montibus nodoſæ, pyro & malo exceptis.

3. Arboris unius ab altera diſtantia, eſt latitudo ramorum. In monte opus facere foſſas circa arbores ut aliquid aquæ maneat. In locis humidis dant ſolia magna & fructus grandes, ſed ineptos, & qui diu ſervari nequeunt.

4. Si pingve letamen arbori apponatur, fructus reddit aquoſos: ſi non ſatis putrefactum, incendit: fumus etiam fimi flores & fructus inficit.

SUBSECTIO II.

De inſitione & cura.

Agetur in communi, & in ſpecie de arboribus.

CAPUT I.

De inſitione in communi.

1. Inſitio eſt vivæ partis alicuius arboris in aliam arborem applicatio. Ita ut in unum corpus naturâ coagmentante coaleſcant. Quandò arbores & fructus à ſe multùm differunt, inſitio eſt difficilis.

2. Omnis arboris inſitio fiat creſcente Lunâ

Lunâ. Et quot diebus hoc fit ante plenilunium, post tot annos arbor fructificabit. Horâ unâ ante occasum fiat insitio.

3. Ut fructus sit absque nucleis, truncus in quem surculus inserendus omni medullâ spolietur, & vacuitas pulvere gallæ & vitrioli impleatur: surculus sit & truncus, qui nondum florem aut fructum protulerunt.

4. Sit arborum seminarium, & ut citiùs insita in eo prodeant semina, priùs per biduum aut triduum in lacte madeant, & attendatur ne in eo loco ubi insita, creverint herbæ. Terra sit ante hyemem letata, & Soli exposita. Pro ulmo tamen semen colligendum priusquam folia emiserit.

5. Insitio fiat in arborem quæ simili tempore profert fructum. Et quæ jam protulit.

6. Nulla arbor plantetur in fossa modò aperta, sed priùs fossæ per duos vel tres menses maneant, neque calcetur terra postquam illi arbor imposita, sed superfundatur & irrigetur. Cum radice plantantur hyeme, sine radice tempore calido. Ad radicem optima terra ponitur, postea qualis habetur. Radices distendantur, ne in unam partem se colligant. Hoc fiat neque in ma-

gno frigore neque in magno calore, neque in pluvia. Si aliquæ radices ſint vitioſæ, abſcindantur.

7. Plantæ ſi de longinquo ferantur, madido panno circumponendæ, cum terra, ne areſcant. Cùm foſſæ factæ ſunt in Julio vel Auguſto, plantetur in illis in Octob. vel Novemb. Sed cùm rami ſunt reſecti & radices, plantatio fit in Febr. Sed in hoc attendendum, prout eſt calida, vel frigida regio.

8. Ut arbores magis fructificent, bis in anno circumfodiantur, & ſi terra eſt macra addatur letamen, ſed non tangat arborem, verùm ab illa diſtet ſpitamâ.

9. Poſt depoſitos fructus arbor mundetur, ſcrobs in quam nova imponenda, utiliter ſarmentis impletur, quæ in ea exurantur. Poſt frigidas tempeſtates cave ne arborem ferro lædas. Item ne arboris diverſæ ſpeciei ſallicidium excipiat. A muſco purgetur, & nec minores biennibus, nec majores trimulis transferantur, idque cum ſua terra.

10. Exitioſum eſt arbori nitrum, alumen, calida aqua, marina aqua, fabæ, ac earum putamina.

11. Quæ fit inſitio in trunco & non in cortice usque ad brumam, & à Febr. ad Solſtit. vel poſt caniculam.

12. Surculus dum peregrè vehitur luto imponendus, & vaſe concludendus, ne expiret.

13. Inoculatio fit ante Solſtit. æſtivum, vel circa æquinoctium vernum, die ſereno. Arbor in quam fit inoculatio, à ramis & nodis purgetur. Cortices ſint pari craſſitie cum ſurculo.

14. Sub cortice inſerendæ quibus durior cortex, ut ficus ceraſus, ligneo cuneo removendo eum, tum ſurculus imponendus. *Dicitur infoliatio.* Hæc in humidiore ligno. Quæ ſicciora & tenuis corticis, fiſſo ligni medio inſeritur ſurculus. *Dicitur inſitio.* Et hæ actiones citò peragantur. *Surculi* ex ea parte ſint deciſi quæ Aquilonem ſpectat, ſint de novo nati, bifurci, vel trifurci, crasſitie digiti minoris, bimi, anniculi ſteriles, ab una parte ſalvâ medullâ ſicut calamus ſcriptorius inciduntur ut lignum ligno cortex cortici cohæreat, nec majus foramen quàm opus, tum argillâ obducendum. Surculi accipiantur decem diebus ante inſitionem idque ſilente Lunâ vel finiente: Sed claudendi

dendi in vase ne expirent, unde nunquam expositi relinquendi. Quia recens surculus est nimis fervens ideòque marcescit ac laxitatem in ligno facit. Flante Austro faciendum, id cave.

15. Intra corticem non fit insitio nisi in valdè succulentis arboribus. In quercum aut ulmum insita dant fructus magnos, sed nullius momenti.

16. Persicum inseritur in prunum. Prunus si amygdalæ inseratur mixtos dabit fructus, cortex similis erit nuci, intùs autem prunum. Pruna ficui insita proferunt fructum absque floritione. Mixti erit saporis pomum, si unus surculus de acri malo scissus, alter de dulci, in longum fissi, sibi jungantur ita ut oculus oculo conveniat, & inserantur.

17. Surculi sumendi qui Aquiloni, vel orienti æstivo opponuntur. Cavendus in inserendo Auster. Insitio fiat post meridiem. Ut arbor non in altum sed in latum crescat, surculi inversi inserantur, optimè proveniunt si truncus cui inserentur modicè extiterit super terram. Si surculi diutiùs servandi, rapæ infigendi, & intra duos imbrices terrâ obruti juxta aquam retinendi.

18. Se-

18. Seinina arborum non prorſus nuda ſed cum parte ſui pomi ſerantur, ut diutiùs nativo humore gaudeant.

19. Arbor decreſcente Lunâ plantata, fit humilis, ſed robuſta: creſcente ſata, multùm augeſcit.

20. Pyrus magis patitur umbram quâm prunus. Sine radice poſſunt plantari quæ habent medullam amplam. Locus in quo plantandum ſi mollis eſt, terrâ ſiccâ repleatur: ſi durus, letamine aliquot diebus antè, obruatur. Arbores habentes acinos, ut pyra, poma, ſi ſint magnæ, & debeant transplantari, rami ſuperflui amputentur, minoribus parcendum.

21. Dum arbor cum radice plantatur, advertendum ne aliqua pars radicis ſurſum revolvatur, proinde expedit ligare ut omnes deorſum tendant. Nulla foſſula circa radicem relinquatur in qua poſſit pluvia ſiſtere, neque terra circa radicem injicienda cum herbis ſed cum ſolo fimo, & ſubinde leviter calcanda, in qua ſi vermes ſint, miſcenda cum cinere.

22. Quando in plantatione ſolùm ſtipes infigitur non alius priùs infigatur, ſed hic ipſe

ipſe qui debet creſcere. Illa arbor quam Sol non tangit, fructum non affert.

23. Omnes rami mortui abſcindendi quia ſanos inficiunt. Terra calida radici adjecta producit vermes, imò & fimus, proinde inſpicienda radix cùm arbor incipit areſcere: & tum ad radicem aliquod morticinum defodiatur & fimus minutus. Muſcus deradendus cultro oſſeo aut ligneo.

24. Quamdiu arbor eſt tenera, tempore calido circumfodienda menſibus ſingulis: vetula verò alternis. Sed ubi æſtus Solis urget, terra aggerenda ne radix Sole offendatur, cavendum autem ne cortex rumpatur. Cavendum etiam ne prope radicem ſint ullæ herbæ.

25. Obſervat Carolus Stephanus Gallus quòd pro plantatione ſit bona dies Lunæ prima. Mala verò 8. 9. 10. 11. 12. 13. 17. & 18. Poſt novam Lunam plantata arbor fit lignoſior ſed fructus fert tardiores; qui poſt plenam citiùs veniunt. Ut tamen plantata in nova Luna ferat citiùs fructus, decreſcente Lunâ rami abſcindantur.

26. Vini palmes ſi pomo aut pyro inſeratur, eo tempore dabit botros quo poma aut pyra naſcerentur, idem eſt de pruno.

27. Sur-

27. Surculi Persici in truncum pruni vel cerasi bene inseruntur, & meliorem dant fructum. Juglandes omni arbori nocent cui sunt vicinæ. Avellana officit vineæ.

28. Poma granata fiunt deteriora si rigentur ac stercorentur. Plantæ quæ sunt in horto mansuræ per hyemen in Autumno plantentur.

29. Suillum stercus nimis arbores humectat. Fimus alius sit circiter novem mensium.

30 Cùm surculus inseritur, bene fit, si vulneri infunditur pulvis alicuius odoratæ herbæ & cerâ locus oblinitur. Arbor dum transfertur easdem mundi spectet plagas quas antea spectavit.

31. Semina quæ inseruntur in Jan. vel Febr. tantùm quatuor digitos terram intrent. Si Autumnus fuerit siccus & calidus inserantur in Octob. vel Novemb, Arbor quæ sine radice inseritur sub Martio pangatur, dum adhuc succum retinet, si arbor sit dura, ut buxus, divisæ radicis extremitati lapillum insere dum plantas.

32. Salici, & salici viminali, sic inseruntur surculi. In trunco fiant foramella quæ distent inter se semipede, super illos modicè

cè deradatur cortex, & ſurculi imponantur, truncus autem ſalicis infodiatur ut jaceat, & ſurculi de terra emineant, argillâ deinde truncus obruatur madidâ. Poſt annum effodiatur poſtquam egit radices, & in partes concidatur ut quisque ſurculus ſuam habeat. Potes aliquos ſurculos iuflectere, & vertices eorum modicè circumcidendo trunco inſerere, & ubi increverunt, arcum ex ſurculo factum ſcindere, atque erigere in duas partes truncorum, & ubi vis terræ imponere.

33. Ante hyemem arbores circumfodiantur, ponatur ſupra terram non multùm comprimendo. Cortex radatur, Vetulæ arbori findatur radix & lapis inſeratur quò magis trahat ſuccum.

34. Inſitio fiat in Octob. vel Novemb. Diſtent à ſe arbores circiter pedes 30. Pomus inſeritur oleæ, malo cydonio, ceraſo albo, ceraſo, perſicæ, & hoc fiat in Febr. vel Martio diebus 50. ab alterutro ſolſtitio.

35. Pyrus tàm macro quàm pingvi procedit ſolo. In ſicca & dura terra fit parva arbor, gaudet fimo, ſed non ſit in loco nimis humidè. Meliùs inſeritur pyro ſylveſtri, idque in Octob. vel Novembri.

36. Ut

36. Ut fructus sit aromaticus, ramus proximus fructui perforetur, & pulvere aromatis impletus claudatur.

37. Si terra nimis est humida, vel frigida, cinis est remedio si dum aperitur terra pro plantatione, vermes compareant, miscendus cinis lixivio, & terra circa radicem optimè conculcanda.

38. Arbores in Martio purgantur à vermibus, qui exurendi sunt. Cavetur ne unquam animal intret, quia vel solâ urinâ recenti arefacit arbores, gramen quod est in pomario defalcatur & vaccis post mulsionem utiliter exhibetur.

39. Plantatio novarum arborum quotannis instituitur in Martio & Novemb. Rami Vere purgantur, & delicatæ arbores fimo contra gelu muniuntur.

40. Omni anno oportet arbores mundare à ramis siccis & superfluis, sic enim magis & meliùs fructificabunt. Hoc verò fiat bone tempore, acuto cultro, non lædendo ipsum truncum, & crassi rami non rectè sed oblique abscindantur ut in acumen desinant, sic enim aqua ex vulnere defluet. Cavendum verò à icisione dum florent arbores, subinde enim arbor macta-

 retur.

retur. Tollendæ etiam telæ araneæ, perdendæ formicæ, & mundissimè habenda arbor.

41. Ficus inseritur, moro, platano. Morus castaneæ, fago, malo, pyro sylvestri, terebintho, ulmo, albæ populo. Pyrus, punicæ, cotoneæ, moro, amygdalo, terebintho, pyrastro. Malus, pyrastro, pruno; si platano, rubra erunt poma. Juglandis soli arbuto. Laurus malo. Persica damasceno, & amygdalo. Damascena pyrastro, cotoneæ, & malo. Castanea robori, fago. Cerasus persicæ, terebintho. Cotonea oxygacanthæ. Myrtus salici. Cotonea caprifico. Vitis ceraso & oleæ. Pyra malo. Sed & omnis surculus omni arbori inseri potest, dum cortice non sit dissimilis: optimè autem inseritur tali quæ similem & tempore simili fert fructum.

42. Lunâ crescente fit insitio, & cùm arbor gemmas agere cæpit, sed surculi non sint longiores semi pede. Si plures inseris eidem arbori minimum quatuor digitis à se distent, & ita lutum aggeratur ut solùm duos digitos emienant surculi.

43. Arbores omnes vicinæ ramos non ampu-

amputando sed solùm reflectendo in se possunt inseri. Optima est insitio quæ fit proximè ad terram.

44. Terra pinguis quæ madefacta digitis adhæret instar picis. Ubi seruntur juglandes ager sterilescit. Ubi quercus est, ibi oleæ esse non possunt.

45. Arbor sylvestris dum plantatur, ut citiùs crescat silices congere ad radicem. Sed hoc non valet in plantis mollibus. Ut verò quævis arbor latè fundatur, vertex tondendus.

46. Salix, populus, alnus, pro plantando septennis summi debet, nec rectè, sed obliquè in terram defigi.

47. Arbores fructiferæ meliores si annis singulis circumfodiantur. Emortua arbor recipit vigorem si circumfossis radicibus fimus applicetur.

48. Muscus ne in arboribus crescat, cortex in modum cratis scindatur. Arbor proferet violas & alios flores, si in ea fiat foramen & fimo in serto semen florum imponatur. Musco ut arbor induatur, fune præcingatur, & aquâ frigidissimâ irroretur.

49. Surculi qui procul vehuntur in mel-

le merguntur, vel in argilla melle ſubactâ caudices figendi, & cacumina muſco involvenda: vel utraque extremitas in poma ſuccoſa infigatur, & ſpongiâ plenâ aquis totus involvatur.

CAPUT II.

De Inſitione & cura Amygdali.

1. Pridie inſitionis nuces amygdali in liquido fimo madeant, nocte verò in aqua multa. Vel radix arboris inſeratur terræ. Stolo inſeri poteſt in prunum, caſtaneam, perſicum. In quam etiam emplaſtratur.

2. Fæcundior amygdalus ſi ſaltem ſemel truncus usque ad medullam terebratur, ut humor ſuperfluus decedat cujus ſignum eſt, ſi rubeant fructus. Arbor hæc campum vult petroſum, durum, ſiccum, aërem calidisſimum. Quæ eſt dulcis, ſi non excolatur amareſcit. Et ſi colatur amara, fit dulcis. Cultura ejus præcipua eſt, ut truncus usque ad medullam terebretur Lunâ creſcente: vel hyeme, radix operiatur fimo porcino.

3. Quò antiquior arbor hæc fructuoſior, fructus miſſi in aquam frigidam, evadunt meliores & pingviores. Ex amaris fiunt dul-

dulces, si antequam floreant diebus aliquot radix discooperiatur & aquâ calidâ irroretur arbor.

4. Pro insitione eligatur nux magna, rotunda, tenui cortice, melius succedit quando habentur surculi è regione frigida, inseruntur in Jan. & Febr. sive nuces, sive stolones. Nuces terræ imponuntur ad unum pedem profunditatis præmaceratæ in aqua mulsâ, & acumine tendunt sursum. Terra sit sicca, mixta fimo, & crassæ arenæ, si autem per se sit arenosa, addatur fimus suillus & lapides, prodeunt post biennium. Ne arescat, riganda: & herbæ inutiles circa teneram evellendæ. Si à pecore rodatur, amarescit, ut fructificet, plures debent esse simul. Equino fimo necatur. Dulces ex amaris fiunt amygdalæ si sub terra transfigatur arbor ut humor effluat, distet hoc vulnus quatuor digitis à radice. Vel radix urinâ & suillo stercore terrâ mixtis circumponatur: vel clavus ligneus melle illitus infigatur. Fructum & florem austrino cælo amittit. Fructifera ex sterili fit si radicem hyeme perfores, & lapidem imponas, vel tedam, vel silicem, sed ista rursus claudenda sunt cortice, ac viri

urinâ perfundenda, demum terra obruenda. Copiosior fructus erit si arbori perforatæ quernus clavus infigatur. Pruinæ ne noceant, ante floritionem radix lapillis albis obruenda, sed ubi advenit floritio, amovendi sunt. Inscripta erunt amygdala, si nucem dum seritur aperueris ne pellicula nuclei lædatur, tum aliquid pelliculæ inscribatur, quæ deinde papiro madida, luto, ac suillo stercore ungatur, & infodiatur. Nuces diu candidæ servantur, si muriâ perfundantur & ad solem siccentur. Ut corticem deponant coriaceum in palea jaceant. Ut magnæ sint, ita ut cum Persicis procedendum.

CAPUT II.

De Avellanis.

1. Gaudent terrâ humidâ, macrâ, arenosâ, nuces ad duorum digitorum profunditatem inseruntur. Sed meliùs si ex sylvis tenera arbuscula in Febr. vel Martio: aut in Octob. vel Novemb. transplantetur, ex nuce enim tardè crescunt. Meliùs in colle quàm plano proveniunt, & quanto magis truncus mundatur, magis fructificant, si paucos etiam ramos habuerint fient

ent fæcundiores, hanc plantam venenata non accedunt, ſed fructus eſt duræ digeſtionis.

2. Proverbium Gallorum eſt, in proventu maximo avellanarum, annum nuptiarum fertilisſimum.

3. Avellanæ ſervantur coopertæ muſco recenti in dolio & cellario.

CAPUT III.

De Caſtanea.

1. Tranſplantari non patitur, inſeritur verò ejus nux maxima, aut plures ſimul. Inſeritur ſurculus aut ſuæ arbori, aut juglandi, aut quercui vel fago, aut cydoniæ: etiam aliis arboribus inſeri poteſt.

2. Nuces inſerendæ imponuntur aquæ, ſolæ eliguntur quæ fundum petunt, idque rotundæ. Seruntur in loco umbroſo, valle, terra humida, & poſt biennium prodeunt. Umbra hujus arboris interficit plantas, lignum non putrefacit etiam in aquis.

3. Nux dum ſeritur, acumen cælo obvertat, at amygdala debet terræ obvertere.

4. Caſtaneæ ſervantur foliis juglandium inſperſæ.

CAPUT V.

De Ceraso.

1. Inseritur cerasus vel semine, vel transplantatur, vel ejus virgultum pangitur. Inseritur autem stolo, vel in laurum, vel in malum, & dat serotinos fructus, vel in persicum, vel in platanum, vel in populum, vel in prunum, vel in terebinthum, vel in vitem, vel in juglandem authore Virgilio; de quo tamen Seneca scripsit, quòd magis curaverit, ut pulchrè, quàm ut verè diceret. Inseritur & terebratione in vitem. Illa melior cerasus quæ prodit è suo semine. Omni solo contenta, nec vermibus obnoxia, si lauro inseratur.

2. Præcoces dabit fructus, si radici calx viva affundatur, vel adaquetur frequenter aquâ calente. Insita in morum, vel salicem, tardat cum fructu. Si rami frequenter detrahantur grandiores fiunt fructus.

3. Frigido, aut mediocri, gaudent aëre, inseruntur in Octob. vel Novemb. vel ex nucleis enatæ transplantantur. Stercoratione corrumpuntur.

4. [illegible] erit sine osficulo, si in caudice prope [illegible]cem fiat duorum pedum fissura,

&

& medulla ferro eradatur, vulnusque fimo oblinatur, & hoc fiat in arbore quæ nondum flores aut fructus protulit. Lauro bene inseritur.

5. Cerasa diu servantur intersita saccaro in olla clausa. Vel in vas ex alno factum imposita & clausa ne aër subintret, & in aqua frigida posita.

6. Cerasa purgantia erunt si arbori extractâ medullâ scammoneam infuderis. Olentia erunt si balsamum imponatur, & sic de aliis.

7. Eget cerasus fossione, & putatione, resecando ramos ægros, & nimis multos. Lanugo quæ trunco adnascitur, putrefacit. Fimum odit, sed sua putamina amat. Melior est quæ alterius arboris trunco inseritur. Si putrescit, truncus perforetur ut humor vitiosus effluat, si â formicis vexatur, per æquas partes sume acetum cum succo portulacæ & affunde, vel fece vini truncum arboris florentis illine. Præcoces fructus dabit, si ante florum exortum calce vivâ radix circumponatur, aut aquâ calida sæpiùs rigetur, sed hoc facto, citò arescit. Fructus ut sint meliores, pars eorum avellanda. Ut fructus sint absque ossiculo sicut

cut cum pruno in hoc procedendum. Vel in truncum ejus fiſſum lacrymam cyrenaicam cum aquâ dilutam ad ſapæ conſiſtentiam infunde. Et poſt 8. dies eâdem profunde.

CAPUT VI.

De Cupreſſo.

1. Prodit ex ſemine, prodit & ex ſtolone. Ut faciliùs agat radices, ſurculus lapide concutitur, & avenæ granis circumponitur, acutiores illi partes avenæ infigendo.

CAPUT VII.

De Pomo, Cytrio, & Cotoneo.

1. Inſitione in morum rubeſcit pomum, & dat punicum limonem. Inſeritur, propagine, ſemine, ramulo, clavo.

2. Cotonei ramus unius anni conciſus & Lunâ creſcente in vere humo commiſſus, brevi tempore fructum conducit. Amat arbor locum mollem, humidum, pingvem & frigidum, eget frequenti purgatione. Colliguntur fructus maturi Lunâ vetere, ſereno cælo, & per chirothecas. Ubi ſervantur [illegible] fructus alii, ſit locus frigidus, & ab[illegible] fumo, & moto aëre. Omnis plan-

planta huic poteſt inſeri. Locus ſit huic plantæ non durus, non argilloſus. Fructus debet aſpergi oleo oliv.

3. Ramus cotonei qui inſeritur, debet eſſe ab ipſa radice avulſus in Octob. vel Novemb.

4. Pomus ſi ſit in arenoſo ſolo ac arido, poma verminant, & decidunt, ſtercus ſuillum eſt illi utile, putari debet, & ſicco tempore rigari. Contra vermes ſcyllâ circumponitur. Si ſemper verminat felle bubulo, vel ſuillo ſtercore miſto humanæ urinæ radix rigetur, Si dum pangitur planta defodiatur usque ad verticem, immunis & ipſa, & fructus ejus erit à vermibus. Ut fructus plures afferat plumbi laminâ caudex uno pede ſupra terram cingatur, quæ dum poma incipiunt adoleſcere, amoveatur. In omnes figuras ſe fructus accommodabit ſi modulis includatur, ſed moduli habeant perſpirium, ad quod, & in aliis fructibus dum modulo imponuntur, advertendum: alioqui putreſcent. Ut in pyris, cotoneis, perſicis, aurantiis, limonibus. Dulcia erunt poma ſi ſtercus caprinum urinâ humanâ dilutum cum veteris vini fece radicibus affundatur. Non putreſcent, ſi felle viridis

lacer-

lacertæ caudex tingatur, quo etiam facto nulla aſcendet formica. Si defluant poma radix findatur, & fiſſuræ lapis imponatur. Majora erunt poma, ſi quædam avellantur. Quod etiam in aliis fructibus valet. Rubra erunt, ſi tigantur humanâ urinâ, vel ſi roſæ rubentes proximè plantentur, vel vas aquâ rubente plenum apponatur, ut Sole tactum exhalet in poma rubedinem. Si in moro pomus plantetur dabit poma ſangvinei coloris. Matura ſunt poma cùm ſemen habeant nigrum. Non legenda ante 15. Lunæ. Ubi ſervantur, ſint feneſtræ perflatiles ad Septemtrionem calido tempore. Non putreſcent poma, ſi herbâ virentis ſatyrum inuncta fuerint eorum cacumina.

4. Cotonea dum plantatur, ſi parva eſt, ſtercoranda. Si major, cinere opus, vel cretæ pulvere ſemel in anno. Opus etiam circumfodere ne ſterileſcat, & cavendum ne ex una arbore in aliam decidant ſtillicidia. Si ſit ægra, creta & calx viva in aqua ſoluta trunco illinitur. Colliguntur cotonea ut poma, ſervantur in melle, & mel nobilius redduntur.

5. Poma cytrini immaturi ſuccus reſolvit margaritas intra dies 5. vel 6. ad mellis
conſi-

consistentiam, ut ex iis quidvis formari possit. Auro pondus minuunt si in earum succo per horas aliquot maduerit.

CAPUT VIII.

De Ficu & Caprifico.

1. Caprificus propagatur semine, & plantâ, admittit omnem insitionem & activam & passivam. Debet à Septemtrione defendi. Plantatur initio Martii paleis obruendo usque ad ramos & fimo Columborum.

2. Ficus vult aërem temperatum, terram bonam, non valdè siccam. Si creverit in valdè humida, ramos habebit multùm fragiles, placet illi fimus, Vere plantantur rami ejus recentes qui meridiem respiciunt, sed sint absque nodis. Insiguntur terræ & crassi rami, sed infernè finduntur, lapillusque inditur fissuræ, & sic magis radicabitur, argillâ autem vertex muniatur, neque de terra amplius palmo extet. Sed meliùs prodit & certiùs è ramusculis de ficu non novitia sumptis. Sunt decerpendi ante pluvias, alioqui dabunt insipidos fructus.

3. Inseritur etiam ficus in salicem & pomum. Sub ficu si ruta seratur, provenit copi-

copiosè. Inter ſiccas ficus meliores albæ quàm nigræ.

4. Etiam hoc modo inſeritur ficus, arbor parva priusquàm in vaſe emittat folia inflectitur ad terram ramus, & apponitur aliquid hordei aut millii & terrâ obruitur. Hic ramus poſtquam egerit radices, terræ pro nova arbore inſeritur.

5. *Ficus* ventis ac frigore perit. Nec aquas multas habeat. Seminantur ſic. Maceratis ficubus funis atteritur qui ſepelitur, prodeunt arbuſculæ tranſplantandæ. Opus bubulo fimo. Scilla ſerenda prope, à vermibus defendit, recidendi inutiles rami. Ne amittat fructus caprificus ei miſcenda. Aut folia abrotani ſuſpendãtur, aut callum quod in ulmi foliis invenitur, vel Arietis cornua ad radices. Vel truncus aperiatur, ut humor effluat. *Vermibus.* Ramum terebinthi vel lentiſci taleas cum plantis fici cacumine inverſo pone. Vel calcem vivam radicibus inſperge. *Ut ſerò ſint fructus.* Cùm groſſos magnitudine fabæ protulerit, eos decute, ut ſecundos proferat. Utile illi, cùm folia agit rubricam amurcâ diluere & cum ſtercore humano radices perfũdere. Cum frondere incipit ſummitates ferro præſcinde.

Ne

Ne defluat. Caudicem mororum ſucco tinge, vel ſale vel quadrantibus Lunæ caudices rubricâ obline, aut caprifici groſſos appende, vel plejadum exortu aquam cum æquali parte amurcæ radicibus affunde. Vel cancrum fluv. cum rutæ ramo arbori appende, aut faſcem lupino corium ſecuri incidendum. *Ut ſit è ſylveſtri* domeſtica amputatos ramos per 7. dies oleo & vino irriga. *Scabioſæ* ſcillam juxta radicem planta, aut rubricam aquâ ſolutam radici affunde. *Præcoces erunt.* Stercus columbinum, fimum, piper, ac oleum radicibus appone. Vel ſuccum longioris cæpæ cum oleo & pipere ipſos groſſos inunge cum rubere incipiunt. *Ut ſit fructus* diverſicolor, inſiturus, duo ſemina diverſa in linteolo defige in terra, & planta. Deinde tranſplanta. *Figuratas, inſcriptas.* Oculum ficûs ut vis inſcribe. Ficus *ne aves edant.* Decocta caprificus cum cibo avibus & gallinis detur, ſic ficubus parcent.

6. *Carnes* tenereſcunt quæ in fici arbore pependerunt. Taurus ferox domatu alligatur ficui.



CAPUT. VIII.

De Lupino, Arbore & Moro

1. Lupinus si senescat perforatur prope radicem & oleum oliv. foramini infunditur, tum clauditur, inseritur stercori vaccino, irrigatur. Sine ossiculo fructum dabit, si medullâ arboris erasâ lapilli imponantur.

2. Morus gaudet solo arenoso, sed & quovis alio contenta. Transplantatur in fine Febr. & Martio, inseritur persico, aut fico. Eget fimo & circumfossione, ut sit terra mollis & paululùm humida. Cavendum ne una arbor aliam inumbret. Capillos abradunt folia mori cum urina. Candida fiunt mora si stolo illorum populo, inseratur.

CAPUT IX.

De Moscatellis, Myrtho & Mespilo.

1. Inseruntur in cydoniam, sed in malò optimè proveniunt moscatellina.

2. Myrthus non semine sed ramo propagatur. Inseritur autem in salicem, & punicum.

3. Mespili inseruntur in sylvestrem pyrum aut pomium, gaudent circumfodi, putari,

tari, letari. Si vermes infeſtent, urinâ hominis recenti cum pauca calce truncus circumfunditur addito cinere. Ante cibum ſumpti ſunt utiles ſtomacho. Matureſcunt extra plantam in palea. Gaudet arbor terrâ pingvi in mixto lapide vel arenâ, inſeruntur etiam cydoniæ. Surculus non è ſummo vel in fimo ſed ex medio arboris petendus, nam extremi ſunt ſteriles. In ſpinas, vel Morum nigram inſita, dat fructus meliores. Si decidant fructus pars de ejus radice præciſa in media trunci parte figatur. Formicæ ſi infeſtent, rubrica cum aceto & cinere affundatur.

CAPUT XI.

De Nuce Juglande.

1. Prodit ſemine, in ſolam vult inſeri arbutum. Seminet ita ut pars ejus acutior ſit inferior, ſupponatur verò particula teſtæ ut arbor radicem diffundat. Cùm plantulæ hujus nucis tranſplantantur cavendum ne inferatur noxa radicibus longioribus, idcirco fiat tempore ſicco, foſſa, in qua ut ſunt, relinqui poſſunt. Hæ deinde operi circulario ſervient.

2. Nuces iſtæ ſi multæ edantur, capitis

dolorem inducunt, quia sunt digestionis pertinacis, & generant tussim. Umbra arboris inimica plantis, & dormientibus sub illa stupor inducitur. Ut sint fructus majores solitò, plura semina in simul colligantur, & ollâ inversâ tegautur relicto omnibus uno exitu ut se in illo colligant.

3. Arbor hæc omnem aërem sustinet, terrâ pingvi ac molli gaudet, iisdem mensibus & modo eodem atque amygdala inseritur. Si tamen insita est in Novembri transplantanda est in Martio: Si in umbra maneat putrescit. Dum præparantur insitioni nuces, ponantur in latere & suo acumine. Septentrionem respiciant, ac ita sepeliantur: ex hoc deinde sepulchro transferantur in Febr. vel Martio. Cum seruntur distet una arbor ab alia pedibus 40. aut 50. Inseri potest hujus surculus in ipsam suam arborem in Febr. Si nimium sit durus nucleorum cortex radatur, & perforetur.

4. Dabit fructus optimos & corticem in eis subtilem, si truncus atque radix cinere aspergatur. Producet folia in pervigilio S. Joannis Bapt. & simul fructus, si die illâ fructus collectos in ollam posueris inversam, & foramen unicum reliqueris per quod

quod singulorum prorumpant surculi, illâque die eâdem defoderis.

5. Juglandis quò sæpiùs transplantatur dat nuces majores, & in iis corticem tenuiorem.

6. Juglandis locis siccis gaudet, ac lapidosis, si nux seratur prius siccanda in Sole, & in aqua mulsa maceranda, cacumen nucis insitæ Aquilonem respiciat, pars acutior deorsum sit, illa mittit radices, & sub ea lapis aut testa ponenda, ut radicem dispergat sœpius transferenda dum est bima, & cinere respergenda. Stillicidiis ex imbribus quæ ex foliis ejus deffluunt aliis arboribus nocet, & umbra ejus herbas necat. Antequam frangatur, crepat. Quercus si prope sit moritur, & altera in alterius scrobe languet. Antequam nux hæc inseratur, urinâ pueri non corrupti quinque diebus maceretur, idẽ de amygdalis. *Meliores* erũt, caudici affundendo cinerem. *Præcoces*, cupreum aut ligneum clavum usq; ad medullam infigendo. *Molliores*, si terebres per medullam, & occlaves ulmi cuneo. *Deflui*, verbasci radicem vel coccineæ panium detritum alligando *Si putrescit*, excindatur tota putredo, ne autem hoc contingat frequenter

 abla-

ablaquea. *Si durus fructus*, corticem aliquoties aperi ut effluat humor, vel radicum summa præscinde, vel terebrato trunco buxeum, æreum, aut ferreum clavum adige. *Sine testa*, si nucleum testâ exutum ne lædatur tamen, lanâ aut vitis foliis involutum feras. *Amygdalæ* sine cortice, si sæpe trunco affundatur cinis. Idem de aliis quæ extra testam habent. Juglandem lixivio ter in mensem per annum riga. *Occidere* juglandem, lentis grana aliquot successivé mande & ramum florentem morde. *Arbor tabescet*, vel candentem clavum, vel lentis granum radicibus impinge, vel trajice arborem & infunde pueri urinam aut clavum ex myrto dum floret, vel radici ablaqueatæ dyctamus, faba, vel pannus menstruatæ apponatur, vel in terebratam medullam impone mercurium.

7. *Juglandes servantur*, vel in suis foliis, vel in cepis vel, paleis, vel arenâ obrutæ, vel in area ex suo ligno, *& cepæ* meliores fiunt inter quas nuces istæ.

CAPUT XII.

De Olea, Oleastro, Palma, Buxo.

1. Olea ex semine degenerat, sed inseri-

tur

tur cubitalis ramus. Oleaſter inoculatur, Palmaquocũq; modo inſita non degenerat.

2. Palma ſalſo gaudet, & ſal quotannis radici apponitur.

3. Olea ferè tantùm alternis annis fert fructum, ſi viti inſeratur profert ſimul olivas, & botros. Muſcus illi innatus niſi abradatur facit ſterilem. Meliorem ſuccum dat fructus qui nudis digitis legitur.

4. Buxus ut inſeratur amputentur plantæ vertices & radices modicè, atque immergantur aquæ mixtæ cum argilla & ſtercore bubulo, ſerantur verò in Mart. vel Apr.

5. Oleæ ſterilis perforatur radix & ramus Oleaſtri immittitur, vel pini, aut querꝰs & lutum adjicitur cum palea.

6. Oleum oliv. rancidum corrigitur. Alba cera contuſa cum oleo reſolvatur & calida oleo infundatur. Deinde ſal frixum calens injiciatur. Vel, aniſum imponatur. Ut oleum ſit clarum, coquatur, & ſal frixus tenuiſſimè tritus inſpergatur. Purificatur aquæ bullienti infuſum, vel Soli, aut igni expoſitum. Si ſordeat, ſal igni frigeatur, ac calens injiciatur, atque ſinatur exhalare vel, pinea nux candens in oleo extinguatur, vel, cytri radix immittatur, aut fex olei torrefacta. Fætenti etiam lateres veteres

teres candefactiinjiciuntur, vel panis hordeaceus tritus ac linteolo clausus, sed hic ter mutandus, & tum sal infundendus, ac oleum transvasandum. Vel meliditon cum oleo infunditur. Si animal aliquod mortuum sit intra oleum v. g. mus: coriandri manipulus per dies aliquot intra vas pendeat, & mutetur, vel semen fænigræci, uvas passas, acinis liberatas impone, & in vas aceto lotum transfunde. Turbidum, coquatur, & postquam deferbuit, sal tenuis infundatur, & oleum transvasetur.

7 Olea vicina quercui moritur. Odit incontinentes dum plantatur vel colitur. Apes ejus florem non attingunt.

8. Olivas fingunt, pruna alba immatura in aqua saliva macerando.

CAPUT XII.

De Persico, Punico, & Pyro.

1. Persicus vel inseritur in semine, vel implantatur idq; vel pyro, & in illa diutius durat: vel in amygdalum amarum, estq; durabilis, vel nucem, vel in Damascenam vel in cerasum.

2. Punica seminatur vel taleâ, vel propagine crescit. Plãtatur & per stolonẽ, inseritur autem in salicem, vel myrtum, & ipsa multas alias comprehendit. Implastrantur surculi & dulcium, & acrium,

3. Py-

3. Pyrus seminata degenerat, inseritur autem in salicem, sed tardè maturantur fructus & sunt inepti. In punicum, in morum, & rubescunt pyra. In cydonium, in amygdalum, in terebinthum, in mespilum.

4. Persica humido & calido gaudent loco. Seruntur eorum nuclei in terra bona & pingvi in Novemb. profundè viciné & ad duos palmos, biennes transplantantur in Jan. vel Febr. pro hyeme teguntur fimo, aut in eo sepeliuntur, vel in propriis foliis siccis. Si langveat arbor vino veteri cum aqua rigatur. Vermes si adsint, cinere cum oleo, vel tertiâ parte aceti mactantu[r]. Si decidant fructus, finditur radix, vel [illegible] bratur & cuneus salignus infigitur [illegible] ctus sint putridi & scabiosi, circa te[illegible] arbori cortex demitur, & vulnus arg[illegible] cum paleis oblinitur. Lupi abscinduntu[r] quotannis ne rami arescant.

5. Persicorum insitio sic habet. Nuclei illarum circa salices teneras seruntur, & ramus salicis in modum arcus flectitur ac perforatur, per foramen traducitur ramusculus persici & cerâ circùm occluditur, & ita sepelitur ut sola pars exter[ior] ramusculi persici superior: post duos annos post-

quam cum ſalice concrevit, amputetur ramuſculus perſici à ſua radice, & manebit ſalici inſitus, ſed tunc rami ſalicis omnes amputandi.

6. Pyra meliora in valle quàm in plano. Si decidant fructus admoveatur radici fimus porcinus. Pyra ſervantur intra ſtramen in loco ſicco frigido ad quem novus aër non pertingit. Pyrus in terra macra facit parvos ſed bonos fructus, in valle magno, ſed inſipidos. Surculi cum illis opus ex parte meridiana ſcindendi. Optimus modus pyros plantandi eſt hic, pyros ſylveſtres affoſſas in Martio plantare, & illis ſurculos inſerere. Opus autem ramos aridos tollere, quia illi alunt vermes. Si pyra jejunus ederit & aquam ſuperbiberit, notum eſt.

7. Perſica in frigore dimittit flores, amat ſolum ſterile & arenoſum, nuces earum dum feruntur ſunt rumpendæ; alioqui neque poſt duos annos è terra prodibunt, ſerendæ acumine ſurſum. Si infeſtent formicæ inſpergendus cinis. Si fructus ſcabioſus, ter in longum truncus findatur. Comeſta ante cibum præparant appetitum, & roborant ventriculum, ſumpta poſt

post cibum noxia nisi vel sicca, vel in confectione edantur. Flores instar lactucæ sumpti purgant corpus. Surculi persicæ de summo & infimo arboris sumpti, sint steriles: de medio boni. Sed nuclei si serendi priùs in lixivio per triduum jaceant, sic enim citiùs prodibunt. Ne fructus in arbore marcescant, truncus aperiendus ut aliquid humoris effluat, quo facto, claudendus luto. In rosas insita persica dant fructus rubros.

8. Pyra erunt sine granulis duris, si radicem nullus attingat lapis, & terra circa illam sit cribrata. Erit fructus cujus dimidium pyrus & dimidium pomum, si surculi pomi & pyri in longum fissi in unum jungantur, & arbori inserantur.

9. Persica & cotonea erunt in eodem arbore si una in aliam inseratur. Et si persica inseratur amygdalæ, mixtos dabit fructus. Persica erunt rubra, si prope arborem plantentur rosæ. Vel nucleum persicorum terræ comissum post dies septem erue & aperto cortice rubrum colorem non metallicum infunde, ac rursus terræ manda, idem, de alio colore. Intus persica nucem habebunt si in nuce plantentur. Habebunt

nucleum amygdalæ si surculus amygdalinus persico unitus in prunum plantetur.

10. Pyrus optima est quæ inseritur. Eget fossione cùm floret, sic enim florem retinet si ubi defloruit statim nubilum ac pluvium sit cælum fructus amittit. Letamen debet apponi mixtum cineri. Ut dulciora sint ac plura pyra truncus circa radicem terebretur, & cuneus ex quercu vel fago intrudatur, aut vini fex nudatæ radici affundatur. Si ægrotet dum floret radicibus fex vini veteris adjiciatur per triduum, postea terrâ obruatur. Si verminet, radices felle bubulo perungantur. Rubra pyra sunt moro insita. Colligenda Lunâ decrescente neque manu nuda.

11. Persica inseritur pruno. *Si langvet*, vini fæces aqua mistos radici affunde, & obumbra à Sole. *Verminant*, bovis urinam cum aceti tertia parte affūde *Pruinæ* stercus ingere vel aquam fabarum decoctionis. *Vitia ejus* omnia sanat spartum alligatum, vel suspensa ramis spartea. *Sine ossibus*, perfora truncum, medullam excinde, & salicis vel corni clavum adige. *Magna*, (idem de nucibus &c.) aliquot nucleos in unum corpus compinge & liga & in terra stercora-

ta ſepeli & claude relicto foramine per quod germen exeat. Hanc tranſplanta, vel perſica alia avelle ut pauca maneant. *Rugoſa & putria*, circa truncum corticem aperi ut humor effluat tum argilla tege. *Caducis* cuneum lentiſci vel terebinthi adige in radicem, aut terebratæ in medio clavum ſalicis. *Inſcripta erunt*, aperi teſtam, quod ut facilius fiat prius in aqua triduo macera, tum in nucleo ſtylo æneo ſcribe ita ut ſolus cortex ejus penetretur, &c. recludе & foliis aut charta involve & ſere: *Rubra*, ſi roſas rubras ſub arbore ſeras. Vel depone in terram & poſt 7. dies ubi ſponte aperitur colorem nucleo affunde, & religa oſſa ac defode. Idem eſt de aliis *coloribus* & ſaporibus.

CAPUT XIV.

De Platano, Quercu, Rhododandro, Sabina, Sorbis.

1. Platanus propagatur viva radice. Quercus ulmo inſeritur teſte Virgilio. Rhododandron ſemine. Sabina avulſo ramo. Sorba, ſemine, viva radice, partis avulſione.

2. Sorbus a ventis vult agitari. Si vermes

mes infestent, aliquos ure, cæteri odore pellentur. Feracitati prodest si cuneus ex tæda factus radici inseratur, vel si radix cinere obruatur.

CAPUT XV.

De Pruno, Pomo, rursus Armeniaca.

1. Prunus aëre temperato, pingvi, & humido solo gaudet. Fimus facit verminare fructus. Cùm nuces ejus serendæ priùs per 4. sint dies in lixivio, inseruntur terræ cultæ profunditate palmi Verno tempore, post biennium transplantantur. Meliores fructus qui Solem aspiciunt. Radicibus apponitur cinis. Dum infirmatur, perfunditur radix urina hominis, aut cinere.

2. Ut pomus det fructus dulces perfundatur radix fece Vini veteris, aut urina hominis. Letata bubulo dat gravia & spissa poma. Si dum plantatur felle bubulo tinxeris, immunem facies à vermibus. Ne sint lapidosa, omnis lapis à radice amovendus, & terra cribrata apponenda. Rubra erunt, si vas aquæ collocetur in vicino in quod radii Solis incidant, & vapor ex aqua evocatus tangat poma. Dulcia erunt, si radix irroretur urina hominis in

qua

qua solutum est stercus capræ & fex vini veteris. Copiosa erunt poma, si truncus in distantia unius pedis à terra laminâ plumbeá circumdetur, sed cùm arbor incipit florere, tollatur lamina.

3. Armeniaca sive morella simili gaudet aëre ac prunus, terrâ verò molli, non argillosâ, nec cæmentosâ, nec arenosâ. Nuclei inseruntur in Jan. vel Feb. transferuntur in Octob. Novemb, Febr. Martio. Potest surculus implantari oleæ, persicæ, amygdalæ, sed vix succedet, solo ergo nucleo prodit. Arbor maximè dum est tenera rigari, & circumfodi debet.

4. Prunus bene provenit humido, lapidoso, & arenoso loco, fimum horret, ex eo fructus acrescit, & decidit. Ut sint dulciores, exsiccato semine terræ comitte & transplanta. Seruntur in Novemb. tres palmos profundè.

5. Armeniorum nuclei ad tres digitos in terra defodiuntur, & contra acria frigora fimo equino muniuntur. Seruntur in Martio triduò ante Lunam plenam.

6. Pomus verminat in loco macro. Sylvestres quæ non excesserunt triennium debent transplantari, sed opus ut easdem mundi

plagas respiciant quas in sylvis, sed meliùs si pomus supra domesticam arborem inseratur, & cinis radici apponatur. Ut meliores det fructus radici affunditur urina hominis, aut fimus caprinus, aut fex vini vetus.

7. Prunus si langveat bubulum aut humanum lotium vetus per æquas partes cum aqua mixtum radici affundatur. Si formicæ aut vermes infestent rubrica, & pice liquida aliquantùm radices tingantur. Sine ossa erunt pruna, si arbor tenera usque ad radicem findatur, & medullâ crassâ ligetur, & vulnus argillâ & cerâ obducatur, ac chartâ madidâ muniatur, concrescet intra annum, huic surculos qui nondum fructum tulerunt inseres, & sine ossiculis fructus prodibit. Idem de cerasis, persicis, mespilis, cornis. Prunus potest inseri juglandi.

CAPUT XV.

De Therebintho, Tuberibus, Granato.

1. Therebinthus inseritur in cerasum. Tuber in prunum sylvestrem.

2. Granatum loco multùm calido eget, in frigido sterilescit, terrâ argillosam, pingvé amat, sed arenam magis. Seritur præter alios, etiam in hunc modum. Stipes eius

circa

circa unam extremitatem cultello compungitur, ut radices per corticem possit emittere, & terræ bene incutitur, vertex fimo porcino illinitur, itemque caudex ad dimidium palmum, & hoc fiat Vere, & servetur sine multa aqua. Flores ne cadant urinâ humanâ perfunditur, aut cinere, aut lixivio. Ne fructus scindantur, prædictus stipes in quatuor partes finditur & lapides inseruntur, neque stipes terræ infigitur, sed fossæ immittitur plenæ fimo porci. Pluvia flores decutit. Arbor etsi aruerit relinquit aliam radicem quæ repullulat. Fæcundior est si truncus linatur portulacâ cum catapucia contusa. Majores fructus dabit si adaquetur lixivio mixto aquæ. Dulciores, si radices luto porci illinantur, & irrorentur urinâ hominis.

3. Inseritur & hoc modo granata in loco cœmentoso, ramus in terra pangitur in Martio vel Apr. neque rigatur. Si fructus dabit acidos, radici cuneus è pingvi tæda infigatur. Si flores defluant, caprinum & suillum stercus cum aqua dilutum ter in anno radici affundatur. Vel libra olei oliv. Signum maturitatis fructuum nigredo. Major erit fructus, si dum è ramo pendet, ollæ fictili

fictili immittatur quæ optimè claudatur ac in terra sepeliatur.

CAPUT XVI.

De Sepibus & spinis.

1. Sepes sunt aut internæ inrta hortum quæ areolas dividunt, & fiunt ex variis plantis: aut externæ quæ hortum vel pomarium concludunt. Et fieri possunt vario modo, ex muro nimirum, lignis, sed optime è spinis fossà succinctis.

2. Spinæ seruntur è cardi collectis seminibus quæ tamen Sole priùs sint siccata, Insitio autem fit in Octob. vel Novemb:

3. Sepes internæ hortorum tondentur ante Pentecost. Fiunt & ex pomis paradisiacis quæ dicuntur Mysniaca, fiunt & ex Cydoniis.

4. Sepes externæ de spinis vivis. Defode circa hortum scrobem profunditate ulnæ, macera eruum, & rubi ac paleuri, & oxiacanthæ semina in aqua per diem ut fiant sicut mel, hoc funem illine ac cinere asperge, ac in scrobe depone, postque modicum tempus terram injice, post dies 28. germinabunt. Hoc faciendum sub Verno Æquinoctio. Vel virgas rubi concide & profun-

profunditate palmi ſepeli, atque irriga. Vel rubi fructus maturos funi affrica deinde terrâ ac ſtercore obrue, riga per 15. dies veris initio. Vel funem nauticum putrem eruo cum rubi ſemine affirica, defode, riga. Columella hoc modo iſtas ſepes docet. Effode duos ſulcos poſt æquinoctium autumnale, & ita maneant per hyemem, Collige ſemina ſentium, paliuri maturrima, erui etiam, adde farinam & aquâ ſubige: hâc maſsâ funes, vertices, & ſimilia imbue, & exſicca, tum poſt hirundinum adventum, terrâ illos ſulcos ad medietatem imple, & funes illos impone atque terrâ modicè obrue. Poſt 30. dies plantæ prodibunt, illas contra ſe inflecte ut ut ſibi implicentur. Alii ſic. Moris rubi maturis funem illine, ac terrâ fimoq́; obrue, & riga. Vel virgas rubi crasſiores concide, & palmi altitudine defode, riga. Vel plura diverſi generis ſpinarum ſemina ceræ, aut reſinæ immiſce, & produc tenuiter per foſſam è qua naſcituræ ſepes, ſed illa ſit optimè ſtercorata. Vel ſulco ducto ſpinarum, arbuſculas planta, ut tamen una ab alia diſtet.

SUBSECTIO III.

De morbis ac remediis arborum.

Agetur & de remediis communibus, & particularibus arborum.

CAPUT I.

De Morbis & remediis communibus.

1. Quævis arbor curatur vel stercoratione, vel irrigatione, vel ablaqueatione, vel transplantatione, vel fossione, vel scarificatione. Ablaqueatio, est denudatio radicum circumquaque per quam redditur melior tellus, vel faciliùs pluvia ad radices descendit, Stercoratio est affusio alicujus pingvis humoris ad arborem impingvandam & confortandam. Principales sunt liquores amurca cum parte aquæ pari. Feces vini veteris. Aqua lupini, fabarum, pisorum, cicerum decoctionis aut macerationis, & eorundem caules, folia, vetus urina humana, eaque virilis vel pecorum, alitum diversa stercora. Vel sola, vel diluta aquâ, vino. Inter fimos juxta aliquos hic ordo. 1. Suillus præstantissimus. 2. Columbinus & volucrum aliarum non aquaticarum. 3. Asininus fertilissimus & non generat herbas.

bas. 4. Caprinus. 5. Ovillus. 6. Bubulus. Equinus & mulorum est vilissimus nisi sit triennis. Sed cinis superat omne letamen, enecat enim vermes hortenses, pulices, erucas. &c. Tandem compositum Jo. Bapt. Porra est optimum. Rec. Pingve letamen. suillum stercus, vini feces, hordeaceos furfures æqualiter. Servetur per annum loco ab aquis tuto, & singulis mensibus remisceatur. Tum addatur acetum, & fiat ungventum. Hoc composito si radices punicæ per tres annos unxeris, poma in infinitum augebis.

2. Transcuneatio est, quando pars arboris perforatur, vel scinditur, & in foramen aliquid immittitur. Fit vario modo. 1. Radix finditur, & quernus, vel fagineus palus immittitur, vel etiam lapis, tum radix terra operitur, secundò terebratur arbor Gallicâ terebrâ, & immittitur cuneus, vel vel talea viridis ex oleastro.

3. Omni anno ad minùs semel arbores circumfodiantur apponendo parum fimi, vel pulveris de via, vel novam terram.

4. Dum arbor multa folia paucos affert fructus tempore frigido ejus radix findatur ut succus superfluus effluat. Ex aliis arbo-

ribus defluentia stillicidia lædunt arborem: scarificatio prodest, cùm durus nimis cortex. Laboranti arbori veteris vini feces aquâ mistæ affundantur. Si ardore Solis arescat, frequenti aggestione terræ cumuletur, & defendatur umbraculis. Pruina si offenderit, addatur fimus, vel aqua in qua fabæ coctæ. Contra vermes urina bovis cum aceti tertia parte confunditur, & affunditur. Si copiosa det folia sine fructu, vel illum tardè profert: factus ex ligno viridi cuneus radici infigatur.

5. Si arbor non crescit, apponendus radici fimus porci mixtus cum terra & modica fece vini. Ubi cortex inflatus est subtus solent esse vermes, fiat insitio ut humor effluat, & vulnus ungatur fimo bubulo aut porcino contusis cum salvia & calce viva modica.

6. Omni morbo arborum multùm prodest, vel fex vini, vel oleum oliv. affusum radici. Cùm fructus decidunt, lolio arbor ligetur, vel radici cuneus è corno injiciatur si amittit flores, circumfodiatur radix, & aqua affundatur in qua maduit palea fabarum. Quando nimis citò floret arbor, aperienda radix non principalis, ut humor effluat,

effluet. Morbi corticis proveniunt ex loci humiditate, si tardè fructus affert, ejus radix ad medullam perforanda, & ligno claudenda ac cerâ. Cùm decidunt fructus radici infigendus lapis. Contra formicas, quando pluit serratura querna circa radices ponatur, ex his enim nata aqua necat formicas,

7. Arbores arescunt si diebus canicularibus circumcirca avellatur cortex vel si radix, decorticata aquâ ferventi, aut oleo perfundatur, vel foramini usque ad medullam facto mercurius infundatur.

8. Arboris antiquæ cortex est durus ideoque sterilescit, tum diffissæ radici lapis inseritur. Si arbor nimis aquosum det fructum, stercore columbarum foveatur, per quod etiam fructùs fiet odoratior.

9. Arbores quæ in Febr. plantantur immunes sunt à vermibus quoad suos fructus. Vel cùm plantatur surculus thus in pulverem redactum immittatur intra corticem trunci in quo fit plantatio. Arbores hyeme plantatæ non verminant. Si autem jam arbor verminat myrobalanum redige in pulveres & facto in arbore usque ad medullam foramine, infunde; & clavo facto ex ligno cynosbato occlude. 10. Ar-

10. Arbor multùm florescet neque dimittet flores si in Febr. radix circumfodiatur, & in fossam aqua ducatur ut congelet, & glacies terrâ obruatur, deinde in fine April. vel in Majo glacies amoveatur, & optima terra infundatur.

11. Fructus à vespis uon patientur si oleo oliv. conspergantur, vel saltem hoc oleo in os accepto in illos inhaletur.

12. Universim, radici affunde fecem vini, vel circa sere lupinum, vel amurcam æquè cum aqua mixtam, aut decoctionem lupini funde. Si langveat, radices vetere urina viri, vel pecorum perfunde, & bubulo felle perunge. Syderatæ solis æstu, aquam frigidissimam post solis occasum non lucente Lunâ affunde, vel cinge herbâ symphoniacâ.

13. Si nimia sit arbor in flore, in fructu modica truncum prope terram perfora, & clavum ex fago aut quercu imprime, atq; terrâ obrue. Fæcundior erit si tithymalo cum portulaca tuso ungatur.

14. Ne flos decidat, lolio vel plumbeo vinculo arborem liga, & radici perforatæ corneum clavum immitte, ac terrâ obrue. Vel rubricâ cum aqua illine, vel cancrum cum

cum rutæ ramo ac lupinorum fasciculo appende.

15. Si flores & folia defluant, fabarum paleas in aqua maceratas circumpone radici.

16. Si verminet, scyllam in circum planta, aut piceos circa bacillos defige. Vel columbinum stercus ad radices, vel tauri fel, pone: vel fæcem veteris vini per triduum affunde.

CAPUT II.

De Morbis & Medicinis arborum in particulari.

1. Amygdalus amat locum durum & calculosum: urinam, & suillum stercus: ut fiat ferax tedâ pingvi, aut querno palo, aut silice radix trajicitur. prope radicem inciditur.

2. Cerasus horret fimum, stercoratur verò suis ipsius putaminibus, amat feces vini, & in trunco scarificatur ac inciditur.

3. Cotonea vult sæpè circumfodi, alioquin sterilescit. Vult sæpè rigari & quidem amurca cum parte æquali aquæ: vult stercorari semel in anno.

4. Ficus gaudet aprico & calculoso so-

lo: cùm emittit folia gaudet humano fimo & amurcâ: cùm fructum amittit scarificatur semel truncus: amat urinam veterem cùm germinat. Fimus columbinus præmaturat fructum.

5. Malus non amat assiduum humorem, dulcescit autem stercore caprino soluto urinâ aut fece vini. Radix trajicitur lapide, sic poma non cadunt; gaudet ovillo stercore cum urina humana.

6. Mespilus non amat humorem sed terram sabulosam: amat putari, & circumfodi, vermes enecantur suillo stercore & urinâ humanâ. Frusto suæ radicis trajiciatur arbor, & non decident fructus.

7. Morus amat vites, & non assiduum humorem. Si trajiciatur cuneo hinc lentisci inde terebinthi fæcundior redditur. Putanda est post triennium.

8. Nux juglandis amat lixivium sæpius in anno, aut cineres: potest trajici clavo cupreo, ferreo, ulmeo, buxeo.

9. Olea amat colles & argillosa loca, gaudet sicco, amat fimum, urinam humanam vel suillam. Ablaqueanda. Terebranda & implenda duobus ex opposito clavis, vel oleastri viridi taleâ. Gaudet amurcâ cum aqua.

10. Per-

10. Persicus amat arenosum & aridum locum maximè æstate vesperi bené irriganda, palo transfigitur, veteris vini feces aquæ commistas amat. Stercus contra vermes valet aut aqua fabacea. Cinis amurcæ mistus contra vermes cuneus lentisci aut terebinthi in radices, vel in medium truncum salignus adactus retinet fructum. Ablaqueatione gaudet, stercoratur optimè suis foliis.

11. Prunus juvatur humore frequenti, item fossione. Gaudet lotio bubulo, vel humano veteri æqualiter cum aqua misto, item cinere è furno, maximè sarmentorum. Letamen contra vermes fructuum prodest.

12. Pyrus gaudet annuatim quocunque letamine, Truncus prope radicem trajiciatur palo querno aut fagineo, aut pineo sic fæcundabitur.

13. Vitis curatur sterilitas radice fissâ & lapide indito. Gaudet affundi sensim veterem humanam urinam. Amat stercus terrâ mistum. Curatur ægra cinere sarmentitio aut querno cum aceto. Botri ne citò putrescant cinis vetus radicibus inspergatur.

14. Moritur arbor si cicutæ succus in

quo per diem flores lupini jacuerunt, radici affundatur. Similiter, si sub canicula arbor usque ad medullam terebretur & petroleum cum sulfure injiciatur.

CAPUT III.

Alii morbi & medicinæ arborum.

1. Amurca cum aqua arbores facit feraces: meliores fructus fex vini aut lupinorum decoctio, hæc affunditur trunco. Summum autem remedium, vetus humanum, aut pecorum lotium.

2. Quernus vel fagineus palus in radices immissus facit fructiferas: Suillum stercus vino dilutum, vel columbinum, item fex vini veteris per triduum affusa facit contra uermes.

3. Amygdalus ut fiat ferax in truncum supra radices infige tedam pingvem aut silicem, aut quernum palum. Incidenda propè radicem urinam & suillum amat fimum.

4. Cerasus in trunco incidatur, feces vini trunco florentis arboris infundantur. Citria gaudet humore cucurbitarum & assidua fossione.

5. Cotonea sterilis aut ægra curatur amur-

amurcâ miſtâ æqualiter aquæ : & dum eſt minor, ſtercore, dum major, cinere ſemel in anno radicibus immiſſo, circumfodienda ne ſterilescat.

6. Ficus ne fructum amittat ſcarificetur quâ parte turget. Contra vermes ficuum, amurca, vetus urina, lętamen, oleum.

7. Arboris infrugiferæ remedium paleæ fabaceæ radicibus applicatæ : Vel portulaca cum tithymalo contuſo mixta.

8. Arbori ex qua fructus defluunt, lolium cum radicibus evelle & in modum coronæ trunco alliga, vel circulum plumbeum. Vel perfora radicem & clavum ex corno immitte, & terrâ obrue, vel finde aliquot radices craſſiores & ſilicem immitte.

9. Si flores ex arbore decidant, circumfoſſis radicibus palearum fabacearum aquâ maceratarum copiam appone.

10. Ne vermes producat arbor, terram lemniam cum origano & aqua tere, & radices illine, vel ſcillam in circuitu planta. Alii dicunt, ſi piceos taxillos circa arborem defrixeris, tabeſcent vermes & decident. Vel ſtercus ſuillum vino dilutum frequenter arbori circumpone. Vel columbinum ſtercus radici applica.

11. Mori arbor fit feracior, si perforato penitùs trunco, hinc therebinthi inde lentisci cuneus inseratur. A pruinis Persica liberantur decocto fabæ, vel fimo vel fecibus vini aquâ mixtis. Appensa nuci loco amuleti est ne defluant fructus, verbasci radix. Juglandis mactatur si quis ramum florentis arboris momorderit masticans grana aliquot lentisci. Item arbores pereunt si candens ferrum vel lentis granum radici imprimatur. Vel si in trajectam arborem infundatur lotium pueri, vel cuneus myrthinæ, præsertim cùm florent, vel mercurius, vel petroleum cum sulfure sub diebus caniculæ. Vel si radici ablaqueatæ imponatur dyctamnus, faba, vel pannus menstruatæ, vel flores lupini iu succo cicutæ per diem macerati.

12. Ne mala punica findantur, in plantatione aliquot lapides radici apponantur: si verò jam satæ, scilla circa radices plantanda.

13, Ne flores decidant, veterem urinam cum pari aquæ mixtura ter per annum radicibus affunde vel truncum florentis plumbeo circulo conclude, altitudine pedis à ter-

ra,

ra, & cùm fructus cæperint adoleſcere, adimatur circulus & hoc fiat quotannis.

14. Ficus ne fructus abjiciat, ſale ac marinâ algâ radices obducuntur. Vel arietis cornua circa radices ſepeliuntur. Vel in pleiadum exortu pares partes aquæ & amurcæ radici affunduntur.

15. Meſpilus contra vermes aquâ decocti lupinornm, urinâ veteri humana, aut amurcâ perfundatur.

16. Ut fructus moſcatos arbor ferat, ſtylo ferreo medulla extrahatur ac nuce moſcatâ trita impleatur, dein foramen claude ne aqua iufluat. Nuclei ut ſint majores, ſemina aliquot intra ollam everſam plantentur, ut unicum habeant exitum.

17. Malus dabit rubros fructus ſi circa illam roſæ plantentur, vel ſi urinâ irroretur.

18. Fructus ne ex arbore decidant, findatur radix, & fiſſuræ lapillus inſeratur, tum fimo cum cinere ſtercoretur.

19. Prodeſt arbores circumfoſſas die S. Valentini variis frugibus circumfundere, & poſtea tegere. Tum die Nativitatis Domini ſtramine ſiligineo circumligandæ, & die Epiphaniæ thure & myrrhâ benedictis ſuffiuntur cauſa pietatis.

20. Ne

20. Ne rubigo arbori noceat, in Martio circumfodiatur, & aqua ex fimo affundatur, quod ipſum prohibet ne fructus decidant. Ut fructificent, ultima lunæ Jan. abſcindendi ſurculi, inſerendi ultimis diebus Martii. Arbor citiùs creſcit quæ frequentiùs circumfoditur. Fertiliorem putant ſi ex ea appendatur ſemen roſarum, ſynapis, & pes unus damulæ. Sed hæc res videtur ſuperſtitionem olere.

21. Si non craſſeſcit arbor cortex trunci bis aut ter in longum ſcindatur. Dum nimios protulit fructus, aliqui decerpendi, reſidui erunt meliores, neque ramos frangent, & ſequenti anno fructus erunt copioſi. Poma meliora ex juvene arbore. Si verò decidant, adimantur viliora & retinebuntur meliora.

22. Floreſcentibus ne pruina noceat, curandum ne citò floreant, hoc fiet ſi radici nives apponantur & fimo tegantur: cùm tempus à pruina ſecurum, rejiciantur nives tum arbor aſloreſcet.

SUBSECTIO IV.

De collectione & conſervatione Fructuum.

1. Fructus qui ſervari debent colligantur

ligaotur Lunâ decreſcente tectis manibus. & cum rore; tum aliquomodo reſiccentur, & læſi ab incorruptis ſeparentur, reponantur vero in eo loco quem ventus & novus aër non accedit, neque nimis maturi colligantur, ſic diutiùs durabunt.

2. Servari etiam poſſunt in dolio alternis ordinibus interponendo ſtramen conciſum. Etiam botri vini ita ſervari poſſunt, deinde dolium undique benè contegatur, ac in loco ſicco ſtatuatur.

3. Poma ſervantur integra in cumutia hordei. Contra frigus telâ madida teguntur, quæ congelata novum frigus arcet. non tangenda, ita collocanda ut eorum ſtipites ſurſum ſpectent, poma & pyra colligenda ſereno die, non pluvio, aut nubilo, alioqui citò vitiarentur.

4. Ceraſa ante Solis ortum colliguntur, ut in olla jaceant interponendo per ordines ſatureiam, vel folia arundinum. Cedri ſervantur in ſuis foliis, cotonea in fece vini, aut in olla clauſa injiciuntur vino, ſervantur & in hordeo, & in lignorum ſerratura, ſed ſint procul ab aliis fructibus, quia odore ſuo nocent. Juglandes ſervantur in propriis foliis ſiccis, vel palea, vel in vaſe

facto

facto ex juglandis ligno, vel inter cepas quas etiam reddunt mitiores. Granatæ vasi olei oliv. impositæ clauduntur, sed ne sit oleum rancidum, vel inter cannabes, vel in scobe querna. Poma servantur in vase fictili non vitreato. Mespila verò in vase vitreato. Pyrorum cauda luto inducenda. Ponuntur in scobe ligni, vel inter folia nucum sicca. Mori in suo succo intra vas vitreum. Aurea poma in cannabe ne se contingant: persica in aceto. Ex istis eximuntur etiam nuclei & instar ficuum siccantur.

5. Poma etiam benè servantur in tabulis in loco frigido & siccissimo ad quem non pervenit ventus, ne tamen unum attingat alterum & pediculi sursum spectent, neque manu contingantur, subtus autem & suprà sit stramen. Idem observandum cum pyris. Sed colligendi fructus ante plenam maturitatem.

6. Cerasa ut aliquamdiu durent ante Solis ortum colligenda ac reponenda, ut verò durent diutius, seligantur ut nullum intra illa sit putridum, tum intra lagenam vitream imposita benè claudantur, ita ut nihil aquæ aut aëris subintrâre possit, & ita in puteum summittantur satis diu durabunt. Servantur item

item cerasa si in vas, tecto prius fundo satureiâ, imponantur, & adjiciatur nonnihil aceti mulsi aliquantùm dulcescentis, vel alternis ordinibus satureia insternatur cum cerasis, aut folia arundinum.

7. Mespila ut durent sereno meridie legenda & ex suis pediculis suspendenda. Nuces si suis putaminibus nudentur, id est juglandes, & melli immergantur, toto anno virides manebunt, & ipsum mel ita medicinale faciunt ut fauces & arterias curet.

8. Racemi vini post plenam Lunam colligantur, die sereno circa decimam quartam horam diei rore jam deterso, sint autem tempore collectionis in vigore, neque crudiores, putridæ forcipe recidantur ne alias corrumpant, incisi ramusculi in calidâ pice intingantur. Quo facto accipiatur argilla figulina recens probè subacta, & aquâ diluatur, & in liquidam botri immersi, suspendantur donec siccentur. Quibus siccatis vas præparetur testaceum in quo dicti botri deponantur, & optimè claudantur, ac in cellario serventur. Denique per totum annum durant uvæ si dum adhuc sunt paululùm asperiores collectæ aquâ calidâ alumen immixtum habente

tingantur, statimque ex illa eximantur.

9. Poma servantur in olla fictili cerâ internè inducta at bene clausa. Item si terrâ figulinâ incrustentur, & siccentur, & reponantur. Item substratis juglandium foliis non caducis, vel obvoluta foliis viti-gneis, ac luto illita, alii solos pediculos luto illinunt. Alii condunt in cisternis clausa in vasis fictilibus bene picatis, vel solùm eorum pediculos picando. Alii in hordeo vel millio sepeliunt. Alii in musti doliis mergunt & claudunt. Et hoc de omni fructu, omnia poma melle optime servantur sed separatim. Non putrescent, si usta satyrii virentis illita fuerint illis cacumina. Poma per annum durant si inter folia querna in dolio bene clauso merganur in puteo, vel fluvio.

10. Pruna quæ siccanda sunt postquam decerpta sunt per decem dies & amplius jaceant, tum in furno supra stramen, vel salicis ramos siccentur. Succus ex baccis sambuci utilis ad condiendum, ita fit. Baccæ recentes coquantur bene & percolentur, tum supra tabulam farinâ conspersam succus effundatur ut crassescat.

SUB-

SUBSECTIO V.

De Arborum degeneratione.

1. Aliæ degenerant ſi non putentur, ſic vites non putatæ tranſeunt in labruſcas, quod enim abiturum erat in fructus, hoc in ſtolones abit, quâ ferè de cauſa arbores juvenes infæcundæ ſunt, cùm totius alimentum in firmitudinem corporis impendatur. Aliæ degenerant ſi non circumfodiantur, ſic degenerat ac ſterileſcit cydonia. Quia aqua cæleſtis non poteſt ad radices penetrare ut præſtet arbori alimoniam, etenim terra niſi fodiatur dureſcit, & inutiles herbæ trunco admotæ ſuccum furantur.

2. Aliæ degenerant ſi non ſtercorentur, maximè ſi ſolum ſit macilentum. Aliæ degenerant ſi non habeant conſortem, ſic palma non infrugifera ſolùm, ſed etiam inflorifera, niſi fæmina habeat prope palmam maſculum, imò niſi etiam flores palmæ maſculæ floribus vicinæ fœminæ opponantur nunquam hæc fructificabit.

3. Degenerant etiam ratione ſoli improportionati, ſi v. g. quæ cælum deſiderat calidius in frigidiore plantetur, vel à contrà. Sic fructus Europæi horrent In-

dies orientales, five enim eò plantæ inferantur, five femina: aut nullos fructus producent, aut in odore, fapore, magnitudine, &c. degeneres, imò femen ex illis collectum dat aliquid fpeciei diverfæ.

4. Omnis arbor arefcit fi illi ad radicem fabæ femen ponatur, vel fi grana lentis jejunus mafticet ac mordeat ramos, vel fi perforatæ clavus myrtheus infigatur.

SUBSECTIO VI.

Quarundam arborum proprietates.

1. Morus nonnifi exacto frigore germinat, & cum germinare incipit ita feftinat ut ftrepitus audiatur tefte Plinio. Amygdalus è contrà citò prodit, ideoque fæpe fructus perdit.

2. Palma nil foliorum abjicit, & contra pondus infurgit, in omni arbore partes robuftiores Aquiloni oppofitæ quàm quæ Auftrum fpectant aut Zephyrum. Juglans antequam frangatur dat crepitum. Hedera complexu fuo necat arbores. Fraxinum fylveftrem adeò ferpentes horrent, ut matutinas aut vefpertinas illius umbras quamvis longiffimas nunquam attingant, malintque ignem intrare. Expertum fe id

fcri-

scribit Plin. lib. 16. cap. 13. & serpentes è terra non prodeunt priusquàm floreat fraxinus, nec se terræ committunt antequam illa dimiserit folia.

3. Post solstitium invertit folia ulmus, tilia, populus, &c. Buxus semper viret sed odore est noxia, & semen præbet ingratum animantibus. Ficus non floret, & si alligetur illi taurus ferocissimus dicitur mitescere. Vitis nisi putetur gracilescit. Cedrus viventia corpora corrumpit, defuncta servat incorrupta, teste Plinio lib. 24. cap. 5.

4. Cupressi lignum cariem & vetustatem non sentit neque rimas. In terra sancta quædam plantæ Synapi reperiebantur quas homines uti arborem conscendere poterant. Babilone etiam millium ad arborum proceritatem excrescebat. Cupressi semina adeò exigua ut vix conspici possint, & in magnam arborem excrescunt.

5. Quot sunt acini in uno malo punico, tot in aliis. Nuclei olivarum è collo gestati vetant catharros & defluxus in pectus.

6. Si in poculo facto ex taxo Italico vinum steterit fit venenum, in hujus umbra dormiens perit, pecora quæ hujus arboris comederint baccas intereunt.

7. Lu-

7. Lupinum, ait Apuleius, cum sole circum agi etiam nubilo cælo & horas indicare, debet negligi cùm seritur. Ventriculo superpositum lumbricos pellit.

8. Punica omne insectum fugat. Glande quernâ apertâ invenitur delineatio futuræ ex illa quercûs.

9. Si cortices juglandium virides contundantur & in aqua macerati in terram effundantur in lumbricos abeunt. Suber lignum dempto cortice non natat. Quercus tot habet ramos quot radices.

SUBSECTIO VII.

De Fructuum immutatione, &c.

1. Diversos fructus eadem arbor dabit si ei diversi surculi inserentur. Hoc modo ex eadem vite, & rubræ & albæ prodibunt uvæ.

2. Ut fructus solitò majores arbor ferat, triplici modo obtinetur. 1. Tollendo alios fructus ex arbore, & tantum paucos relinquendo, hi residui cùm multum habeant alimentum valde pingvescent. 2. Surculum v. g. pyri accipe & insere in arborem quæ aliàs fert pyra grandia: vel certè insere in aliquam arborem valdè succulentam: vel

vel insere in eandem arborem de qua recisus est surculus 3. Per cultum extraordinarium, ut putationem frequentem, aspersionem, fimationem. Putant aliqui si fimus feci vini, & furfuribus hordeaceis cum aceto mixtis comittatur, atque hoc mixto radices arborum ungantur, plurimùm arboribus prodesse.

3. Figura varia fructibus induci potest, si moduli fiant ex gypso earum figurarum, minores tamen quàm fructus excrescere possit, & teneri fructus non avulsi ab arbore iis includantur.

4. Fructus erunt medicati diversi, si facto foramine usque ad medullam arboris potio medica pro eo quem desideras effectu infundatur & foramen diligenter occludatur.

5. Fructus erunt odorati, & saporis novi, per insitionem, nam si pyra inseras in cotoneam, contrahent odorem. 2. Si usque ad medullam terebres arborem & aquam sapidam, vel odoratam infundas, fructus illo odore & sapore imbuentur.

6. Fructuum colores immutantur. 1. Per insitionem, ita si moro poma inserueris, erunt rubra, & si morum platano aut fi[illegible]ui

 erunt

erunt mora alba. 2. Si terebratæ arbori aquam coloratam infuderis.

7. Fructus præcoces facies inserendo surculum arbori quæ est fructuum præcocium: serotinos arbori tardæ.

8. Fructibus tolles nucleos, perforando truncum propè terram & medullam excindendo, & in locum ejus ponendo ossiculum aliquod, vel cornu, quod impediet ne succus crassus transeat, ex quo fiunt nuclei, denique arbor occludatur.

9. Fungos dulces, seminabis corticem albæ & nigræ populi concisum sulcis stercoratis committe. Vel caudicem populi nigræ concisum cum aqua fermento mixta insere. Item si arvum montanum multas stipulas & fructus habens pluvio tempore arserit, multi prorumpent fungi.

10. Ver dabit botros si nigra vitis ceraso inserta fuerit, eo tempore botri maturescent quo cerasa. Cucumeres præcoces habebis, si in fictilia vasa terram cribratam immittas stercore admixto, & seras in loco calido tempus sationis in horto anticipando, tum ubi Sol valentior factus, vasa exponantur, cavendo à frigore, & assiduè irrigando. Deinde ubi tempus securum, va-

vasa d fodiantur cum terra æqualiter. Idem est de Melonibus. Citiùs etiam cucumeres prodeunt si eorũ semen præmaceretur aquâ.

11. Mespili fiunt majores cotoneæ inserti, & adhuc majores si insitio iteretur. Persica majora, si florenti arbori per triduum terni lactis caprini affundantur sextarii.

12. Amygdalam aut nucem sine putamine reddes, si testam fregeris nucleo illæso, eumque lanâ, vel folio recenti vitis, vel platani involveris, ne à formicis rodatur, atque ita inserueris. Tenui verò cortice nuces & amygdalæ erunt, si cinis assiduè trunco & radici affundatur. Idem de cæteris fructibus qui foris cortice teguntur. Idem obtinetur si per annum singulis mensibus semel lixivium affundatur.

13. Lactuca odorata nascetur si ejus semen semini citrii intrusum seratur. Allium à fœtore erit liberum, si seratur & extrahatur Lunâ sub terra existente.

14. Mala in cotoneam insita saporem melleum habent. Nuces & amygdala inscripta erunt, si per triduum in aqua maceratam nucem leniter aperueris, & in nucleo nucis, aut persicæ, aut amygdalæ, id est, in cuticula stylo æneo non tamen pro-

fundè aliquid inſcripſeris, ac papyro involutam plantaveris, ſed hoc incertum.

15. Ceraſa erunt purgantia, ſi arborem usque ad medullam perfoderis, & ellebo-rum indideris, ac foramen clavo ligneo ar-gillâque bene muniveris.

16. Rapa creſcet intra pomum, ſi dum adhuc in arbore eſt mediocre, lignel-lo aperueris, & ſemen rapæ intruſeris, de-inde cerâ bene clauſeris.

17. Pruna ſine oſsiculis, tenellam arbo-rem ad binos pedes reciſam finde usque ad radicem, abraſaque medullâ partes ſejun-ctæ vinculo ſtringantur, & fimo, argillâ, vel cerâ liniantur, tum chartâ madidâ in-volutæ ligetur. Poſt annum concreſcent: in hanc deinde arborem ſurculos qui fru-ctum non tulerunt inſeras.

18. Ruta in faba pertuſa aut bulbo ſeri-tur ut graveolentiam deponat. Optimè naſcitur in ficulneo cortice defixa, & ter-ris obruta. Dulceſcunt allia, ſi dum ſerun-tur nucleis olivarum commiſceantur. Poſt comeſtionem illorum tollitur odor, ſi faba cruda, vel betæ radix in prunis toſta ſuperedatur. Servantur in paleis, vel in-tô nata vel aquæ ſallæ ac tepidæ immerſa &

& insolata, idem est de cepis. Majores erunt, si semen cepæ semini cucurbitæ incluseris, & terræ fimo subactæ commiseris. Porri comesti vitatur odor cumino commanducato.

19. Cucurbitæ erunt sine semine & cucumeres, si semen triduo ante sationem in oleo sesamino vel sabino maceretur, ut vult Palladius. Vel succo herbæ conyzæ. Idem fiet si vitium more sarmentum primum aut virgultum ita defodiatur, ut solum ejus caput exortum promineat, quod ad biennium repetendum, & tertio anno si opus, faciendum, propagines autem adnascentes, & super terram extantes resecentur, servato solo eo virgulto quod postremum fuit.

20. Fæniculum dulce erit, si terra circa radicem effossà fimo bubulo misceatur. Persica erunt sine ossibus perforato infernè trunco medullâ excisa, salicis vel corni clavum adige. Cortex nucis erit tenuis si trunco ad medullam terebrato ulmi clavus infigatur.

21. Amygdalæ erunt dulces, si circumfosso stipite quatuor digitis à radice cavernula relinquatur, per quam quotannis lachrima effluat. Vel si circa radices urina & suillum stercus largiùs infundatur, deinde

terra

terra exaggeretur, & hoc repetatur, vel si terebratæ ad medullam arbori mel infundas. Ut fiat fructifera, ferro terebretur, & clavo querno foramen claudatur.

22. Ut Punica fructus multiplicet, postquam nata sunt germina succo titimali & portulacæ æqualiter mixtis truncus illinatur antequam germinet.

23. Lactuca erit multiplicis saporis & formæ. Stercoris ovilli vel caprini baccam subulâ excava, & in eam semen lactucæ, nasturtii, ocimi, erucæ, & raphani immitte, eamque in terra optimè culta fimo obvolutam non profundè sepeli substrato molli letamine, ac irriga. Vel dicta semina sere involuta veteri linteolo cum illo stercore contuso.

24. Apium fiet grande, si plura ejus semina linteolo involuta in fimo sepelies. Brassica etiam cocta viridis erit, si dum tria folia crescendo fecerit nitro, aut salsâ terrâ in modum pruinæ conspergatur. Hortus viridis erit, si circa olera plantetur eruca.

25. Scabiem deponit ficus si circa radicem plantetur scilla, vel rubricâ aquâ diluta circa arborem fundatur. Ficus præcoces eliciunt si stercus columborum, piper, ac oleum

oleum radici affundatur, vel si ficus cùm jam ad justam magnitudinem creverint acu ligneâ perforentur. Vel si oleo oliv. illinantur, ac foliis olivæ involvantur.

26. Nitrum tritum radici brassicæ suppositum eam maturat. Fraga hyemali tempore habebuntur, cùm adhuc albent & rubere solùm incipiunt cum foliis in arundines crassas immittantur, pingvi letamine ora opplendo, ac sepeliantur, ut verò rubeant Soli exponenda.

27. Surculus suæ arbori insitus multò majores fert fructus. Punica fient ingentia, si post Oct.&Novemb.radices ungantur hoc ungvento. Rec. pingve letamen cum parte æqua suilli stercoris, & vini fecem, itemque hordeacei furfuris, & loco ab aquis tuto per annum servetur singulis mensibus remiscendo, quibus demum acetum addatur.

28. Beta macra fiet, si radices fimo bubulo integantur recenti, germen verò findatur, & lapis planus, aut testa superponatur.

29. Ut botri sine acinis nascantur, extrahenda medulla è vite. Alii sic. Excavatæ lasseris cinericii succum ad spissitudinem in coctum

coctum infundunt ſingulis hebdomadis donec germen emittat.

30. Melones ſangvinei coloris erunt, ſemen aperiendo & ſuccum roſarum, vel garyophillorum infundendo, vel in ſangvine macerando.

31. Primo ſtatim anno ſurculus afferet fructus, ramum aliquem in arbore Lunâ decreſcente ad ſpitamæ longitudinem derade, ita ut in eo ſolùm cortex vivus maneat, eum fimo bubulo illine, & hoc fiat in Autumno, deinde in Martio cùm arbores transplantari ſolent, prædictus ramus ſerrâ abſcindatur ex arbore, & in terra bona plantetur. Vel aperto ollæ fundo ramus fructifer per ollam transmittatur uno anno, olla verò bonâ terrâ impleatur, atque per dies octo rigetur, aget radices ramus, altero anno in Martio ramus ſub olla abſcindatur & fractâ ollâ ramus cum terra ſua plantetur. Vel ſtipites vivæ ſalicis terræ in iis locis in quibus novas arbores vis plantare, hoc fiat veſpere in pervigilio omnium Sanctorum, deinde in vigilia Nativitat. Domini extrahantur iſti ſtipites & in eorum locum rami ex variis arboribus ſumpti infigantur, ſarmenta & pingvis

pingvis terrà aggeratur. Vel de arbore ramum hyeme avelle, ita ut ex arbore secum partem evellat, hanc in aliquot partes diffinde, & telâ ut solent hortulani involuæ, ac in terram semiulnæ profunditate impone. Isti modi sunt Dan. Schwenen. & ultimus in Anglia communis.

32. Arbor quæ fert amaros fructus ut dulces ferat, aperiatur terebrâ usque ad medullam, & infundatur aqua mellita, tum foramen clavo bene occludatur, vel circumfossæ radices arboris fimo suillo obruantur.

33. Cùm arbor circumfoditur, terrâ iterum obruenda ne arescat.

34. Cicer solitò erit majus, si pridie seminationis aquâ tepidâ semen obmaceretur.

35. Cepæ maximæ erunt, si illarum semen cucurbitæ semini intrusum illæsâ ejus medullâ terræ comiseris.

36. Persica erunt inscripta si aperta nuclei testâ in pellicula nuclei stylo æreo leviter aliquid inscripseris, & nucleum inserueris. Sine nuce erunt, si ex arbore perforatâ medullam extraxeris, & salicis aut corni clavum infixeris.

37. Po-

37. Poma rubra erunt, si arbor urinâ rigetur. Vel, si rosæ prope illam serantur. Vel, si colores aquâ deductos ita admoveris ut radii solis ab iis in poma reflectantur. Durabunt verò substratis nucum foliis, vel juglandium foliis involuta, vel si jacuerint intra hordeum.

38. Pyra dulcia erunt, truncum prope terram perfora, & cuneum ex quercu aut fago adige, ac terrâ obrue. Vel, fece vini veteris radices riga. A vermibus non lædentur, si dum arbor plantatur, radix felle oblinatur. Diuturna sunt in foliis siccis juglandis servata.

39. Punica ne hient, scillas juxta plantato. Ut sint absque granis, medullam ex arbore extrahito ac terrâ obrue. Rubicunda erunt si plantam lixivio irriges. Feracia erunt, si tythimallo tusis radicem illiveris.

40. Ex pomis varii flores excrescent si eorum semina in pomum inserantur.

41. Cæruleus flos fit ruber, si inter formicas ponatur. Monet interea P. Kircher in dandis flori coloribus cavendum esse à cinnabari ut florum veneno. Neque facilè colores induci per affusionem aquarum coloratarum, sed ferè per solam implantationem.

tionem in radicem quæ illius coloris fructus aut flores profert.

42. Si arborem circa plantetur herba quæ Polonis Bagno dicitur, fructus comesti ex illa arbore inebriabunt, ſicut inebriat cerviſia cui hæc incoquitur, creſcit in palude, ſimilis eſt Roſmarino, & ſemper viridis.

43. Fructus majores ſolitò erunt, ſed inſipidiores, ſi vas cum aqua ita accommodetur ex quo guttatim defluat in arborem ubi incipit in ramos dividi.

44. Flores quicunque formoſiores fiunt, ſi poſtquam effloruerunt comburantur, & ex cineribus fiat lixivium, ac radici propriæ plantæ affundatur. Colores pro floribus ſunt, lacca, ſuccus heliotropii, rubriæ, anchuſæ, & ſimiles, qui poſtquam immiſſi, in planta, vulnus clauditur fimo bubulo & argillâ.

45. Fabæ citiſſimè prodibunt, coquatur allium & in hoc decocto per dies 9. jaceant ſemina fabarum, poſtea ſiccentur, ac ſerantur. Cucurbitarum verò, melonum, ſemina aliqui ad hunc finem macerant in ſangvine hominis juvenis rufi per dies 15. poſtea exſiccant, ſerunt. Petroſelini au-

tem semen per triduum ponunt in oleo oliv. postea siccant, & miscent terram humidam cum calce viva, & in ea seminant.

46. Arbor fructificabit in poculo terrâ pauculâ impleto per decennium. Accipe sangvinem cujuscunque animalis, sed non hirci, cui cineres ejus plantæ quam desideras immisce, & fimum adde. Optimè autem fuerit, si horum quinta essentia extrahatur cum aqua vitis, & istâ essentiâ terra imbuatur non tamen ipsa radix.

SECTIO IX.

De Tempore Agrario.

AGetur. 1. De prognosticis Agrariis. 2. De quatuor anni partibus. 3. De Mensibus. 4. De Luna.

SUBSECTIO I.

De prognosticis Agrariis.

1. Si primum tonitru eo anno fit cum Borea, ver solet esse frigidum. Si fiat cum Orientali vento, ver calidum & siccum. Si fiat cum meridiano, calorem & insectorum multitudinem procreat, si cum occidentali, humiditatem.

2. Qua-

2. Qualis constitutio aëris est præsentis Autumni, talis solet esse Veris sequentis.

3. Hyemem ostendit lien porci in Autumno cæsi. Pars ejus quæ est versùs spinam dorsi notat finem hyemis: pars versùs terram, initium. Crassities ejus & latitudo, frigora: exilitas indicat humiditatem, medio lienis medium hyemis respondet.

4. Cùm Lutra discurrens per ripas fodit arenam, aqua exundabit usque ad locum fossionis aucta imbribus. Si rana sua semina spargit per ripas, expectanda inundatio. Ita observatum ab Oeconomis.

5. De fertilitate sic Flor. Canalis prognosticatur. Diebus 30. ante exortum Caniculæ (exoritur circa diem 25. Julii) omne semen terræ committas, & quod benè prodit, illud & anno sequenti benè prodibit, & è contrà Schwenc. vult seri 8. Jul. & observari die 20. ejusdem.

6. Si Sole manente in Scorpio venti Septemtrionales spirent, tum fructus erunt pauci propter siccitatem conjunctam cum vermibus.

7. Eclipsium si concursus fiant hyeme,

annum sterilem notant: si fiant æstate, nimis humidum, sterilem, hyemem debilem. Eclipsis solis si fiat in signis Ariete, Leone, Sagittario, calores longos & noxios ciet. Si in Cancro, Piscibus, Scorpio, inundationes. Eclipsis Lunæ in ultimis partibus Aquarii (ait Proclus) insignem rerum omnium mutationem. Hippocrates notat, si circa Æquinoctium Autumnale sub Plejadibus tempora fuerint humida, etiam hyemem fore humidam. Si frigus fuerit, ver siccum, & æstatem siccam ac nubilam.

8. Sterilitatis signum hyems nimis cita, vel nimis tarda, vel sine nivibus. Item si totus Augustus siccus & post eum modicus imber.

9. Si pluit circa finem Maij, vel initium Junii, nec vinum nec triticum abundabit, quia ista tunc florent, & florem decutit pluvia.

SUBSECTIO II.

De anni quatuor partibus.

Agetur. 1. De Vere. 2. De Æstate. 3. De Autumno. 4. De Hyeme.

CAPUT I.

De Vere.

1. Ut præcocia habeantur olera, statim ac cessit glacies modicum illorum serendum, alia suo tempore serantur.

2. Bestiæ saginandæ habeantur in campo per ver & æstatem, quæ si non impingvantur, non servandæ, nec enim in stabulo pingvescent.

3. Cùm è fossis rapæ educuntur, arena in fossas refundatur ne flante vento agros inficiat. Idem fiat in aliis fossionibus.

4. Quæ lacticinia non sunt vendita ante Quadragesimam, vendantur circa Pascha.

5. Cùm tantùm incipit solui terra, arandum, serendum, sepes erigendæ. Cùm seminatio incepit, nullo modo interrumpenda.

6. In Vere Artifices conducuntur pro ædificiis extruendis, scandulis, asseribus &c. faciendis, quia dies crescunt, subditi autem proprii ista hyeme & in Autumno faciant.

7. In Vere omnes fruges seruntur præter siliginem & triticum sed semen sit optimum.

 8. Ex

8. Ex agris quietis primò arandus qui maximè diſtat à prædio. Letentur deinde agri, & ſi eſt, primum fænum deſalcari poterit. Agri quieti ſtercorantur.

9. Lupulus plantatur novus. Lupi circa plantas reſecantur, plantæ quæ fimo circumductæ fuerunt circumfodiuntur. Pomariorum ſepes revidentur an ſint integræ, gramen circa plantas ſecatur, non effoditur alioqui areſcunt. Vituli autem aut aliæ beſtiæ nullo modo in pomaria immittuntur.

10. Capti in fluviis piſces transferuntur in piſcinas, & ſtagna. Attenditur ubi ſunt piſces ne auferantur: & cuſtodiæ fiunt dum piſces prolificant.

11. Si ager diutiùs jacuit otioſus aratur cùm terra poſt hyemem ſoluta uno palmo, tunc enim faciliùs herbæ inutiles evelluntur cùm radices nondum vigent, ſed id fiat diligenter ne in aliquibus ſpaciis gramen relinquatur.

12. Caulium ſemina die tertio Bacchanaliorum ſeruntur ſale mixta, & iterum die 25. Martii ſale etiam mixta, ſeruntur ſub ortum Solis promiſcuè cum morellis & betis. Cepæ ſtatim poſt glaciem ſeminantur.

nantur. Horti aptantur pro oleribus ut ſint ab herbis mundi. Quo autem tempore, in qua terra quid ſerendum, periti ejus loci conſulantur.

13. Paſcua ita ſint in Vere & Autumno clauſa ut tantùm ad illa unicus ſit ingresſus, & priusquàm equi ad illa inducantur, bene ſunt circumſpicienda.

14. Ver ſi nimis fuerit humidum, fructus putreſcunt. Si æſtuoſum, citò adoleſcunt fructus ſed verminant, ſed nec roſa, nec alii flores licet ſint præcoces, erunt odorati. Si ſiccum & frigidum ver fuerit, circa ultimum veris plenilunium erit gelu, & fructus pauci, & vinum modicum. Si ſiccum & valdè ver calidum, fruges paucæ, fructus etiam boni ſed pauci. Si ver frigidum, fructus pauci.

CAPUT II.

De Æſtate.

1. In media æſtate lacticinia recipiantur à vaccarum curatoribus, computando quantum ex iis intra ſeptimanam colligi poterat.

2. Herbæ inutiles excerpantur, ſaltem

ut illa pars ſit ab eis pura ex qua ſemina colligantur.

3. Ad meſſem omnes, ut alicubi mos, etiam molitores, & artifices, ſed priore totâ hebdomadâ pro ſe, poſteriore pro Domino laborant. Colligatur autem quamprimùm ex campo, ut pecora immitti posſint, & impingvata pro hyeme recludi. Quæ pro culina deſtinantur, ad alia paſcua ſtatim poſt ver mittuntur.

4. Cùm devehitur mesſis ad horreum, veſperè videat factor in quo loco labor deſiit, & rurſus manè inſpiciat ne illo inſcio fuerit demeſſum aliquid.

5. Cucumeres ſaliuntur. Tela dealbatur, ſed cavendum à pluvia, nam hæc telam putrefacit. Fænum ante meſſem colligatur, quia & tenerius eſt, & ſiccari magis poteſt. Una ſectio fæni poſt Pentecoſten, alia circa S. Bartolomæum. Prior dabit fænum tenerius. Cavendum autem ne gramen in prato ſeneſcat. Ubi ſemel ſecatur fænum, id fit circa S. Laurentium. Gramen tardum potiùs detur pecoribus abſumendum quam ſecetur, præſertim ſi commodè ſiccari non posſit.

6. In paludibus dum aruerunt ſecandæ arun-

arundines minori falce, hyeme autem supra glaciem majori, servient pro tectis conficiendis.

7. Colligantur herbæ medicinales pro ovibus. Manna legatur.

8. Si in sylvis gramen secatur, statim inde ad locum patentem evehendum ut siccetur.

9. Siligo quæ crevit inter triticum in pultes convertatur. Herbæ inutiles evulsæ in haram, vel aliò, devehantur, ut in fimum abeant.

10. Seges quæ propè sylvam metitur statim alio avehatur ne furtis pateat.

11. Falcatio fæni non ultra triduum continuetur, quia multum desectum colligi citò non posset, atque ita putresceret.

12. Qui sepes circa segetem non fecit, ipse sibi est causa damni à bestiis illati.

13. Agri in Litvania arantur circa festum SS. Trinitatis, & si fænum in illis reperitur in pabulum bestiarum defalcatur. Ubi gramen densum, unus per diem defalcare potest ut duos currus impleat. Purgandi agri ab herbis inutilibus.

14. Unus potest segetis densæ demetere per diem fasces 50, rarioris 50, rarissimæ 30.

Ordine diſponantur in campis faſces ut faciliùs numerari posſint, & notetur numerus, & locus, veſpere ſignetur, quousque ex agro collectum dum convehitur, & manè revideatur, cum devectione verò feſtinandum, ut ager beſtiis pateat, ſic & illæ, & ab illis ager impingvabitur.

15. Æſtate ſi multæ ſint pluviæ fructus putreſcunt, & paucæ meſſes. Si æſtas ſicca, mesſis pauca, & piſces moriuntur. Si æſtuoſa, multi fructus, ſi frigida tardi fructus.

16. Æſtate piſces in uſum totius anni ſiccantur. Putei effundendo aquam ſubinde purgandi.

CAPUT III.

De Autumno.

1. Factâ ex agris collectione, & in agris ſeminatione, tempus detur reparandæ domui & ſupellectili.

2. Petroſelinum melius circa hyemis initium ſatum, Antequam glacies ſuperveniat pars aliqua rerum hortenſium, item primo Vere; ut diverſo tempore fructus habeantur.

3. For-

3. Fornaces reparantur ab intra, argilla convehitur multis usibus servitura.

4. Ex hortis fiat tempestivè collectio, tum bestiæ immittantur, quæ sicco tempore ibidem pernoctent, deinde hortiarentur, & alii loci letamine impingventur.

5. Betæ circa medium Sept. colliguntur, & decrescente Lunâ invasantur, postea caules, & alia hortensia.

6. Caulæ muniantur, ut in eas possint cogi pecudes priusquam superveniant tempestates. Lupulus circa festum S. Michaëlis in vase compingitur, & ne evaporet, clauditur. Provideatur ne bestiæ à frigore pati possint, neque in luto jaceant. Sed stramen substernatur.

7. Porci saginandi post initium Augusti recluduntur, & aluntur primò herbis in horto natis, deinde frumento.

8. Ante S. Bartholomæum omnia sint de campo collecta, ante S. Michaëlem insita quæ pro hyeme serenda. Post hæc reparantur ædificia &c.

9. Plantentur arbores quibus in Vere surculi inserendi. Fructus colliguntur, servantur, siccantur, & residui venduntur. Fossæ in agris humilibus fiunt.

10. Fit,

10. Fit Regeſtrum rerum quæ creverunt in horto, ſtabulo, haris, pomariis, agris, pratis, &c. Et Domino revidendum offertur circa medium Sept. quoad aliqua, quoad alia circa S. Martinum.

11. Contributiones frumentales à Colonis ubi mos exigantur, neque hujus anni recipiantur priusquam præteriti ſolutæ fuerint.

12. Cepæ antequam in ſerta religantur modio menſurentur, & attendatur ne putreſcant. Paſtinaca, ſiſeres, petroſelinum, raphani, betæ, &c. colligantur, & benè ſervantur pro hyeme. Caules, cucumeres ſcitè ſaliantur. Rapæ priusquam defodiantur modio menſurentur, & numerus ſcribatur.

13. Lardum paratur cùm glandes vigent, circa S. Martinum carnes ſaliuntur, piſces verò dum aqua congelat.

14. Reparantur die ſereno ſtagna, molæ. Reſtaurantur carceres, vaſa braxatorii, pavimenta, foſſæ pro glacie ſervanda. Pro carnibus ſaliendis viva animalia emuntur, ſic in lucro eſt corium, ſevum, interiora.

15. In cenſu circa S. Martinum recipiendi capones, ova, anſeres, galli Indici, lupulus

lus, avena, casei, gallinæ, cannabes, triticum, siligo, hordeum, mel, item ea quæ proveniunt ex mola. Tum pennæ, plumæ, lana sub pondere redduntur, præterea cepæ, brassicæ, siseres, pastinaca, rapæ, allium, betæ.

16. Conscribantur mensuræ seminum lini, millii, raparum, caulium, ceparum, siserum, pastinacæ, petroselini, betæ, lactucæ, &c.

17. Numerus notetur hinulorum, vitulorum, agnorum, caprarum, suum. Signentur equi in femore, alia animalia in dextra aure, ut sciatur quæ sunt Domini, nec mutentur. Notetur quid accessit de gallis indicis, caponibus, anseribus, anatibus, ovis, &c.

18. Eodem tempore coria recipiantur & stigmatizentur, dentur familiæ pro ocreis. Item recipiantur fila sub mensura quæ rusticis cùm nox crescit distribuit Factrix.

19. Consideratur quid ædificandum & de varia materia prospicitur. Hortensia quæ putrescerent, comedantur, vel vendantur, vel dentur bestiis. Lacticinia circa S. Martinum recipiuntur & conscribuntur, quæ domi servandæ, in vasa lignea quæ vendenda in fictilia reponuntur. 20. Ce-

20. Cepæ minutæ ternæ ſimul in ſerto, majores binæ, maximæ ſingulæ ligantur. Serta ſunt longa cubitum & dimidium.

21. Folia caulium, raparum, &c. Sub tecto ſiccentur, fient pabulum hyeme ſuibus.

22. Seminandum ſtatim poſt S. Martinum quod ex ſiligine, & aliis rebus vendendum.

23. Autumnales fimi cæteris meliores. Seruntur nuclei pyrorum, ceraſorum, nucum, perſicorum, in Autumno, & in Vere tranſplantantur.

24. Autumnus humidus multam adducit putredinem. Si in fine humidus, ſequentem annum notat ſterilem: Si initio ſiccus, modicum millium. Si calidus, inſaluber. Si frigidus, pauci fructus.

25. Boves ſaginandi ſunt per famulos conductos, non per ſubditos qui hebdomadatim mutantur: attendendum ne glaciei, ſed pontibus inſiſtant.

26. Argilla in reparatione fornacum eſt tenaciſſima quæ in fornacibus jam fuit combuſta.

CA-

CAPUT IV.

De Hyeme.

1. Hyems Agricolarum incipit in Polonia à S. Martino tum providendum de necessariis pro claudendis bestiis. Instituitur trituratio, ligna cæduntur, convehuntur, trabes pro qnadratis frumenti acervis, currus parantur, aratra, occæ, &c.

2. Pro cæsione lignorum omnes sublati simul cum villico exeant collecti in aulam, currus sint æquales, ligna inter palos erectos deponantur ut mensura habeatur, quantum unâ vice lignorum vexerint, ut tantundem aliis vicibus exigatur.

3. Fabri, figuli, & alii artifices, dum in uno prædio laborant, etiam pro aliis conficient, quæ illa prædia coëment, fiant item instrumenta, ut palæ, &c. Cùm Faber ferrarius proprius habetur, semper sit carbonum copia. Pix augeatur factâ æstate, pro rotis partes ex siccis lignis elaborentur. Retia conficiantur.

4. Attendendum ne glacies suffocet pisces. Storeæ etiam pro navibus, ubi illis opus, conficiuntur. Ubi habentur ligna commoda, pali, columnæ, clavi, præpa-

ran-

rantur, ramices, longurii, etiam pro aliis prædiis, & ſtagnis. Concidatur ſtramen & ſub menſura recipiatur.

5. Hyeme ad civitates vicinas devehitur frumentum ſuo tempore vendendum. Qui ſubditi carent jumentis, ideòque vecturam exercere non poſſunt, ligna in ſylvis præparent, cumulum quisque in diem, quadratum latum & altum cubitos quatuor, cæſio fiat eo loco qui in agrum mutandus, fiat verò veſpere reviſio laboris: vectura fit die creſcente, ut fiat iterata.

6. Canabum lib. 20. dantur alicubi cuique ſubditæ, ut funiculos conficiat pro retibus. Veſpere autem confici poſſunt retia, vel funes pro retibus animalium, qui nec nimis ſunt torti nec nimis laxi.

7. Durante viâ carpentariâ proſpiciatur de lignis in totum annum. Si pro ædificiis cæduntur, in loco remotiore; id fiat poſt primam nivem ante glaciem, & prius quàm nives magnæ deciderint, trabes in unum locum convehantur, ut inde faciliùs ad deſtinatum deducantur.

8. Humida & frigida hyems arboribus nocet, tepida & humida ſementem necat. Mediocris nive fæcundat.

SUB-

SUBSECTIO III.

De Mensibus.

Agemus ordine de mensibus duodecim. Dies ponuntur stylo veteri, quibus astra adnotantur.

CAPUT I.

De Januario.

1. Jan. Oritur stella nebulosa in capite Orionis.

5. Oritur Humerus dexter ejusdem.

8. Oritur cinguli præcedens ejusdem.

12. - - Cinguli sequens ejusdem.

13. - - Pes sinister ejusdem.

18. - - Asellus Borealis.

19. Occidit lucida Coronæ.

20. Oritur nebulosa prope aculeum Scorpii.

21. - - Præsepe Asellorum.

23. Occidit asellus australis.

24. Dies halcyonii cessant.

25. Ultima Aquarii occidit, & Procyon oritur.

30. Occidit Asinus Boreus.

Si tonat cùm Luna est in Aquario fructus patientur. Si bonus est Januarius to-

tum annum putant bonum. Si nives raræ, frumentum ac vineæ debilitantur. Nimia verò hyems piſcinis nocet.

In Januar. tecta reparantur, horrea purgantur, palèa & ſtramen ita diſpenſetur, ut ad novum ſufficiat: Ligna carpento convehuntur, è tectis nives dejiciantur, & ne cellaria nivium ſolutione inundent videatur.

Porci ultimâ quadrâ Lunæ mactantur, cavetur ne pecus intret horreum. Orbes pro doliis parentur ultimâ quadrâ ante feſtum S. Sebaſtiani, & ligna varia.

Venduntur ſiccati fructus antequam in vere refloreſcant. Fimus equinus qui poſt feſtum S. Martini jacuit disjicitur, vertitur, inſtrumenta agriculturæ reparantur.

Limaces colliguntur qui jam ſunt ſalubres ſub avellana, ex pomariis autem & hortis ejiciendi quia arefaciunt. Stramen papaveris & lupuli u itur, lotricibus eſt cinis utilis, Textores & filatrices laborant.

Gallinæ & columbi poſtremis frumenti aluntur. Relicto frumento pro uſu domûs & ſemine, reſiduum vendendum ad granaria devehitur. Lacticinia venduntur, carnes ſaliuntur, & coriandro interſitæ bene clauduntur.

Alni

Alni folia si dentur ovibus, quæ comederit sana est. Piscinarum glacies aperitur. Apum alvearia quò opus transferuntur, pecora coëmuntur, farina & pultes fiunt.

CAPUT II.

Februarius.

5. die Leonem præcedens occidit.
6. Oritur Syrius.
7. Occidit Aquila.
19. Cauda Delphini.
28. Favonii flare incipiunt, utiles hortis.

Quot diebus ante Purificationem alauda canit, tot diebus post silet. Cùm Sol ingreditur pisces pro toto mense temperiem signat. Post festum S. Sebastiani rami inutiles in pomario resecantur.

Brassica inseritur die Cinerum & stercore gallinarum aspergitur. Inseritur & die S. Matthiæ vesperè aut manè. Farina quæ diu servanda moleatur. Hoc mense & Martio lac insalubre. Quale gelu vespere & nocte S. Matthiæ tale 40. diebus durat. Agri stercorantur. Si nocte Cathedræ S. Petri frigus non fuerit, amplius non erit. Ubi vinea plantanda, fodiendum. Vinea stercoratur.

coratur. Vina debilia transvasantur. Rosæ plantantur. Piscinæ implentur piscibus.

Sepes reparantur. Si tempus patitur, seminarium instituitur siserum, ceparum, & aliorum hortensium. Lupi ab arboribus resecantur. Ultimâ quadrâ Lunæ fit transplantatio & implantatio. Plantæ in quibus insitio facienda depanguntur. Vituli castrantur. Vina transvasantur. Oleum exprimitur ex rapastro, lino, canabe, papavere, fagea, glande, & quod non necessarium est, venditur. Granaria ædificantur.

Seminantur in hypocausto omnia delicatiora, fimus reliquus in campum vehitur crescente Lunâ. Hordeum cum decessu frigoris seritur.

Fila ducuntur, plumæ purgantur, rapæ & olera putrida seliguntur. Potest seri avena, synapi mixtim in agro culto. Funes fiunt. Horti fimantur. Fulcra pro vitibus parantur. Pontes reparantur. Pecora inutilia quæ hucusque supervixerunt non mactentur.

Pultes & farina benè priùs siccata invasantur. Si permittit tempus, aratur pro pisis, fabis, & seminantur. Mundantur nidi alitum. Gallinaria, columbaria si quæ per hyemem

hyemem defecerunt pecora, ſubſtituuntur, imò & aves.

CAPUT III.

Martius.

14. die oritur ſtella ad humerum Virginis.

23. - - Perflant Favonii vel Africi, quos Onitrias vocant & chelidonias,& durant per dies 12.

25. die oritur Lucida Coronæ. Menſis eſt ob crebram aeris mutationem parum ſaluber. In eo pleuritides & podagræ dominantur teſteHipp.l.3. Aph. 1. Aquæ etiam minimè ſunt ſalubres. Contra podagram imponitur vino laurus, pæoniæ radix, myrrha contrita, & bibuntur à jejuno. Qui lædit caput ferro dum Luna eſt in Ariete, aut mortem, aut longum morbum incurrit ut ait Ptol.

Undecimâ Dominicâ poſt Nativitatem Domini ſi cælum patitur, aratio incipit. Omnibus avibus ova ad incubandum ſupponuntur. Fimus in agros evehitur. Si ea quæ ſata in Autumno Martius nimis madefecerit, deſperandum de illis, & aliquid aliud in eorum loco ſeratur pro agri conditione.

Legumina hortenſia Lunâ plenâ ſeruntur item olera quæ ſunt transplantanda. Plantatio fit arborum & purgatio, erucæ veteres tollantur, & talpæ. Roſa quovis anno in alium locum transferatur, & fiet plenior, & odoratior. Arbores circumfodiantur, & irrigentur antequam floreant, talibus neque grando, neque pruina nocet. Salices circumciduntur decreſcente Lunâ.

Vituli ablactantur circa plenilunium. Herbæ inter fruges natæ evelluntur. Fimus pro hordeo invehitur, & hoc ſeritur circa Paſcha. Invehitur etiam fimus ſi hyeme non eſt invectus in agrum pro lino, caule, canabe. Piſa inſita ultimâ quadrâ, die quâ nix cadit, non fallunt. Sed pro lino fimus ſpargatur per minutas partes, & ager ſit excultus.

Horti & pomaria raſtrantur, facti à talpis cumuli æquantur. Brasſica pridie S. Gertrudis ſeritur, & poſt dies 8. triticum.

Bobus, ovibus, ſuibus, &c. medicinæ dantur, oves mittuntur in agrum ut eum ſtercorent, & ipſæ fiant ſaniores. Piſces capiuntur & in ſtagna mittuntur, ſemen ab initio Veris usque ad S. Jacobum emittunt, ſed cavendum ab anatibus, ne illud devorent.

Circa 4. Martii alvearia revidentur. Navalis ſupellex repurgatur & aptatur. Anates ſylveſtres occiduntur. Piſces omnes circa feſtum Annunc. B. V. ad ſuperficiem aquæ prodeunt, tum ergo à furibus cavendum.

Attendat Paterfamilias ſuis victualibus ita de iis diſponendo, ut deinceps ſufficiant. Ex herbis olea, ſucci, aquæ, confectiones fiunt. Braſia quàm plurima conficiuntur. Braſſica ſeritur in S. Septimana.

CAPUT IV.

Aprilis.

1. die Spica Virginis occidit. Cepæ feruntur.

Si tonat hoc menſe annum bonum indicat.

9. die nebuloſa circa aculeum Scorpii occidit.

10. Spica Virginis oritur.

21. Extrema in cauda Leonis occidit.

26. Pleiades oriuntur & durant ad 9. Maij.

28. Extrema Borealis chelæ oritur.

Si poſt feſtum S. Marci aut Mauritii Luna jungitur Saturno decreſcens, exiguum vini proventum notat. Amygdalæ quæ fuerunt in hypocauſto ſatæ transferuntur

in hortum, & terræ profunditate duorum digitorum inſeruntur. Seminantur cucumeres, piſa, pepones, melones. Equi & oves admittuntur. Alvearia purgantur. Piſces coëunt inter Paſcha & S. Jacobum & ſunt inſalubres.

Hoc corrigitur menſe quod in Martio neglectum eſt. Carpiones ad prolificandum mittuntur ad piſcinam cujus fundus argillaceus, ripæ graminoſæ, & hoc fit circa feſtum S. Greg. terni ovati mittuntur, & bini lactes habentes.

Stagna hoc menſe dimittuntur & impiſcantur, ædificatur, ſal comparatur, pro caule & lino ager aptatur ultimâ quadrâ ante Paſcha, arietes caſtrantur, admisſio fit, fimus devehitur, ſed in cumulo deponitur ut poſt pluviam in ultima quadra putreſcat.

Oves lavantur & tondentur circa Dominicam *Exaudi*. Idq; die calido ac ſereno: Urticæ cum furfure triticeo gallinis dantur ut ſint ovorum feraciores. Lintea dealbantur cùm florent arbores. Ficus & peregrinæ arbores circa S. Greg. deteguntur & mundantur.

Melones, & cucumeres ſeruntur circa S. Georgium, attendendo ne lædat gelu.

Luſci-

Lusciniæ & alaudæ in usum cantûs circa idem festum capiuntur. Sed in esum aviculis parcitur quia tum nidificant.

Horti arantur, seruntur, perficiuntur, fit plantatio, à cancris & piscibus abstinetur, quia prolificant, vernum triticum seritur, nix quæ tum decidit fimo æquivalet. Cavetur ne post S. Georgium intret pecus pratum. Canabes, linum, seri possunt, erucæ tolluntur.

Pisa seruntur feriâ quintâ sanctâ, vel triduo ante Novilunium, quâ die & agni castrantur, tecta reparantur.

CAPUT V.

Majus.

2. Die Maij Chela Australis occidit.

3. Sinister pes Orionis occumbit, quo tempore gelu nocet floribus.

9. Dextrum genu Orionis occidit.

12. Antares.

13. Syrius & cinguli præcedens occidit.

14. Cinguli media.

15. Cinguli sequens occidit.

16. Humerus sinister Orionis & prima Hyadum occidit.

17. Ultima Hyadum.

18. Pleiades.

19. Palilicius seu rutilans Hyadum occidit

22. Nebulosa in capite Orionis.

25. Dextrum brachium Orionis occidit.

26. Pleiades die S. Urbani cum Sole oriuntur.

27. Chela Borea occidit.

Si hoc mense tonuerit sæpiùs, annus erit sterilis. Si tonuerit dum Luna est in Geminis, magna est floritio. Purgare corpora svadent medici cocto absynthio, & indulcorato. Anethum etiam in sero lactis coquunt, & manè propinant. Vino cum lacte caput & pedes ungunt. Dum Sol est in cancro cancri combusti in pulverem sumuntur cum vino allio vetere adversùs calculum.

In agrum ubi seminatio fuit in Autumno non amplius pecora mittuntur. Palmites vini circa S. Crucem panguntur, sed ferro non tanguntur.

Si dies S. Urbani serena, vel August. vel Sept. sicci, bene provenit vinum. Pro S. Urbano canabis & linum seritur. Oves mulgentur. Agni ablactantur, & ut lac oves habeant copiosius, urticis pascuntur. Quæ argil-

argillâ illinuntur ſine rimis ſunt, ut fornaces, pavimenta, parietes, area trituratio-nis. Ex tectis ſtramen vetus detrahitur & fimo miſcetur.

Frumentum in granario die quovis octavo remiſcetur, præcipuè dum aliud in agro floret. Separantur boves, oves, in agros vacantes fimus devehitur. Lacticinia hoc menſe facta ſunt optima & diutisſimè durant.

Alvearia mundantur. Vituli caſtrantur & agni telæ dealbantur. Plantæ irrigantur. Equi omnes bene paſcuntur. Brasſica plantatur. Herbæ pro diſtillatione & confectionibus leguntur. Adhuc circa S. Urbanum ſeri poteſt hordeum.

Gallinæ, & aliæ aves, ſi non antea factum, incubant. Salmones ſunt optimi, & angvillæ quæ dum tonat facilè capiuntur. Sulci in horto conſiti numerantur, revidentur agri an ſint benè culti & conſiti, ſylvæ, nemora, limites. Videndum ne plus cleopiſtæ, picis, carbonum, uratur quàm ſit permiſſum. Sepes, hortorum, ac domûs item ædificia luſtrantur.

CA-

CAPUT VI.

Junius.

1. die, ultima in ore Piſcis oritur. 2. Aquila, & ſi tunc novam aut plenam Lunam contigerit eſſe, patiuntur fructus.

4. Prima Hyadum oritur.

5. Hyadum media.

6. Oculus Tauri oritur.

15. Procyon occidit, cui ſi plenilunium ſupervenerit ſementes calore læduntur.

25. Arturus occidit.

26. Nebuloſa in oculo Sagittarii oritur.

Si tonat cùm Luna eſt in cancro ſiccitas, & ceraſa pereunt. Si tonet hoc menſe agri ſunt feraces, ſed aër inſaluber.

Dum floret ſambucus, eodem tempore & vinum. Quò propiùs feſto S. Joannis cuculus cantare incipit, eò vilioris precii erit frumentum. Si die S. Joannis pluit, etiam quatuor diebus ſequentibus, & nuces pereunt. E plantis nimiorum fructuum pars deterior tollitur.

Agri otioſi arantur, fimus convehitur & ab iisdem vectoribus reducitur, lapides ad aulam revehuntur, quos priùs paſtores in cumulos colligunt.

Ab herbis inutilibus repurgantur agri &

& hoſti cavendo ne dormitantes operarii herbas utiles evellant. Herbæ evulſæ fimo immiſcentur ut pro Autumno putreſcant, imò vaccis dantur dum fit evulſio. Fimus diſpergitur & aratur ultimâ quadrâ.

Linum circa S. Vitum ſeri poteſt. Horrea repurgantur, & granaria, & in illis areæ. Oves debiles ad lanienam mittuntur. Gramen in hortis ſecatur in uſum pecorum. Item urticæ teneræ, quæ in funibus extenſæ poſſunt ſiccari. Paſcua ſepiuntur. Piſces ſiccantur. Telæ inalbantur cavendo à rore & pluvia.

Piſcium captura omittitur quia prolificant. Ovibus datur medicina. Lacticinia fiunt. Alvearibus attenditur. Prata defalcantur. Campi otioſi ante meſſem arantur. Oves tondentur. Fit admisſio. Legumina pro meſſoribus parantur.

Herbæ pro aquis, medicinis, balneis, confectionibus colliguntur, ſiccantur, & loco ſicco concluſoque, nè evaporent reponuntur. Radices medicinales ante ortum Solis colligi debent, & quæ ab initio novæ Lunæ evelluntur ſolent magis opitulari juvenibus: quæ in medio Lunæ ætati mediæ: reliquo tempore Senibus.

CA-

CAPUT VII.

Julius.

1. Die Humerus ſiniſter Orionis occidit.

2. Etheſiarum prodromi Aquilonares flare incipiunt, & ſpirant octo diebus.

7. Caniculares incipiunt quas perflant Etheſiæ, & omnium inſitorum augetur incrementum. Si interim tonet fit aër inſaluber.

11. Si pluerit, quatuor ſeptimanis continuis pluit. Si die S. Jacobi pluat, vel triduo antè, glandes pereunt. Cùm triticum floret ſerpentes infirmantur aut etiam pereunt.

23. Lucida coronæ occidit.

26. Aſellus Auſtralis occidit.

27. Præſepe occidit.

28. Procyon oritur ſi tonet dum Sol eſt in Leone, multùm ſiligini & hordeo nocet. Si initium canicularium nubilum, annus eſt inſaluber, in Canicularibus ſemper flant Etheſiæ à Borea, & durant 40. diebus, incipiunt flare Sole intrante Leonem, illas octo diebus alii venti præcedunt. In fine hujus menſis rapæ ſeruntur, agri mundantur, & exuruntur.

Rapæ ſeruntur in terra culta circa feſtum

ſtum SS. Kiliani, Margaretæ, Jacobi. Pecora, quæ neceſſaria non ſunt, venduntur. Metitur ſiligo & triticum pro novis pultibus. Saliuntur maturi cucumeres, manna, cuminum, colligitur, fiunt pultes ſubactæ ovis.

Prata, agri, pomaria, ſtagna, ſylvæ, crebrò luſtrentur. Melones matureſcunt, optimi ſunt ſi præceſſit ſiccitas, tum ſecuta humiditas, ac tandem calor ſerenus. Porcellis cavetur à lino, quia intereunt.

Cùm meſſis eſt, ex quavis ſexagena manipulus ſeponitur, ac pars manipulorum ſtatim trituratur, pars poſtquam totum frumentum convectum eſt, pars denique poſtquam ſeminatio peracta: menſurentur grana, & dabunt regulam juxta quam Factor deinde frumentum reddet.

Caules poſt pluviam circumfodiantur, & erunt majores. Agri parentur. In ſumma æſtate arbores delicatæ ad ulnæ altitudinem terrâ contegantur & rigentur. Semina hortenſia leguntur, & ſervantur, ne evaporent.

Verveces quia ab hoc tempore ad S. Michaëlem ſunt pingves, vendantur. Piſcatio & Aucupium incipit. Gallinacei caſtrantur.

Cera-

Cerasa, agrestæ, ac similia ad confectiones idonea colliguntur.

CAPUT VIII.

Augustus.

1. Die Asellus Borealis occidit.

9. Canis seu Syrius oritur. Si hoc tempore tonuerit, serpentes intereunt, annus est fertilis.

11. Aquila occidit.

15. Regulus occidit. Dies B. V. Assumptæ serena copiosum designat vinum. Dies serena S. Barthol. Autumnum serenum, & è contra.

25. Delphinus occidit.

Pro novo frumento horrea novo stramine insternuntur, vel saltem vetus invertitur, & contra mures plurima alni folia sternuntur. Frumentum quod est pro semine aptum seorsim ponatur, & recens priusquam evaporet seratur. Seminatio incipit in Vigilia S. Barthol. Ova in furfuribus servantur. Rapæ initio Septemb. reconditæ, durant.

Canabes sunt maturæ si concussæ dent pulverem. Putei fodiuntur. Folia in vineis decerpuntur, & botri pro acore. Haræ purgantur.

gantur. Venatio & aucupium exercetur. Galli caſtrantur. Porcis datur medicina, v. g. teſtudo viva in eorum potu ſemper relinquitur. Vel caro vulpina conciſa detur in pabulo. Vel ſi infirmantur, lytargyrium contuſum ſemel ac iterum præbetur.

Avellanæ ac fructus omnis generis leguntur, folia quercus, alni, betulæ colliguntur in uſum ovium. Plantæ irrigantur cùm eſt ſiccitas & calor. Frumentum in granario non jaceat cumulatum, & quavis ſeptimanâ agitetur, feneſtræ ſemper pateant reti munitæ. Sed granarium duplici ſerâ ſit clauſum, & claves ſint penes duos, ut unus ſine altero ingredi non posſit. Palæ ne vermes gignantur itemque parietes crebrò ungantur allio.

Fimus Autumnalis evehitur. Anſeres augentur. Fructus arborum ſiccantur, fiunt ſucci, & res Medicæ. Omne animal ſignatur, & ſignum ſtatim à Factore recipiatur. Dum numeratur adſit Dominus.

CAPUT IX.

September.

1.° Die. Extrema caudæ Leonis oritur.

Si tonuerit hoc menſe ubertas eſt meſſis.
Circa 7. ſeritur triticum.

11. Si non pluerit, Autumnus erit ſiccus.

22. Arcturus oritur. Cùm Sol intrat Libram ſi tonuerit, fructus damna patiuntur.

27. Lucida Coronæ oritur. Si Autumnus ſerenus fuerit, ventoſa hyems expectatur.

Die S. Michaëlis aperi glandem aut gallam, ſi inveniatur araneus, infelicem dicitur & inamænum denotare annum: ſi muſca, mediocrem: ſi vermis, bonum: ſi nihil, inſalubrem.

Putei fodiuntur, Lupulus circa Nativit. B. V. colligitur, & ſervatur clauſus. In culto agro ſiligo & triticum ſeritur. Juvari ſolent pauperes ruſtici. Satio tritici fit circa S. Crucem ultimâ quadrâ. Fimus in locum piſorum & agros ſteriles vehitur.
Mella colliguntur die calido & ſereno, relinquẽdo apibus quantum opus pro hyeme. Canabes, linum macerantur in aqua, tum ſiccantur ad Solem, ſed procul ab aquis piſcoſis. Deinde elaborantur, ac ponderantur. Horti arantur. Fiunt ſucci ex uvis variis, potus ex ſylveſtribus prunis, pomis. Fiunt pulres. Sal conquiritur pro lacticiniis. Fit amylum.

Aratur

Aratur ubi fuit ſiligo, triticum, pro leguminibus in ultima quadra. Neque de campo tollantur ſtraminum reſidua, quia impingvant.

Circa S. Matthæum, admisſio fit Arietum, parient pro Purificatione.

Factor exhibet omnis pecoris accesſionem. Sed pecora ex uno prædio non facilè in aliud transferantur. Omnium tam pecorum quàm alitum fiat regeſtrum, & juxta illud Paſtoribus tradantur, qui quotidie veſpere rationem reddent.

Tributum frumentarium ſtatim à ſubditis recipiatur, ne diu debeant, vetera prata arentur. Tecta reparantur. Argilla, & ſimilia convehuntur. Tot boves, altiles includantur quot braxatorium & cremati coctura ſuſtentare poteſt, In fine demum saginæ frumentum largè datur.

Circa S. Michaëlem optimum eſt aucupium. Plantatio, tranſlatio fit arborum.

Glandes fagi dant oleum, & ipſæ utiles ad ſaginam porcorum. Porci potiùs pauci ſed boni ſunto.

Ante gelu hortenſes herbæ pro beſtiis recondantur in ſicca arena. Carpiones transferuntur. Piſces in lacubus, capti ſta-

gnis inferuntur. Seruntur siseres, quia illorum semen non congelat. Colliguntur fructus pomarii. Olera die serenâ colliguntur, tum semisiccata defodiuntur.

CAPUT X.

October.

3. Die Spica Virginis occidit. Tonitrua facta hoc mense ventos magnos & diminutionem fæcunditatis notant.

25. Extrema caudæ Leonis occidit.

27. Pleiades occidit. Si tonat cùm Sol est in Scorpio sequitur magna annonæ caritas.

Die S. Simonis vites fulcris exsolvuntur. Circa hos dies nebula est jumentis noxia. Ideo mane theriacâ cum butyro & pane muniantur.

Arantur & letantur agri.

Circa S. Hedvigem ultimâ quadrâ effodiuntur fructus reliqui ex hortis, & in sicco per aliquod tempus relinquuntur, ut semiarescant, tum mensurantur, & defodiuntur.

Caules secantur. Sed videndum ne dolia transfluant in quæ deponentur. Allium & cepæ in serta ducuntur, sepositis aliquibus

132. Catharro qui impedit comeſtionem. Alumen coque in aqua & eo gargariza. Vel in os ſuccini fumum copiosè accipe te ſuffumigando clauſis naribus.

133. Congelationi membrorum. Farina ſiliginis cum furfure & frigida aqua, emplaſtrum hoc triduo porta.

134. Combuſtioni. Strophium atramento tinctum applica.

135. Serpentis morſui. Allium cum cortice, bibe, comede.

136. Verrucis. Ficus immaturas, nitrum, farina, ana, miſce, unge.

137. Strumis. Easdem ficus immaturas.

138. Catharro auditum impedienti. Coque lac caprinum tectum, & per fistulam in aurem ejus vaporem recipe.

139. Scabiei capitis. Cornu cervi ustum sesquiducati pondere in vino, vel cervisia, sudet, & cum tabaco caput lavetur.

140. Tumori splenis. Signum ejus pallor, & tactum latus non fert. Thus cum oleo lini in charta applica.

141. Dissenteriæ. Funde ovum in cineres ardentes sic cum illis comede. Vel, vitellum supra ardentem laterem assa, comede cum pulveribus cerasorum.

142. Caducis. Percas subnigras punctis notatas ex eis lapillos in collo, & ex carpionibus qui supra oculos in forma ossium, item ex cancris, pulverisa, in aqua florum lilii bibatur. Ad tertiam, potionem cessat.

143. Febri, massam hordeaceam cum sale arterii applica in manibus, pedibus, temporibus, & quietissimè jace.

144. Pesti. Bufonem per pedes suspende supra massam farinæ prope ignem, ut evomat virus, hanc massam ulceribus applica. Si non sint ulcera, vel catum corii, vel bufonem per telam applica. Vel columbi

lumbi anum deplumatum ulçeribus, mutando columbos.

145. Dissenteriæ. Ex libo fac tabellam consperge nuce myristicâ contusâ, pipere, gariophyllis, cremato optimo pertunde, comede aliquoties, hæ aspersiones ut nux ponderat quæ tota debet impendi.

146 Febri. Cape in Martio ejusdem mensis leporem, ejus sangvine telam intinge, deinde pro usu per horas 12. in vino vel cremato pone, & ebibe. Vel capto aliquando lepori caput vivo amputa, contunde cum toto in massam, emplastra in tela, & nudum corpus præcinge.

147. Spasmo. Præcinge locum cortice tiliæ, madefacto, si sit siccus.

148. Quartanæ. Ante accessionem sume agarici aliquantum jejunus in cervisia calida, si non prosit, duplica dosim, dein triplica.

149. Kurosslep. Ante ortum Solis jecur pecoris assum ede.

150. Calculo. Jejunus quantitate avellanæ devora butyrum recens, sine sale, post medium quadrantem semicalicem vini Rhenani vel Francici bibe.

151. In febri, ovis abſtine, & rebus habentibus ſangvinem, item ſalſis, & calidis.

152. Dentibus. In Septembri querna folia cum piretro, aloë, myrrha, in clauſa olla in aqua coque bene, ſerva pro uſu, ut os abluas in dolore.

153. Podagræ. Unicornu tuâ ſalviâ jejuna madefac, & emplaſtra locum.

154. Dolori capitis. Lanâ de uberibus ovis aures obtura.

155. Spaſmo. Oleo vulpis, perunge.

156. Gallico. Tyſanna te lava, 2. ſurculos teneros alni coque 24. horis in aqua vaſe clauſo, quotidie bibe jejunus per dies 14. medium calicem & te lava.

157. Regio morbo. Idem quod proximè.

158. Peſti. Mane & ſerò vinum ſulfuratum vel crematum bibe.

159. Catharro. Rumienu duas manus, papaveris capitum cum papavere, ſalis, foliorum ſalicis partes æqu. ſulfuris modicum. coque optimè, & in tepidisſima genuum tenùs pedes detine.

160. Colicæ. Stercus equi non caſtrati pulveriſatum bibe.

161. Peſte infectus in propria urina contuſum allium bibat, ſudet, vomat. Prodeſt ante

ante nares oleo ſuccini ungere.

162. Hydropi ne cor petat abſynthium um cum butyro in cerviſia ollâ clausâ coque, jejunus quotidie mediumcalicem ſumat.

163. Caſui gravi. Lumbricos comburе, in aceto vini, ſaccaro, cinnamomo addito bibe.

164. Pediculari. Sal, thus, in aqua pone: his te lava, eodem veſtes ſuffumiga.

165. Petocii. Variolæ ſi non prodeant vel intrent corpus, Piſa cocta ut ad carnes dantur, cochlear unum vino aut mulſo ſuffunde, ede & in calore mane.

166. Hydropi. Purgatum naſturtium in cerviſia pone, claude ne evaporet, hoc potu utere & ſiccis, aſſis, veſcere.

167. Oſſium dolori. Serpillum in ſacculo coque, applica calidè.

168. Sangvinem ſiſtit pulvis fabarum inſperſus. Vel argillam cum aceto, aqua roſarum fronti emplaſtra.

169. Lumbrici in ventre. Semen braſſicæ bibe vel pulverem cornu cervi.

170. Variolæ ut prodeant, ſemen raparum bibe.

171. Morſus virulentus. Locum tuâ ſalivâ

vâ unge vel cerebrum gallinæ applica. Vel ſtercus capræ cum melle. Vel Muſcas, apes cum melle contere coque, applica.

172. Ignis Sacer. Stercus columbi cum oleo emplaſtra.

173. Calculo. Succum limoniæ bibe. Jejunus raphanum per noctem in vino poſitam bibe. Virgam ſangvine vulpis tinge. Vel gummi ceraſinum bibe cum potu.

174. Sciaticæ. Stercus leporis cum vino calido emplaſtra. Vel pingvedine piſcis. Si adſit tumor farinam fabarum drachmas 4. quinque vitellos emplaſtra. Vel folia fabarum cum pingvedine porci emplaſtra cocta.

175. Dyſenteriæ cruentæ. Perdicum pedes ad genu combure, quantitate avellanæ bibe.

176. Vomitum promovet. Nucem vemicam pulveriza, bibe.

177. Vires ex morbo reſtituit lac pro potu ſumptum vaccæ unius vituli optimis pratis utentis.

178. Morſui venenato folia fraxini applica.

179. Catharro. Juſculū coctarum rapa[illegible]m cum ſaccaro bibe. Vel ſuccum raphani cum ſacc[illegible].

181. Lum-

180. Lumbricis in ventre. Unum eorum combure, ebibe.

181. Dissenteriæ. Gummi cerasorum ede. Vel fungum cerasorum, in vase clausum sictili concremo, hujus pulveris cum cochleari aceti quotidie bibe quantum apex cultri capit.

182. Calculo. Crematum ex avena sola distilla ut solet, & dein nasturtium contritum ad medietatem vasis pone per triduum ante Novilunium & post, tum fraga rubra ad hanc aquam semoto nasturtio ad dimidium vasis pone, adde saccarum, quotidie unum calicem bibe.

183. Inflammationi gutturis. Decocto hordei cum saccaro gargariza. Vel totâ hyeme guttur involve telâ ex gossipio.

184. Dissenteriæ. Vitellum cum cremato contusum bibe.

185. Dentium dolori. Radicem urticæ mortuæ applica.

186. Calculo. Oleum absynthii quotidie in potu sumptum.

187. In aure ulcus. Percæ adipem instilla.

188. Contusioni gravissimæ. Gatus solas carnes edat per mensem, sine ullo potu.

Hunc

Hunc cum toto concide, anserem farci[illegible] assa, pingvedo defluens erit, ungventum.

189. Dissenteriæ. Per cineres betulæ la[illegible] transmitte, bibe. Si tumor accedat, bibas cervisiam cum nasturtio.

190. Calculo. Semen cæparum coquatur in vino, & bibatur.

191. Quartanæ curatio. Accipe quantum media juglandis capere mellis potest, araneos quinque, aliquid piperis, aliquid fuliginis, hæc omnia misce pulsibus alliga in accessu febris, & per triduum alligata relinque.

192. Febribus gravibus probatum. Rec. Vini Ungarici aut Gallici unam quartam, fæniculi pugnum. Coque simul bene percola, deinde strophiolo intincto spinam dorsi unge incipiendo à capite, item reliquas partes, contege ægrum ut sudet. Ruthæ esus mane cum butyro, contra Scorbutum, morbum Caducum, & Calculum valet.

193. Amentiæ prodest. Coque juniperi baccas in vino generosissimo Hispanico Petersiment clausâ [illegible]ulâ donec in massa[illegible] redigatur[illegible] eâ caput quàm calidissi[illegible] circumpone.

196. Ul-

194. Ulcus maturatur dum foliis nasturtii fovetur.

195. Hordeolo in palpebra. Coquatur leniter lac caprinum, & in eo tingatur medulla panis triticei, & intra linteolum palpebræ pro nocte applicetur, & maturabit, & sanabit.

SUBSECTIO II.

Medicinæ ex Apotheca.

Remittemus hic ad Pharmacopæam Augustanam impressam in Octavo majore Roterodami anno 1653. ibi invenietur quomodo aliquod medicamentum conficiendum, & numeros paginarum adnotabimus.

Apoplexiæ remedium pag. 802. Species contra apoplexiam, est præservativum. 528. Aqua mirabilis Langii.

Asthmati 496. aqua asthmatica.

Auditum reparat aqua acovistica 490.

Aperturæ 693. ceratum diachalciteos Galeni, seu diapalmæ.

Ambustioni ab igne 614. Ungventum ad membra ab igne combusta.

Cosmeticum seu mundans faciem 578. Oleum, è vitellis. 525. Lac virgineum.

Colicæ oleum ruthæ in clystere 368.

Den-

Præſervat contra omnes morbos, ſed in hectica non exhibeatur. 550. Acetum ſcylliticum à drach. 1. ad unc. 1. manè cum aliquo liquore.

Phtyſicis 304. lohoch è pulmone vulpis à drach. 3. ad 6.

Parturientibus 500. Balſamum embryonum. 365. trochiſci de myrrha Phaſi in decocto granorum juniperi.

Paralyſi 565. ol. nardi ſimplex. 566. ol. de piperibus.

Podagram lenit 909. empl. oxycroceum, ibidem nervinum. 573. Ol. de floribus verbaſci.

Peſti 774. Balſamum Loimicum. 753. Elixir.

Peſtilentiale 662. empl. magenticum. 658. empl. de fuligine. 536. aq. theriacalis Bezoardica. 534. aqua Stapediana prima. 505. aq. Bardana compoſita. 454 conſerva hederæ terreſtris compoſita. 333. elect. Ferdin. contra peſtem tribus horis datur ante prandium & poſt cœnam quotidie à dr. 1. ad dr. 2. 219. Pilul. peſtilentiales, manè num. v.

Pleuritidi 576. ol. ſemin. lini bibatur 3. ad 4. unc. manè. 207. pulvis pleuritic.

Sangvini ſiſtendo 370. Trochiſci de terra ſigill. vel intus ſumpti, vel illiti. Suc-

Succus tollit 435. aqua ſtomachica.

Spleni 913 empl. ſpleneticum. 569 oleum ...ıtæ.

Stomachum juvat 909. empl. de cruſta panis. 566. ol. de piperibus Meſve. 462. Philonium Tarſenſe. 905. empl. de baccis lauri.

Scorbuto 827. ſyr. ſpleneticus. 494. aq. antiſcorbutica. 75. ſyr. ſcelotyrbicus.

Spaſmo 16. ol. liliorum convall. illinitur. 559. ol. Irinum Meſve.

Stomachi dolori in pueris 554. ol. anagallidis inungitur.

Stomachum roborat 16. ſyr. de abſynthio ab unc 1. ad 2.

Stomachi ardori 124. ſyr. roſatus ſolutivus. ab unc. 1. ad 2. 48. ſyr, de endivia compoſitus ab unc. 2. ad 4.

Tuſſi 760. eſſentia ſaccarina quantitate avellanæ.

Viſcera omnia roborant 198. Pil. Angelicæ à ſcrup. ſs. ad 2.

Veneno ex fungis contracto 559. ol. Irinum Meſve.

Venenis aliis 570. oleum ſcorpionum magnum illinitur cordi & per os ſumitur. 492. aq. antidotalis alexipharmaca.

Vulnera egregiè ſanat 902. ungv: Baſilicum,

ſilicum. 897. Balſamum vulnerarium 671. empla, oppodeltoch. 670. empl. nigrum. 555. Balſ. vulnerarium Mindereri.

Ventriculum & caput roborant 845. Pil. maſtichinæ à dr. 1. ad 4. 572. oleum ſtomachale Cratonis.

Vertigini 758. Eſſentia ambræ Mindereri.

Univerſale remedium 754. Elixir proprietatis. 747. ſp. diatrion. 245. extr. marcoſtinum. 236. extract. Catholicum.

Utero 698. Ceratum matricale.

Vermes in ſtomacho necat 634. Ungv. ad vermes.

Ulceribus malignis 586. ung. Ægyptiacum.

SUBSECTIO III.

Morbi ordine Alphabeti cum facilibus remediis.

Quibus in fine adjecta ſunt quædam rara ſecreta Medica.

Ambuſtio.

1. Ambuſtio ſanatur, ſi pili leporini minutim inciſi inſpergantur.

2. Oleum nucis & ceram æqualiter miſce & inunge calcem vivam, novies in aqua ablue, & ultimam aquam

oleo

oleo communi misce, & fortiter agitatam inunge.

3. Pellis muris recens imponatur adustioni, donec sanetur.

4. Fimus bovinus recens imponatur adustioni.

5. Albumen ovi crudi & oleum olivarum tamdiu agitentur donec fiat ungventum, quo illiniatur.

6. Pomum elixatum appositum.

Anus.

1. Exitus ani curatur si pulvis cornu cervini ano aspergatur.

2. Fiat suppositorium de lana intincta in succo pomi remotis foliis, calidumque apponitur. Calefiatque denuo ter aut quater juvat.

Apostema.

1. Nuces & mel simul trita, & emplastrata, apostema melancholicum, sive phlegmaticum mirè dissolvit.

2. Nuces cum suis corticibus tritæ & super umbilicum positæ, apostemata omnia intrinsecus fixa destruunt.

3. Nucleus nucis magnæ tritis cum foliis rutæ supponatur mane & vesperi.

4. Emplastrum factum de stercore pavonis impositum curat.

 5. Sca-

5. Scabiosa cum vino potui data, vel comesta, apostemata interiora & exteriora educit, ac insensibili evacuatione solvit.

6. Accipiatur succus sambuci, succus caulium & rutæ cum melle butyri drachma farinæ siliginis. Fiat emplastrum.

7. Herba consolida cocta in cervisia & potata, vel etiam ab extra applicata, apostemata curat & ossa consolidat.

Auris.

1. Aurium dolorem tollit cepæ succus cum lacte mulieris mixtus.

2. Succus betonicæ injectus.

3. Tinitum aurium adeps ranarum auribus instillatus.

4. Urina calida pueri auribus infusa humores sanat. Idem præstat quævis alia.

5. Succus absinthii auribus calidus immissus vermes necat.

6. Lac mulieris mixtum cum lacte capræ, putredinem aurium mirè curat.

7. Succus hederæ mixtus cum oleo, aurium vitiis medetur.

8. In causa calida multum valet lactuca emplastrata, sicut & canabis intincta in album ovi. In causa frigida, sola aqua calida cum lacte mulieris.

9. Oleum

9. Oleum confectum cum cinnamomo ſummum remedium eſt ad ſanandum aurium dolorem.

10. Fumigium aceti aperit aurem & juvat.

11. Succus rutæ cum ſangvine angvillæ, immiſſus auri quemlibet dolorem ſanat.

12. Vermes ex auribus elicit pomum dulce ſuper prunas modicè aſſum, tum diviſum ſi auri apponatur: exibunt in pomum vermes.

13. Contra ſaniem fluentem ſuccus ſalis efficax & ultimum remedium.

14. Si lapis aut aliquid aliud in aurem inciderit. Fortiter in aurem inſpirandum & ſpiritus reſorbendus, aut cucurbita apponatur.

15. Ulcus curatur, ſi butyrum nonies ablutum & lento igne liquefactum in aurem mittatur & ſtuppa occludatur.

16. Carduus benedictus in vino decoctus & paſtus addita modica farina, omnia auris apoſtemata curat.

Calculus.

1. In vinum Renanum mitte ſtercora columbarum, & ſtet biduò triduove, & clarificetur. Deinde allii accipe partem unã aut aliam, & ſciſſum vino imponatur ad triduum.

 duum.

duum, Lunâ deficiente bibatur. Certum remedium.

2. Contra calculum in lumbis urtica ardens contusa cum vino bibe:

3. Sangvis vulpis aut renes, si his ungatur rumpetur.

4. Petroselini semina contusa & cum cervisia mane & vespere bibita, juvant. Item cum aqua petroselini.

5. Chalybs ignitus in Bastart immergatur donec calefiat, & bibatur.

6. Olei juniperi guttæ 5 vel 6. bibitæ cum aqua petroselini mane & vesperi, pellunt arenam, addantur item grana aliquot juniperi.

7. Sinapi potatum cum aceto pellit lapidem.

8. Folia tiliæ lixata & potata pellunt calculum.

Capilli.

1. Ut pili nunquam renascantur, evelle illos, & unge sangvine vespertilionis vel sangvine ranæ parvæ.

2. Sangvisugæ tritæ cum aceto forti si superponantur sicut etiam cinis stipitis caulis, ortum capillorum impediunt.

3. Farina lupinorum apposita facit pilos cadere.

Ca-

Caput.

1. Caput pustulosum lavetur aqua cum camomilla cocta quantò crebriùs tantò meliùs.

2. Folia violarum cum melle trita citò sanant.

3. Aqua cum foliis quercus & medio ejus cortice cocto.

4. Hepar porci crudum capiti imponatur per dies 20. deinde lavetur aquâ frigidâ.

5. Aluminis unc. 8. cum salis unc. 2. solvatur in aceto forti & caput inungatur.

6. Absynthium tritum & capiti appositum.

7. Pulvis de formica cum oleo mixtus & ad solem inunctus scabiem capitis potenter curat.

Dolor.

1. Raphanus minutatim concisus vertici imponatur & sub plantis ponatur, dolorem capitis tollit.

2. Accipiat tres pilulas ad instar fabæ ex aloe & succo caulis.

3. Optimum emplastrum ex sinapi pro dolore capitis tollendo.

4. Faba excoriata cocta & emplastrata

5. Hi-

5. Hiſopus torrefactus & capiti appoſitus ubi dolor.

6. Succus plantaginis & ipſa herba trita & cum urina patientis emplaſtrata. Idem de Bugloſſa.

7. Unctio dialiſia in fronte & temporibus longum dolorem capitis ſanat.

8. Fimus columbinus, ſynapi, mentaſtrum, & ſemen ruthæ torreantur, & applicentur. Vel ſemen Dracontу corpori apponatur.

Colica.

1. Decoctum mentæ ad tres dies exhibitum prodeſt.

2. Fimus putridus ex ſtabulo, ubi plurimum mingunt torrefactus & cum oleo mixtus dolorem mirè ſedat.

3. Stercus columborum coctum emplaſtratumque.

4. Caro gallinæ vel ueteris galli, cum multo ſale bene coquatur, & per totam noctem in juſculo ſervetur, mane detur calidum.

5, Cornu cervinum uſtum & potatum juvat.

6, Allium cum modico pane ſumptum contra vebroſitatem.

7. Pul-

8. Pulvis coralli cum aqua pluvia ſumptus ante omnia utilis.

8. Succus mentæ, piperis grana octo, & parum mellis mixta bibantur.

9. Umbilicus qui à puero, abſcinditur, ficus quemcunque ventris cruciatum tollit.

10. Succus ex radice lappæ bibatur.

Conſtipatio.

1. Ceraſa dulcia cum ſuis nucleis jejuno ſtomacho comeſta.

2. Circumunge ventrem dicto roraſtrum purgabitur.

3. Lardum tritum cum atramento appone ventri.

4. Teſtam mediam nucis reple butyro & pro nocte impone umbilico. Cave tamen diutius imponatur, ne retẽtione deſtruatur.

5. Granum ſalis ſuppoſitum ſolvit.

6. Aqua decoctionis antiqui galli ſolvit.

7. Succus ellebori cum pulvere farinæ è molis mixtus ſiccetur parum cum butyro, ſi umbilico imponatur ſolvit, ſi ſtomacho vomitus ciet.

Dens.

1. Succum papaveris cum vitello ſemi cocto diſtemperatum appone.

2. Succo ceparum ſi quotidie dentes inungas non dolebunt.

3. Sal-

3. Saltum pasta confectum, & ad ignem combustum denti apponatur.

4. Herba dens caninus apposita denti affecto.

5. Calida stercora vaccæ inter linteum apposita ab extra.

6. Hisopus bulliat in aceto, & eo dens fomentetur.

7. Radice raphani fricentur dentes & gingivæ.

8. Radix millæfolii masticata jejuno ore.

9. Dente mortui, tangatur dens.

10. Cornu cervinum combustum & contritum instaurat gingivas & dentes.

11. Gingivarum dolori medetur ruta in vino cocta & super emplastrata.

12. Dentes perforatos sanat furina nigellæ imposita.

13. Dens tactus lacte cervinè citius extrahitur.

14. Crematum, piper, absynthium, mixta apponuntur denti.

15. Dentes corrosos mastyx jejunè masticata firmat, purgat & vocis arterias mundat frequenter.

16. Si dentes, fricentur radice pastinacæ, & dolor & vermes tolluntur.

17. Fis-

17. Fissuras labiorum sanat mastyx cum albo ovi crudo mellificato apposita.

18. Cavo denti impleto theriaca lignum fraxini accensum imponitur.

Dissenteria.

1. Lac in quo ferum caprinum coctum sit.

2. Theriaca fluxui omni confert.

3. Lac caprinum coctum & bibitum stringit.

4. Lac vaccinum cum ferro aut lapide coctum.

5. Amigdala decorticata & cum melle usque ad nigredinem cocta & jejuno ventre sumpta.

6. Fuligo camini cum flavo ovi mixta, sangvineam curat.

7. Ovum sorbile cum modico sale jejuno stomacho sumatur & ab alio cibo per aliquot horas abstineatur, & sequenti die duo similiter edat. Est certum remedium.

8. Fimus columbinus tritus ac cum fortissimo aceto super umbilicum positus fluxum sistit.

9. Fabæ coctæ & in aceto sumptæ idem præstant. Sedere nudo corpore in lapide calefacto conducit. Cortices glandium coctæ, si bibatur decoctio. 10. po-

10. Poma acerba & agreſtia cocta ſi calidè ſuper ventrem & renes ponantur, & removentur, etiam deſporatos diſſenteria, aut lienteria ſanabunt.

11. Hepar cujuscunq; animalis coctum in aceto vehementer ſtipat.

12. Panis hordeaceus comeſtus juvat, maximè ſi disſipetur cum aliqua aqua conſtrictiva. Item membrana interior caſtaneæ cum vino nigro.

13. Semen coriandri potatum juvat.

14. Crematum bonum cum flavo ovi benè mixtum & bibitum.

15. Crematum cum pipere bibatur.

16. Albumen unius ovi agitetur, modicum raſuræ æris addatur & nux moſcata, & hoc in vaſculo ſupra calidos cineres frixetur, tum comedatur.

Ebrietas.

1. Hæc impeditur ſi pulmonem ovis ante cibum aſſumas.

2. Cinerem hirundinum combuſtarum bibens non inebriatur.

Epilepſia.

1. Cornu cervi pulverizatum & cum vino bibitum caducos ſanat. Sic & cor cervi cum aqua bibitum.

2. Fel

2. Fel ursi cum aqua calida sumptum, sic etiam testiculi ursi comesti.

3. Lac equæ bibitum ad idem valet.

4. Testiculi galli triti cum aqua calida potati.

5. Ova corvi bibita valent.

6. Fimus ciconiæ potatus in aqua.

7. Cingulus de corio lupi gestatus.

8. Pili albi canis à collo suspensi.

9. Stercus cati cum vino potum.

10. Hirundines comestæ epilepsiam tollunt.

11. Cum ceciderit, canis occidatur & calidum fel ejus propinetur.

12. Pulvis muscæ vivæ combustæ.

Facies.

1. Impetiginem tollit ex facie si radicem plantaginis cum aceto & sale teras & colecurâ fricetur locus.

2. Sangvis tauri illinitus facit faciem albam & limpidam.

3. Hepar ovis recens calidum applicatum. Faciem coloratam reddit.

Febris.

1. Grana juniperi in vase fictili novo clauso pane in bono vino coquatur & bene cocta bibentur jejuno stomacho.

2. Stercora anſerina in panno lineo ligata coquantur in vaſe novo fictili cum aqua, & bene cocta bibantur.

Febris continua & aliæ.

1. Oleum roſaceum acetum & album ovi miſce fortiter agitando & unge totum corpus exceptis plantis pedum, volis manuum, & vertice capitis.

2. Galli vel gallinæ ſtomachi pellicula interior, aſſetur deturque infirmo cum ſaccaro.

3. Semen ſinapis comeſtum aufert febres ſi ſumatur ante acceſſionem, pellit quotidianam.

4. Abrotanum tritum & cum aqua temperatum ac bibitum.

5. Cortex ſambuci cum aqua calida potus.

6. Semen ſinapis tritum cum mulſo ſumptum hora ante acceſſionem. Vel ſemen pæoniæ cum aqua calida.

7. Jecur leporis tritum detur in aqua fæniculi.

8. Stercus caninum tritum & cum aceto ſumptum.

9. Urticæ minor in ſicco ac calido loco nata

nata emplaſtretur cum ſale trita ſuper pulſus brachiorum 6. die accesſionis tertianæ.

10. Radix rafani trita cum farina ſiliginis & emplaſtrata ſuper umbilicum, donec torſio aut dolor aliquis ſentiatur omnem tertianam tollit.

11. Succus pimpinellæ, vel cicoriæ, vel appii in vino ante accesſionem ſumptus.

12. Tria folia verbenæ, & tres ejus radices in aqua reſolutæ datæ ante accesſionem.

13. Allium capiti alſigatum tollit tertianam & quotidianam trahendo materiam ad exteriora & membra principalia corroborando.

14. Tria grana coriandri in ovo ſorbili epota ante Solis ortum poſt tertium aut quartum paroxiſmum.

Quartana.

1. Carnes urſi comeſtæ.

2. Vinum fortisſimum in quo cocta fuit agrimonia.

3. Succus artemiſiæ, ſi per triduum tepidus propinetur.

4. Succus plantaginis cum aqua tepida, aut mulſo aut melle bibitus, duabus horis ante accesſionem.

 5. Vi-

5. Vinum decoctionis salviæ, rosmarini & lavendulæ, piperis grana 40. cum aqua calida omnes febres tollit.

Infixa corpori.

1. Abrotanum tritum cum axungia extrahit omnia.

2. Fimus anserinus appositus lignum & ferrum extrahit.

3. Cinis vermium terrestrium cum melle crudo appositus extrahit ossa minuta.

4. Idem prestat cinis lumbricorum tritus & cum melle coctus si apponatur.

5. Cinis himnænis ustæ cum aceto temperatus.

Juncturæ.

1. Semen & folia urticæ cum adipe ursi tollunt dolorem.

2. Stercus caprinum cum farina hordei & aceto, appositum.

3. Radix altheæ coctæ & cum adipe anatis mixta.

4. Si vermis sit in junctura lumbricum vivum alliga, pellitur vermis moriente lumbrico.

Laterum dolor.

Avenæ pugillum misce cum lupulo & salis aliquid impone & coquantur non multum.

multum, in sacculum imponantur & supra affectum ponatur latus. Idem potest repeti bis, aut ter.

Letargus.

1. Capilli usti proprii cum aceto inficiantur & modico picis & naribus imponantur.

2. Fumus ustorum capillorum letargum excitat.

3. Pulmo porcinus calidus capiti applicatus.

4. Fumus galbani cum cornu cervino naribus immissus super omnia confert.

5. Fumigium factum de corio hædi, letargicos, epilepticos , mulieres suffocatas excitat.

6. Semen sinapis teratur cum aceto & cum hoc fortiter fricentur pedum plantæ.

7. Tota pellis leporina cum ungvibus comburatur & auribus, & pulvis detur in aqua letargica.

Lumbrici.

1. Semen caulis potatum tollit lumbricos.

2. Si os stomachi rodant pone favum mellis in ore jejuno statim ascendent, ad os.

7. Succus mentæ cum lacte caprino eos necat.

4. In lacte ac melle tinctus bombix fiet suppositorium.

5. Semen portulacæ copiosè sumptum interficit.

Hemoroides.

1. Millefolium bibitum retinet fluxum, & dolores non fluentium sedat.

2. Semen aneti ustum & cum melle appositum curat.

3. Cinis corticum ovorum de quibus pulli exclusi sunt, cum vino datus jejuno stomacho.

4. Salvia inuncta.

5. Si hemor. multum eminent ac dolent, fiat emplastrum super pannum lineum ex pice super insperso pulvere radicis appii & masticis statim liberat.

6. Inflatas curant folia rosmarini apposita.

Hydropicis.

1. Radix sambuci elixata & bibita.

2. Linimentum de luto communi sanat.

3. Urina propria bibita aut leporis.

4. Adeps delfini marini liquefactus & cum vino bibitus.

5. Pulvis quoq; cum lacte magnetis potatus.

Morsus venenosorum.

1. Creber esus ceparum & pororrum venena ejicit.

2. Cerebrum gallinæ sive cor ejusdem appositum. vel assumptum præ omnibus efficax est.

3. Sputum proprium contra venenosa valet.

4. Ungulæ bovinæ elixæ & cum sinapi comestæ omni veneno resistunt, ut opus alio non sit.

5. Stercus capræ cum melle temperatum, & appositum mirè curat omnem morsum venenosum.

6. Semen plantaginis cum vino sumptum.

7. Testa ovi cum succo agrimoniæ potatum, per os educit venenum facilitate mira ex morsu.

8. Agrimonia cum vino potata valet contra morsum serpentis, canis rabidi, vel etiam hominis.

9. Grana juniperi contra morsum serpentis juvant & contra venena multum valent.

Nausea.

Betonica confecta cum melle & sumpta

ptæ ad quantitatem fabæ, vomitum aufert, nauſeam tollit, curat digeſtionem cibi poſt cænam.

Oculi.

1. Ex fæniculo, verbana, roſis, chelidonia, ruta, facta aqua lumina reddit acuta.

2. Vitelli ovi in aqua cocti, & cum aqua roſacea.

3. Ad dolorem fortem compeſcendum, accipe cinerem caulium foliorum & vitellum ovi coctum, & lac mulieris, & parum mellis oculisque appone.

4. Pulmo leporis citò tollit dolorem.

5. Omne lac mixtum cum vitello ovi & oleo roſaceo emplaſtratum.

6. Betonica trita & emplaſtrata ſanat ictus oculorum.

7. Albumen ovi tepidum oculis appoſitum, dolores extrahit.

8. Oculi cornicis de collo ſuſpenſi ſanant infirmitatem oculorum.

9. Fel perdicis & turturis appoſitum oculis caliginem tollit.

10. Succus rutæ mixtus cum melle deſpumato, caliginem antiquam tollit.

11. Succus abſinthii, lac mulieris, aqua roſa-

rosacea mixta & emplastrata superque oculos posita dolorem mitigat, & maculam aufert.

12. Sangvineum oculorum ruborem de quocunq; humore fuerit tollit absinthium recens tritum cum albo ovi.

13. Pulmo ovis calidus citò sangvinem curat.

14. Oculorum lachrimas exsiccat Betonica, & radices fœniculi si elixentur & aquâ illa laventur oculi.

15. Guttæ urinæ patientis potenter lachrimas desiccant.

16. Fistulam oculi sanat succus plantaginis cum bombice oculis immissus. Si per 9. dies fiat.

17. Malva agrestis masticata cum modico salis, & apposita oculis, fistulas mundificat & carnem crescere facit.

18. Albuginem oculi urina omnis cum melle temperata tollit.

19. Vesicatorium post aures appositum cantharides, aut allium.

20. Argilla apposita capiti aut oculis per lineum pannum juvat, item cervici applicatæ carnes crudæ bubulæ.

Phre-

Phrenesis.

1. Opii, ſemen lactucæ, & ſaccarum mixtum cum ſucco lactucæ emplaſtretur ſuper frontem.

2. Aperiatur vena quæ eſt in in medio frontis ut multum ſangvinis effluat, dolor certò ceſſabit. Eodem remedio amentes ſanantur.

3. Spongia in calido vino madefacta, mamillæ ſiniſtræ apponatur.

4. Pulegium agreſte bulliat in aqua, & capiti raſo apponatur, efficaciter materiam furoris extrahit.

5. Caſtoreo ſi inungatur facit ægrum quieſcere.

6. Calidus pulmo pecoris capiti alligatus prodeſt.

7. Sic pulmo Hirci in vino.

8. Inungatur frons oleo roſato & ſangviſugæ frontis venis apponantur, juvat multum.

Pedum dolor.

1. Violas contunde & ſub pede liga.

2. Flavum ſulfur lixa in vino forti valde bene, hoc ſuper tumorem & pedis affecti plantam liga.

3. Sordes ciconiæ miſce pingvedini porcorum

corum & liga ad pedem vel manum ſi chyragra eſt vel podagra.

Roſa.

Accipe ex canali platearum ſordes eriſipelas fætidas & inter duo lintea extende, linteum hoc applica Roſæ donec ſiccetur inſtar lapidis, hoc ſi ter feceris roſæ calorem extrahes.

2. Sperma ranarum valet, aut diſtillatio ejus ſpermatis, item ſangvis de cauda felis inunctus.

Regius morbus. Icterus.

1. Crocus diſſolutus in aqua & potatus ſanat.

2. Fimus capræ ſylveſtris potatus per triduum curat.

3. Ciceris nigri cocti & comeſti & aqua decoctionis bibita conducit.

4. Succus plantaginis potatus multos curavit.

Sacer ignis.

1. Sal cum oleo toſtum appoſitum ignem extingvit

2. Pili leporini aduſti & appoſiti.

3. Lucii vivi decorticationem ſeu ſquammam applica probatum repetitis vicibus donec ſanetur.

For-

Sermo.

1. Loquelam ſubitò amiſſam ſtatim reſtituit pulegium cum aceto tepido potui datum & naribus applicatum.

2. Pultes ſiliginis cum aceto & ruta decoctæ ſi aperto ore ſorbeantur.

3. Cochlear ſinapi in cerviſia veſperi ſumptum.

Somnus.

1. Ad ſomnum conciliandum valet oleum violarum cum lacte muliebri mixtum.

2. Succus Chelidoniæ naribus infuſus caput purgat.

3. Cinis cornu uſti cervi cum oleo roſaceo fronti inunctus ſvavem ſomnum inducit, & dolorem capitis tollit.

Splenetici.

1. Vinum decoctionis corticum ſalicis duritiem ſplenis mollit.

2. Agrimonia in cibo ſumpta, & pulegium cum ſale tritum & appoſitum.

3. Folia ſalicis cum modico ſale trita & ſpleni appoſita.

4. Decoctio ſambuci radicis uſque ad tertiam partem ſpleneticos curat.

5. Capres crudi cum aceto ſumpti proſunt.

6. Ster-

7. Stercus vaccæ ſiccum, braſica, ovum oleum optimum & ſulphur miſceantur & fiat emplaſtrum.

8. Corallus cum aqua bibitus exſiccat ſplenem.

9 Spleni tumenti applicatur in ſacculo toſta avena.

Squinantia.

1. Radix chelidoniæ trita bulliat in vino, de quo fiat gargariſmus, qui ſiccando juvat, & caput purgat.

2. Verbena trita calideque emplaſtrata, ſæpisſimè deſperatam ſquinantiam curat. Imò experientia docuit ſi verbena ſupra tumores ligetur, illos aperire.

3. Terra hirundinis emplaſtrata tumores faciei & maxillarum diſſolvit.

4. Squinantiam periculoſam himænos veteres in olla rudi combuſti fiant pulvis & cum melle miſceantur ac gula interius ungatur, penna aliqua.

5. Inſtante periculo extrahatur ſangvis inter ſcapulas cum ventoſis, qui multum minuit materiam & oppoſitumrevellit.

Stranguria.

1. Stercus paſſerum cum capillamentis ceparum combuſtus ſimul & epotus.

2. Fimus

2. Fimus bovis cum melle mixtus calefactus & pectori appositus conducit.

3. Pili leporis usti pulverisati & in potu sumpti urinam eliciunt.

4. Ova tepida comesta dolorem renum & vesicæ in tali morbo mire sanant.

5. Folia vel radices plantaginis omnes vesicæ labores sanant.

6. Radix Rafani efficacissima est, præsertim si coquatur in vino albo, cui admixtus sit pulvis pilorum leporis.

7. Accipe plantaginem minorem cum radice & foliis, contunde & liquorem exprime, hunc mixtum vino, bibe, statim urgebit urina.

8. Accipe rafanum & minutum contunde & liquorem ex eo exprime, & unum aut tria cochlearia ejus liquoris bibe.

9. Accipe album succinum ac minutum in pulverem bibe in vino, urinam & calculum expellet.

10. Accipe cepas, has cum calidis cineribus contunde & facto emplastro, applica bene calide inferiori parti veneris ubi vesica est, succedet urina.

Stomachus.

1. Contra dolorem stomachi furfures coquan-

coquantur cum optimo vino albo. Bulliti ſacco includantur & tam calidum ut ferre poſſit imponatur ſtomacho. Tegula calida impoſita rurſus ſaccus calefiat & denuo imponatur præſertim dormienti.

2. Corallium tritum & bibitum dolorem ſtomachi tollit.

3. Menta cum vino calido prodeſt ſumpta.

4. Ciminum bulliat in aceto & acetum bibatur & ciminum edatur.

Tusſis.

1. Si quis pectus, ſtomachum, nec non & plantas pedum ungat pinvgvedine Lucii & ad ignem ſiccetur tollit tusſim.

2. Ad tusſim ſiccam ſanandam accipe ungulam caballi & in rotulas ſcinde, & horum calefactorum fumum patiens bene coopertus pet os recipe donec exſudes. Et hoc ſæpius fiat.

3. Contra humidam tusſim. Sedant avellanæ aſſatæ tritæ & cum mulſo aſſumptæ.

4. Si in aqua bullita cum cineribus aut lixivio pedes teneantut donec tepeſcat, idque ter aut quater fiat.

5. Cremato infunde oleum ℥iv. & accende miſcendo, & inunge plantas pedum ſemel ac iterum.

Vo-

Vomitus.

1. Betonica confecta cum melle, & sumpta quantitate fabæ sistit vomitum, nauseam tollit, juvat digestionem cibi post cœnam.

2. Artemisiæ radix, folia absynthii & fœniculi simul trita & cum melle tepido potata, vomitum statim continet.

Vulnera.

1. Plantago minor cum millefolio contusa valet ad vulnera recentia & antiqua.

2. Recens vulnus citissimè sanat vitellus ovi cum furfuribus triticeis additis quantú testa ovi capere potest, sanat & succus urticæ instillatus qui etiam lenit podagram.

Contra pestem. Rec. Rad. Angelicæ, Carlinæ, Zedona, Scordii, Dyctamni Cret. Scorcyoneræ. Sing. dr. 1. Myrrhæ, Mastyches, Aloës Succocitrini, boli armeni. sing. drachmam ß. Lapidis Bezoartici Orientalis cinam. Croci triti sing. Scr. 1. misce fiat pulvis subtilissimus. dosis drachmam 1. cum unc. 1. limonum uniatur. Deinde cum unc. tribus acetosæ aut. card. benedicti. Recens correpti ante somnum sumunt, & iteretur dosis si quis primam evomuerit.

Defluxui in oculos. Rec. Tritici Manipu-

pulos duos, ſalis unam, infundantur vino albo in vaſe cupreo, ut vinum ad duos digitos ſupernatet, tegatur vas, & relinquatur per 6. vel 7. dies donec liquor colorem viridem acquirere incipiat, ſæpiùs autem de die commoveatur ſpatulâ ligneâ, cum liquor per chartam bibulam coletur. Hujus gutta una inſtillatur oculo.

Loquelam ex lapſu amiſſam reſtituit pulvis de Enula ſupra nucham poſitus.

Palpitationi cordis bibat, tres unc. aquæ Bugloſſæ.

Emplaſtrum pro ſplene affecto. Rec. Flores Geniſtæ recentium manip. tres. coquantur in ſufficiente aqua chalybata clauſo vaſe donec molleſcant. Poſtea per ſetaceum trajiciantur, & adde. Gummi Ammoniaci in aceto ſoluti unc. ſſ. ungv. dialtheæ unc. 1. Mucilag. ſem. Lini, Fænigræci, ſing. cum aqua violar. extract. unc. 1. ceræ novæ q. ſ. fiat maſſa.

Pilulæ purgantes caput ac ſpeciatim oculos. Rec. Maſſ. pil. lucis Maj. Ol. de ſuccino Crat. Res. Scamoneæ, ſing. dr. ſſ. Extract. Hellebori nigri Trochiſc. Alhhãdul. Succini præparati ſing. ſcr. 1. Pulv. Zedoar. Valerian. ſing. dr. ſſ. Ol. fænicu i per diſtill.

 gutt.

gutt. 12 sp. fænic. fiant pil. ex scrup. septem dosis 9. vel 11.

Paralysi album synapi cum camphora in cremato miscetur, & fit unctio spinæ dorsi, & occiput in bibulæ chartulis integatur. Corrupto semine dum pars quæ illud continet tumescit & febrim inducit. Priùs pars affecta foveatur per triduum calidissimo vino Italico in quo rubræ rosæ decoctæ, videatur deinde ne pondere attrahat humores, tum ungatur æqualiter sumptis oleis myrtillorum & cydoniorum, effluet cum urina sanies fætida.

Tumori pudendi apponitur empl. ex balsamo vulnerario quod describit Pharmacopæa Augustana.

Colicæ prætens lapillos auratæ fluviatilis contere ac quantum capit apex cultri in cervisia calida exhibe.

Læso ventriculo cùm accidit dyssenteria sumatur cum cremato dimidium cochlear essentiæ trium piperum, quæ sic paratur Rec. piperis, albi, nigri, longi, sing. unc. duas Fl. rosar. unc. ss. Fl. Lavendulæ dr. duas. Cinnamomi dr. 1. concidantur, & in quarta cremati infundantur, atque in loco calido maneant. Eadem essentia consumit si quid crudi devoratum. Empl.

Empl. contra calculum in renibus, arenas. Rec. Mucilag. ſem. alth. Cin. Fæni-græci ſing. dr, ſſ. Medull. crur. vitul. pingved. gallin. ſuill. taxi anatis ſing. dr. tres. Res. pini, terebint. ſing. unc. ſſ. Ol. ſcorp. amygd. dulc. ſing. ſeſqui unc. chamomill. unc. duas ceræ q.s. fiat empl. molle renibus applicandum ne tangat ſpinam.

Debilitati lienis. Laterculum bene. igni calefacias, & fortiſſimo perfunde aceto, raphanumque nigrum in orbiculos conciſum ſuperpone, ac lieni applica.

Tibiarum & pedum vulneribus, imò & aliis. Recipe. Ol. lini. lib. 1. Minii lib. ſſ. coque ad conſiſtentiam ac ubi refrixit, adde camphoræ dr. 6. fiat emplaſtrum.

Pomum caſtitatis. Rec. Recentem Rutham, mentham, criſpam. Fl. nymphææ albæ, ſem. agni caſti. Rad. ireos ſatyrionis flaccidiores quæ decreſcere ſolent decreſcente Lunâ (Duo enim bulluli adnaſcuntur ſatyrioni, qui plenior & humidior, hoſtis eſt caſtitatis: qui minor, flavidior, aridior, eſt amicus) Santali albi pulveres ſing. unc. ſſ. camphoræ dr. ℈. Herbæ & radices collectæ ſiccentur in umbra, pulveriſentur, & cum ſufficienti ſucco rutæ in quo

 prius

priùs camphora eſt diſſoluta in maſſam craſſam reducatur, quæ poſtea cum mucilagine tragoganthi formetur in pilam.

Pilulæ Francofurtenſes. Rec. Aloës ſuccocitr. pulveriſetur, affunde aquam ex flor. violarum ad eminent. digitorum 4. pone in calido BM. & claude vas optimè maneat ſic per triduum donec aqua tingatur, & ſic procede cum nova aqua, priorem decantando, donec totam tincturam extrahas. Aquas deinde tinctas evapora ad ſpisſitudinem mellis, tandem adjice par pondus ſucci violarum, & fiat inſpiſſatio ad pillularum conſiſtentiam, formantur ex drach. pil. 60, & ſumuntur initio cœnæ cum juſculo vel cerviſia 30. vel plures, plurimis malis ſunt utiles.

Emplaſtrum Norinberg. pro ulceribus, vulneribus. Rec. minii, ol. oliv. ſing. lib. ſſ. Gummi galbani, ammoniaci, bdellii. ſing. unc. 2. maſtichis, myrrhæ, olibani unc. 1. Herbæ, & radicis conſolidæ majoris, ſing. unc. ſex. Camphoræ unc. ½. ſſ. fiat empl.

Aridis membris. Rec. Pyretri unc. 4. coque in bono vino donec dimidium exhalet, adde ol. oliv. lib. 1. coque oleum novum affundendo, fiat unctio. Vel adipem canis,

canis, hirci, ursi, dialtheæ, partes æqv. solve ad ignem & unge.

Febris tertiana sanatur. Conchulæ Stagnorum in aceto fortissimo per triduum vel ampliùs jaceant, tum setaceo aurifabrorum pars nigra abradatur, & siccentur, ponanturque in novo fictili & sepeliantur in carbonibus donec albescant instar nivis, & in porphyrite conterantur, dosis. Pro robustis drachma : pro debilibus semis. dimidiâ hora vel ampliùs ante febris accessum.

SECTIO XI.

Examen & Revisio rei Agrariæ.

Agetur. 1. De Visitatione prædii. 2. De Revisione rerum juxta Inventarium. 3. Examen Factoris. 4. Examen Fructuum.

SUBSECTIO I.

De Visitatione prædii.

1. An juxta inventarium omnia sint integra?

2. An ædificia salva, hara, stabulum, aula, horreum, &c.

3. An benè agri stercorentur, arentur, seminentur? 4. An

4. An ſeminatio ſuo tempore fiat, in terra culta, quantum ex quovis ſeratur, an in locis depresſis ductæ ſint foſſæ, quis ſeminationi attendit?

5. Olera quæ, quantum eorum, an ſuo tempore ſata, purgata, collecta, ſervata, ſeminaria facta, quantum ſeminum. Olera an in foliis ſiccis & arenoſis depoſita?

6. Prata an ſuo tempore & ſereno ſecta, ſiccata, quantum collectum &c. quæ de pratis diximus. Quibus operariis, an aliqua elocata.

7 Coloni an ſuum munus impleant, cenſum an reddiderint, an laborent extraordinariè, an alibi, an pro pretio,, an benè res ſuas domeſticas adminiſtrent, araverint, ſeminaverint. habeant pro his inſtrumenta, domum bonam, horreum, hortum, pomaria, agros elocent, damnificent res Domini, prata, hortos, ſylvas, ſtagna. An cuſtos aulæ ſit diligens?

8. Quantum ex quovis frumento creverit, quid trituratum, quid expenſum, quæ probatio facta?

9. Rationes recipiantur ex oleribus, ſeminibus, pomario, braxatorio, cremato, caupona, porcis, bobus, ovibus, coriis, ſevo,

vo, ſiliquis, fece. vellere, equis, melle, cerâ, lupulo, filis, tela, trajectu, glandibus, reditibus Reipubl. quid ex præteritis rationibus reſiduum?

10. Quæratur an Factor diligens, ſobrius, an mercator, ludis & amoribus deditus, familiaris in taberna ruſticis, dimittat illis labores, ſylvas viſitet, vaſtet?

11. In pomariis an ſemper aliquid de novo plantetur, an in Mart. vermes collecti, ſiccati fructus facti ſicci. Sepes quomodo ſe habeat?

12. Lupulus an plantatus, collectus, ſervetur clauſus, quantum ſit illius?

13. Braxatorium an continuò ſuppeditet tabernæ, cerviſia ſit nimis tenuis, quot cocturæ factæ, quantum ex illis ad aulam & tabernam datum, an braſium in Martio, Caupo aquam cerviſiæ affundat, menſuras falſas habeat. An braſium clauſum ſervetur ne evaporet, idem eſt de cremato? Conferantur impenſæ cum expenſis.

14. Porci altiles quot ſint, quam pridem clauſi, & asſignandum qui vendi debeant.

15. Quot vaccæ, ſenes, juvenes, an macreſcant præcipuè circa adventum. Quando pepererunt. Vituli quot ſunt, an caſtrati, an ablactati ante ſeptem hebdomadas, ſi qui mortui ubi pelles?

16. Oves an purgentur herbis decrescente Lunâ, agni quot castrati, an tonsi suo tempore, quantum velleris, qui vendendi.

17. Cujusque loci ac personæ relegendæ leges & videndum an observentur?

18. Galli, Anseres, Indici, numerandi. videndo quid accesserit, item qui dati ex censu quorsum devenerunt?

19. Filatio an opportunè distributa, quantum cujusque rei textum, dealbatum?

20. In sylvis an fiat damnum, quo loco, qualia ligna, in cujus usum cæduntur?

21. Molæ. An seminet molitor agrum, an reparet aggeres, tecta, palos, cataractas, mensuræ an clausæ habeantur, quot porci aluntur, quanti proventus? An aqua cum periculo defectûs dimittatur, an piscetur, capiat castores, lutras, glaciem hyeme aperiat? An supellectilem necessariam habeat.

22. Videnda etiam in aula spectans ad agrum supellex, an sit omnis, an integra, & quantum in eam expositum: tum quid hyeme factum?

23. Stramen, paleæ, an alicui donatæ, venditæ?

24. Al-

24. Alvearia an in vere purgata, cera ubi ſit quæ erat mellis vacua. An alvearia pro hyeme in alium locum tranſlata, quæ examina & quâ diligentiâ collecta, an ſereno tempore lectum mel, quantum, quid apibus relictum eſt inſpiciendum, an fuerit cuſtodia, quantum ceræ?

25. Circa equorum gregem quæ cura, quot hinnuli, quot gravidæ, ſi mortui, ubi pelles, an ſignati, an hyeme ſeorſim ab equabus?

26. Audiendæ querelæ publicæ, damna, debita, vaſtationes in agro, ſylvis, horreo, pomario, hortis, apiariis. Circa ſtagna, prata, ædificia, ſepes, itinera, vias, pontes, labores, tributa, cenſus, & negligentiam ſubditorum circa ſuos agros.

27. Limites revidendi, prata, lacus, pagi, homines, familiæ an ſolutum, an totum detur, & quomodo illa ſatisfacit;

28. Conferendus præſens annus cum præterito an augmentum vel diminutio facta in horreo, hortis, pomario, hara, ſtabulo, avibus, & quare diminutio? Si error factus quomodo illi deinceps occurendum: ſi augmentum factum, notetur ea induſtria quâ factum eſt.

29. Interrogandi seorsim singuli subditi circa Factorem, sed non facilè credendum, quomodo se gerat, an occultè aliqua transferat aliò aut divendat, hospites frequentes habeat, sit ebriosus, frequenter absit? quoties & quò vecturas imponat, ubi laborent, & quid? An alii subditi sunt vitiosi, damnificent, quæ damna fiant? quæ commoda possint esse, an recursus ad Dominum impediatur?

30. Industriæ circa Oeconomiam. Examina an sint justæ? an satis muniti loci in quibus res asservantur? quis modus in pœnis. An Factor officialibus attendat. An aliqui ex subditis valdè sint egentes?

SUBSECTIO II.

De Revisione juxta inventarium.

1. Aula. An talis ut inscripta, in ingressu porta, portulæ, sepes, cardines, unci, seræ, pessuli, catenæ? &c.

2. Hypocausta quæ ex muro, ex dolatis, aut non dolatis trabibus, cameræ, cancelli sive clathri, dispensa, fenestræ cum plumbo vel sine, valvæ, camini, almana, portæ arculario opere, fibulæ murorum, pessuli, seræ, unci, catenæ, repagula, scamna, fornaces, pavimentum, tabulatum &c. An omnia integra.

3. For-

3. Fornix, culina & ejus ſupellex, piſtrinum cum ſingulis ſuis partibus.

4. Puteus qualiter munitus, qualis ciconia, urnæ, catena an tot orgyarum, anthlia, canalis.

5. Granarium qualiter munitum, diſtinctum, inſtrumenta illius ?

6. Stabulum. An benè locata, & integra præſepia, ſcalæ, tectum, pavimentum, clauſura, munditꝭes, aquæ commoditas, fimus non adjacet parietibus qui illos putrefacit ?

7. Locus pro curribus, & ipſi currus cum ſuis partibus, præparamento pro novo.

8. Prædii, quale ædificium, furnus, piſtrinum, camini, pro vitulis præſepia, ſcalæ, pro vaccis vaſa & pro lacticiniis, pro iisdem ſcripta qualis, pro caſeis domuncula, gallinarium columbarium.

9. Balneum, ejus fornax, labrum, caminus, vaſa.

10. Alvearia quo loco, quot plena, tectum illorum, clauſura, ſepes.

11. Braxatorii quale ædificium, ingresſus, ſepes, tectum, locus ſub tecto, vaſa, dolia pro braſio, ahenum, focus, urnæ, cochlearia,

chlearia, amphoræ, corbis pro lupulo, secures, infundibula. Brasiatorium, & ejus fornax.

12. Locus in quo distillatur crematum, ahena cum tubis, vasa, dolia, infundibula, hydriæ, tectum.

13. Cellarium quo situ, quales gradus, trabes, &c.

14. Ovilis ædificium, præsepia, sepes, scalæ, porta, tectum. Oves, fætæ, steriles, quot albæ, verveces.

15. Pecora quot cujusque coloris, tauri, boves altiles, laboriosi. Idem de equis, qualiter habentur?

16. Quot sues, quales porci, ædificium haræ.

17. Gallinæ, anseres, indici, capones.

18. Horrei qualis ingressus, porta, sepes, tecta, frumentum, stramen.

19. Agri quid & quantum in quovis potuit seminari, & an seminatum, qui deserti, quare?

20. Horti. Quid in quovis satum, neglectum, quis ingressus, seges, portæ, quæ plantæ, areæ, viæ, vasa, umbracula?

21. Pomaria, quanta, quod cujusque speciei arbores,

22. Lu-

22. Lupuletum quod ſtipitum capax, Prata.

23. Stagna quando impleta, vacuata, cataractæ, aggeres.

24. Molæ, quot rotarum, agger, rota pro pultibus, pila fullonica, lapides, ciſtæ, menſuræ, ligna, ſacci, molæ adjuncti agri, prata, horti, pontes.

25. Supellex agri, aratra, occæ, fræni, funes, carpenta, currus, ſecures, ephippia, pix.

26. Sylvæ, apes, aptæ pro ædificio arbores, glandes, arbores limitum.

27. Limites, foſſæ viæ, lapidum cumuli.

28. Pagi, quot & quales domus, tabernæ, numerus & nomina ſubditorum, eorum cura, libertates, tributa, labores, officinæ, Artifices,

SUBSECTIO III.

Examen Factoris.

1. An juſtè, & probato ſemine agros conſeverit?

2. An aliquibus ſubditis labores dimiſerit?

3. An labores ſubditorum ſuæ utilitati accõmodaverit, aliis elocaverit, donaverit.

4. An

4. An pro se agros desertos severit?

5. Sub quali mensura receperit, & extradiderit frumenta, & qualiter tributa à subditis.

6. Quantum postremorum frumenti remansit, quò devenit?

7. An loco tributorum dona acceperit?

8. Quantum fænum vendidit?

9. An collectas in bonum publicum pecunias, in privatum suum converterit?

10. Rotæ seu incisuræ examinentur an conveniant.

11. Quantum frumentum venum vexerint singuli subditi examinentur, & quantùm universim venditum?

12. An in prædio frumenta sint vendita, vel alienis curribus ex illo avecta?

13. Examinetur mensura aulica & loci in quo frumentum venditum.

14. Quantum frumenti conversum in brasium, & quantum brasii receptum, nam quatuor modii frumenti dant quinq; brasii.

15. Quomodo brasium ex brasiatorio & qualiter germinans receptum? cum quo augmento?

16. Quoties cervisia cocta, quot modii brasii pro qualibet vice accepti, quantum

in

inde cervisiæ? utrum ex quavis coctura, & quantum pro se acceperit Factor, & an quod erat optimum. Quantum ad tabernas, quantum inter subditos per dolia distributum?

17. An in aula sit venditum crematum, tabacum, cervisia?

18. Caupo exhibeat notas cervisiæ perceptæ, & conferantur cum notis Factoris?

19. An tributa realia rebus aliis, & quibus, an pecuniis redemerint?

20. An alicubi frumentum Factor absconderit?

21. Quantum Factori datum & à quo pro agris, pratis desertis.

22. An apud subditos pro Factore aliquid triturabatur, parabatur brasium, crematum, vel aliud, vel alibi, quid, quantum?

23. Quantum lignorum, fæni, lini, ad civitates deductum, & ubi repositum?

24. An Factor coëmerit frumentum, linum, &c. quantum.

25. Dum res Domini ad civitatem deveherentur quantum ex suis Factor addiderit, scilicet lini frumenti &c.

26. Quantum cremati elaboratum, quantum illius caupo ex aula accepit, notæ conferantur.

27. An

27. An solverint subditi omnia juxta inventarium.

28. An in proprio curru Factor aliquid venale ad civitatem vexerit, ut crematum, butyrum? &c.

29. Supellex an pecuniâ, an subditorum labore comparatur?

30. An factor pecora sua Domini pabulo saginaverit, quot equos ac boves alat?

31. An plures famulos & famulas alat, & utrum in ejus usum fila ducant?

32. Quot operarii quotidie in aula laborarunt?

33. Quot coloni singulis hebdomadis educebantur? Cur non totum frumentum trituratum? Cur hyeme non devectum ad locum debitum?

34. An paleæ, an stramen venditum?

35. An tributa & onera subditorum aucta, & non inscripta, an in gratiam Factoris aut villici laborârunt subditi? Si pro modis siliginis accepit duos avenæ v. g. & an hoc sit in Rationibus?

36. Quæ mulctæ, & quantæ imponebantur subditis, & utrum inscriptæ?

37. An pecora Domini Factor permutarit, vendiderit? Venationes, piscationes, aucu-

aucupia instituent, quid, quantum captum.

38. Quot porci, porcelli, cæsi, quomodo saginati.

39. Quantum mellis ex locis singulis collectum. Quid subditi hyeme confecerint. an in negotiis & laboribus Factoris occupati?

40. Quò fœnum subditi suum & aulicum devexerint.

41. An laboraturi cum animalibus, pedestrem laborem fecerint? & cur?

42. An Factor subditos coëgerit ad mutanda secum pecora, & ad res sibi vili pretio vendendas, ad cervisiam majori solvendam? An cùm reciperet tributa etiam aliquid pro labore suo exegerit.

43. An Factor pro se filandum linum distribuerit, saginandos canes, gallos, boves, quot? quantum lini in subditos distribuit conferatur cum filis.

44. Quò fæces, furfures, siliquæ, cremati rejectamenta devenerint?

45. Utrum frumentum fœnum, stramen suo tempore venditum?

46. Quantum butyri, caseorum, olerum hortensium fructuum pomarii sit collectum,

 ubi

ubi & quomodo servetur? similiter & alia examinentur.

47. Quod augmentum in re quavis factum. Quot pecora, & quare mortua, quot feræ captæ, pelles proferantur? Plumæ anserum, lana ovium, coria boum, cera, sævum.

48. Quantum fructuum siccatorum, quid venditum recentium: quid herbarum caulium, & quantum de quovis satum & collectum, & cur non plus?

49. Quæ damna in ædificiis, fenestris, fornacibus, vitris, sellis, tectis, &c. & quomodo succurri potest?

50. An Factor suum frumentum vilius meliori aulico miscebat, & purum pro se recipiebat?

51. An canes venaticos, aves alat, & quo, an ad suam venationem traxerit subditos.

SUBSECTIO IV.

Examen Fructuum.

Circa singulos fructus seu proventus inquirendum quantum satum, collectum, ubi sit: an præteritum annum superet? Hæc in tributis data.

Sili-

Siligo	Triticum	Hordeum	Avena
Pisa	Hagecum	Millium	Linum
Canabes	Papaver	Lupulus	Stramen
Purgamenta	Paleæ	Siliquæ	Prata
Fænum	Semina	Molæ	Asseres
Panificium	Equi	Hinnuli	Boves
Oves	Verveces	Arietes	Porci altiles
Sues	Capræ	Anseres	Pavones
Indici	Gallinæ	Capones	Mulctæ
Lana	Coria	Casei	Butyrum
Lardum	Adeps	Succidiæ	Ova
Pennæ	Plumæ	Pisces	Horti
Linum	Canabes	Cepæ	Allium
Caules	Pastinaca	Siseres	Petroselinum
Betæ	Ursibranca	Cucumeres	Raphanus
Nasturcium	Rapa	Rapastrum	Synapi
Lactuca	Stagna	Lacus	Vitraria
Ferraria	Pomarium	Fructus	Apes
Columbi	Fungi	Boleti	Pyra
Cepæ	Pruna	Manna	Brasia
Cineres	Scandulæ	Carbones	Querni cortices
Cleopissa	Pix	Telonium	Pontalia &c.
Lupi	Accipitres	Nisi	Feræ
Angvillæ	Secamenta	Locationes	Nuces, Cancri &c.

SECTIO XII.

De Agrorum Dimensione.

HAnc in Geometria nostra practica dedimus neque hic repetemus.

Denique.

Partibus aliis addidimus particularia quia res in illis sub communi ratione tractabamus, quod in hac parte non fecimus: ne tamen hic

 nihil

nihil præstemus, particularia quædam ad diversas partes spectantia, quæ suis locis ob certam causam omisimus, subjungemus. Priusquam tamen ex agro discedamus cantu nos agrario post curas agrestes recreemus. Canent fistulâ pastoritiâ Lycidas & Thyrsis assumpto in Georgici carminis materiam nato Bethleemi Colono (Jerm.14.) *sed quam ex Sycheno & Mæri edis cent.*

ECLOGA.

Lycidas, Thyrsis, Sychen, Mœris.

Lyc.

Quæ nova pacato volitāt spectacula cælo?
Scena coruscantes moto velamine pompas
Et reserat claros operosa in valle nitores?
Phæbus Apollineo ruit ore serenior, aurum
Purius, & flavæ dispensat munera lucis.
Quin sine nocte dies, rutilus sine nubibus æther
Ridet, & augusto præclarius ardet in ostro.
Nescio quid magnum (ni fallunt sidera mentem)
Fata canūt, nostrās signātq; ostenta per oras.

Thyr.

Aut ego mentitâ deludor imagine veri,

Et

Et denſas medio patior ſub ſole tenebras,
Aut nova lux cæli ridentis, & aureus axis
Feſtinata notat plaudentibus omina terris.
O ſua ſi nôrint, circum eluvione beata
Gaudia Paſtores undantia! pace ſequeſtrâ
Feſtivos agerent pacata per otia ſoles.
Vos tamen hinc rapitis quonam veſtigia greſſu
Nobile par Juvenum? quis ſermo? quæque perennis
Vena voluptatis riguo beat ubere mentes?
Qualis anhelantes urget cura? alite pennâ
Ventorum huc actos, quiq; impiger ardor adegit
Linquere lanigeros per mollia paſcua cæt9?
Aut vobis riſit nuper clementia cæli
Nube, vel optatam rorârunt aſtra ſalutem,
Eia agite, in medium feſtos deponite ſenſus.

Lyc.

Si cæli communis amor, patriſque penates,
Si quidquã poſſunt ſociatæ in fædera dextrę,
Paſtorumq; genus, pariſeſq́; in vota labores,
Ne pigeat ſociis liquidisſima promere ſenſa.

Sychen.

Vulgârat quondam venturi præſcia veri
Fama inſtare diem, quo ſpes fidisſima nobis
Non defecturam radioſo in ſyrmate pacem

Inveheret, totis feliciaque omnia terris.
Ruſtica quin proles ſinceri gaudia ſensûs
Auſpicib9 ſtellis, flam̃asq́; hauriret amantes,
Jam fatum agnoſco, viden, en monumenta
ſupremæ
Lætitiæ ſub fronte patent: incendia cordis
Aggere frænantur nullo, ſe prodit in ore
Quidquid curarum mens ſobria pectore
verſat.
Præco animi vultus, dum̃ corde interprete
pandit
Gaudia; nequidquã contexunt ora loquelas.
Lycid.
Fare age jam Paſtor, tantarum exordia rerũ,
Pluribus innectens quid ſpes & vota lacesſis?
Ceu cùm Phæbeis objecta nivalia flammis
Vellera deciduo paulatim rore liqueſcunt:
Sic mihi quærenti venturæ oracula ſortis
Senſim corda liquent, dum verum ambagi-
bus abdis.
Thyrſ.
Me quoq́; ſollicito nimium ſpes anxia morſu
Vellicat, ingentesq́ue movet ſub pectore
curas,
Qualiter infeſti per mille pericula ponti,
Scyllæosq́; canes, ſcopuloſaq́: ſaxa charibdis
Sæpiùs adverſam jactatam Aquilonibus alnũ
Litto-

Littora recta premunt, bipatentis & ostia portûs.
Tu modò, si quis amor, cognataque vincula tangunt
Ne desis votis dum fata secundat olympus,
Primã age lætitiæ referas ab origine causam.

Mær.

O utinam tempus! quo non felicius unquam
Nec lux aurato splendore superbior ivit,
Promere communis sineret præsagia sortis!
Questibus ipse reor lacrymisque per ora volutis,
Quas tamẽ eliceret sincera è corde voluptas,
Attonitam ferres mira ad spectacula mentẽ.
Nos aliò pia cura vocat. Sol plura parantem
Nectere sollicitat, revocatque ad munia dextram.
Interea gelidâ Boreas dum sævit ab Arcto
Ducite cornigerã per frondea pabula prolẽ.
Fortè dies aderit nostris accommoda votis
Lætitiæ alternare vices, & amara calentis
Cùm dabitur nobis reserare incendia cordis.

Thyr.

Arte novâ ut video deludis vota, sagaces
Callidus occultare dolos & vertere sensus,
Quid juvat ancipiti solatia condere nube,
Rursus & in longum nostros producere amores,

Nul-

Nulla dies animi vulgandis crede latebris
Aptior est, propriâ quã quæ se luce colorat,
Esto mihi interpres felicis ut ominis author.

Lycid.

Heu canimus surdis vocemque affundimus auris
Multa puer fundo simulans, & multa tacẽdo
Rem tacitus retegit, mox occulit, inscia fraudis
Mox parat effugia, & quos explicat, implicat astus
Ergo age dũ querulo ventos incendere fletu
Nec cælũ absistos tamẽ irrita vota precantis
Nec quidquam evincunt, sat concita tela minarum
Addere & insvetis implere fragoribus auras.
Per caput hoc juro, per amica silentia noctis,
Per Triviæ sidus, perque aurea lumina Solis!
Caligenas testor, nulla est aut montibus altis
Vallibus aut imis statio, quæ tuta legentes
Præpetibus pennis nemorosa per avia gressꝰ
Vos rapiat nostris irarum ultricibus armis,
Nec poterunt refugas alio deducere plantas
Ni priùs expediant quid Fata novissima portent.
Cinge age Thyrsi latus fortè extorquere juvabit,

Verbe-

Verberibus duris, nequeunt quod amantia
verba.

Mær.

Siste fremens animis, nec nos violentiùs alto
Vulnere dirarũ ferias. Amor omnibus idem
Arma arcere armis, & tela repellere telis.

Sych.

Quãdo autẽ sitibũda hæret spes indita cordi
Auspiciis Divûm, cæliq; probantibus astris
Edita fulgentis spectacula dicere noctis:
Pronus ad obsequiũ nõ vi sed amore coactus
Vota secundabo jactantem insana furorem
Arceat orta quies. Tumidus deferveat æstus.
Pax prior horrificos jã discolor iride nimbos
Pellat, & irati minitantia fulmina cordis.
Mutua pax animos sociali fœdere jungat
Aurea dum terris cum pace renascitur ætas,

Lycid.

Me tantùm infractas adversa in prælia vires
Explorare tuas credat, nam nomina Martis
Vix didici, pacem secura per arva secutus.
Incipe jam rerum miros evolvere casus.

Sych.

Non audita priùs Superæ faustissima sorti
Fusa redordiri incipiam, quæ nocte silenti
Conspicienda dedit placidi indulgentia cæli.
Villarum turritus apex, & summa domorum

Culmina disparent, cùm nox circũflua nigris
Umbrarum pennis, aërisq; invecta quadrigis
Svadebat pecori sõnos, pecorisq; Magistris.
Mira quies campis, & mira silentia sylvis,
Nullus ab axe sonus, spirabilis aura susurri
Nulla soporiferam turbabat murmure pacẽ.
Crediderís cælo sociatas fœdere terras,
Usq; adeò placido complectẽs omnia vultu,
Aurea pax, geminũ devincit amoribus axẽ.
Cũcta triũphanti subitò cùm fervere plausu
Audio, surgentes per frondea tecta volucres,
Ingeminare melos, parvo reboare sub antro
Palantum pecus, & festos latrare molossos.
Tum juga, tum sylvæ, latoque argentea rivo
Flũina festivi dederunt monumenta triũphi.
Ipse ego blandisonæ ut discã miracula terræ
Egredior caulâ, lux circumfusa micanti
Gurgite flam̃arum radiisq; nitentibus ardens
Intempestivam claraverat æthere noctem.

Mær.

O decus umbrarum insyetum, & radiantis honores
Noctis inaccessos! roseæ quæ fulgure lucis
Vincis inextinctos, proh quantum Hyperionis ignes!
Dum pro Sole Deum profers, pro lumine Numen.

Sych.

Sych.

Protinus ardentes ſine Sole remotior auras
Inſcius inferret quænam ſpectacula cælum,
Dũq; mea in varios tẽdit mens pervia tract9,
Prodigiũ inſolitũ,& non enarrabile monſtrũ
Suſpicio, liquidũ glomerare per aëra greſſus
Aligerum turmas, modulantibus undique plectris.

Lyc

Quàm benè ſolertis mendacia promere fraudis
Mens didicit Lunæ tremulos creſcentis ad ortus:

Thyr.

Quàm benè captanti nocturna per otia ſõnos
Janua candentes reſeravit eburnea poſtes!
Et luſtrãda dedit tenebroſa inſomnia cordi!

Sych.

Ætas (ſi neſcis) veneranda volubilis ævi
Haud alit innocuo mentitas pectore fraudes.
Cana fides animis ut cani in vertice crines
Inſidet, & vera ſine nexibus omina pandit.
At modo quæ referã majori incenſus ab æſtu
Numinis auſpicia & cæli mirabere pompas

Myr.

Janua conſpicuos prætendere cornea poſtes
Et viſa eſt animis oracula pandere veri.

Mens

Mens quæ Phæbeis se proluit ignea flammis
Est ignara doli, pellacis & inscia fraudis.

Lyc.

Pergite quæ species animo obversata recursat
Dum scintillantes potâstis in iride flammas
Et patuêre sacri proscenia mira theatri.

Sych.

Qualis ad insoliti portenta novissima casûs
Assolet ancipiti curarum in nube videri.
Nam licet abreptã per vera insomnia mẽtem
Lux beet, aspectusq;, tamẽ mortalibus impar
Luminibus, pavidos in pectore suscitat æstus.
Terremur visu, perculsa timoribus horrent
Corda, retũduntur concreto sangvine vires.

Mær.

Et mihi (quis credet) pavor alta silentia lingvæ
Pressit, & arrecti riguêre in fronte capilli.

Lyc.

Ast ubi tempestas curarum ex æthere mẽtis
Pulsa, serenatũ mulcent quæ gaudia pectus?

Sych.

Qualia Vere novo per prata virentia rident
Dum pubescentis genitrix felicior anni
Germinat in stellas, flãmantisq; æmula Solis
Frontis odoratos jacit ambitiosa nitores

Mær.

Mar.

Qualia pacatis cæli irrorantur ab aſtris
DumSol flam̃ivomos aurata ad frena jugales
Compulit, & roſeæ diffudit ſemina lucis.

Sych.

Ecce autẽ extemplo juvenũ de millibus unus
Nuncius Ales adeſt, celeri velocior Euro,
Olli dulcè rubens, Tyrisq; infecta colore
Fulgurat innocuis effulgens purpura labris,
Et geminus Titan rutila ſub fronte renidet.
Picturata chlamys quam puro intexuit auro
Phæbus, eburneolos umbrat diffuſilis artus
Quin crinale aurum, pretioſa monilia collo
Fingit, inacceſſum capitisq; coronat honorẽ.
Ille ubi ſe nobis propior dedit ore videndũ
Talia commemorans verbis ſolatur amicis,
Cara Deo ſoboles, & pignus amabile Divûm
Paſtorum genus, aſtrifero placidisſimus ore
Cui polus arriſit melioris origine lucis.
Curarum anxiferos tremebundo pectore fluctus
Pone, renidentis t[illegible]ritur tibi candida fati
Orbita, primævoq; ætas non degener auro.
Ipſe ego venturi non fallax ominis auſpex
Gaudia nectareis latè manantia rivis
Aſtrigera de ſede fero, certamq; ſalutem
Quam nuper ſociæ fabricavit in iride pacis

Man-

Mansuramq; dedit faber ingeniosus amoris.
Itè alacres quò fata vocant, quò divite luxu
Allicit undantis pretiosa opulentia cæli.
Maturate viam celeres, properare juvabit
Bethlemium ad callem, & male fulta mapalia rupis.
Hic ubi mortalis trabeatus cyclade formæ
Virgineo nuper partu sub luminis auras
Prodiit æternæ moderator maximus aulæ.
Ille DEUS tonitru qui olim tremefecit olympum,
Felix sorte suâ, & solo se numine lætus,
En Puer, en vagit, lacrymisq; per ora liquatis
Plorat amare, & amari, & amat, neque, sic sed amatur,
Major Matre Puer, superoq; æquævus Amri,
Nec Genitore minor, regali à stirpe creandū
Quem totidem quondam cecinêre oracula Vatum,
Factus Homo est, vestræq; haurit commercia lucis.
Quare agite ò celeres, angusti limina tecti,
Antra habitata Deo, exesaq; invisite cautes.
Non illum astrigero fabricata palatia cælo
Sublimesq; lares servant, non lucida nodis
Fascia stelliferis, radiataq; vestis inumorat.
Qui quondam thalamum potuisse in sedecurli Dici-

Dicitur, & rigidas insedit Sponsus aristas.
Quiq́; olim sessor Zephyris laxabat habenas
Jam Boreæ jacuit data præda furentibꝰ auris.
Ferte citi flores, calathis date lilia plenis,
Albentesq́; agnos, pressiq́ue coagula lactis.
Pura placent Puero, si purâ mente litetis.
Sic ait, & motas pennis pernicibus auras
Dissecat, & nostros secū rapit altus amores.

Lycid.

Felices Juvenes! superis quibus emicat oris
Tessera lætitiæ, divusq́; exæstuat ardor.

Thyrs.

Arva tenet Divinus Amor? juvat ire sequaci
Quò nos cunq́; vocant felicia lustra volatu.

Mær.

Quid mihi tu Pharios quondam venerata per hortos
Commemores portenta Deûm, porrosque, fabasque,
Vana superstitio nostris feliciùs agris
Numina nata vireant, atq́ue omina nata secundant,
Haud ulli posthac steriles dicentur avenæ
Nuper Agri florem radiosâ luce coruscum
Si tulit ad solem calamus pungentis aristæ
Pascitur in paleis, non inter lilia, cæli
Sponsus? Pæstani ah valeant cum floribus horti.

Lycid.

Lycid.

Hæc olim (nec vana fero) ſpectacula campis
Viſa Palæſtinis, dum vepres inter acutos
Iſacidū Ductor placidæ ſub imagine formæ
Vidit adoratum terris ardeſcere Numen
Jam redeunt eadem ſpectanda incendia: quando
Æſtuat igne Deus pungentes inter ariſtas.

Thyr.

O nos felices! fauſto ſub ſidere natos!
Omnibus tantis ſi rerum eventa beâſſent.
Sæpe & enim memini frondoſa per arva Menalcam
Aurea dū cytharæ reſonabilis arte magiſtra
Fila retractaret, non unâ voce canentem
Audiſſe æthereas ventorum Solis in oras.
Immortale jubar, quod luce optabilis auri
Bethlemios ditaret agros, ſylvasq; comātes.

Mær.

Tu quoq́ue quàm felix poſthac non impare teſte
Dicêris Bethleē? Divûm quæ prima tonantē
Excipis obſcuri latebris horrentibus antri.

Lyc.

O ego quæ liquido manantia ſæcula melle
Auguror! hoſtilis deſæviet ira minantis
Numinis, hinc ſuperis jūgemus fœdera regnis
Arma

Arma procul,Bellona procul,procul ite furores
Martis anhelantes, regnat pax aurea terris.
Vos quoq; Paſtorum ſoboles gaudete,licebit
Inter Paſtores ſociabile viſere Numen.
Pergite vos rerum extremos evolvere caſus,
Quò tenuiſtis iter? quæ gemmea gratia ruris
Florenti complexa ſinu vos inde beavit?

Sych.

Auſpice jam cælo, cæliq; faventibus aſtris
Viſendi ſtudio meliori in lumine pompas,
Protinus agreſtes operoſâ indagine lucos
Cingimus,in lucis floreſcere Theſſala Tempe
Vidimꝰ, hybernæ namq; inter frigora noctes
Gemmea vernat humus, florentiaque arva vireſcunt.
In niveos collecta ſinus,quin feriare in auro
Viſa beatifica lactentia pignora Matris.
Hìc violæ, & flavo rubicunda roſaria crine
Naturâ mirante, ſolum redolentibus auris
Afflant & ſeſe pæ[illegible]ano murice pingunt,
Floricoma in ſcen[illegible] ridentis odores prati
Demetitur,Superûm Flori nectẽda coronat.
Ocyùs hinc feſto legimus veſtigia greſſu
Bethlemiã ad rupem,& caræ cunabula prolis
Lactis opes,agnumq;,& florea ſerta ferentes.
Ecce novis iterum cælũ ſpectabile monſtris?

Ilicet horrentes cælo delapſa per umbras
Flama ruinoſam complexa nitoribus aulam
Obſidet, & totâ radiorum aſpergine cingit,
Flamiferis credas aut ſtructa magalia muris
Aut flam̃is ardere lares, venerabile tectum
Fluctuat in radiis, tantoq; exæſtuat igne.

Mær.

Attoniti gradimur dũ luſtra per avia, ſedes
Numinis optatas greſſu propiore petentes.
Prò quàm pennigeris latè exundare maniplis
Cernim9 aſtrigeros & milite fervere campos
Nõ ita Threycio properantes orbe volucres
Pigmæis cùm bella movẽt nigricantibus alis
Aërios tractus & inumbrant nube canorâ,
Fervet ut alligerum conferto examine cælũ.
Pars agitat celeres liquidũ per inane choreas,
Pars lituos animat, levibusq; argẽtea chordis
Plectra repercutiẽs, vario diſcrimine cantus
Aſſimilare dulces, & ſiſtra ſonantia tractat.
Hinc circum colles & aprici culmina montis
Vocibus aſſultant, levibusq; invecta ſuſuris
Aurea pax reſonat, noſtrasque reverberat
aures,
Pacem ſaxa ſonant, reddunt vaga ſidera
pacem.

Thyr.

O mihi dulciſonæ, quæ pacis amabile nomẽ
Bella movens animo, curarum in pectora
fluctus
Exci-

Excitat undantes, variosq́; reciprocat æstus
Quæ jam vera reor, jam somnia vana, tenebris
Hîc tegor, hîc retegor, veluti per nubila Phæbus
Humida turbatus dubiis fulgoribus hæret.

Lyc.

Motus pone, fides quam tot miracula rerum
Aurea vocali vel sidera luce probârunt
Nullis, crede, dolis nulli est obnoxia fraudi.

Sych.

Ventũ ubi decidui male fulta ad lumina tecti
Vidimus & cælum patefactum in rupe nivali.
Hinc aditum urget amor, mox hinc reverentia terret.
Tandẽ vicit amor, Bethlemiaq; antra subimus

Mær.

Quæ Deus antra colit, renitentia veriùs astra
Dixeris, astrifero vel templa simillima cælo.
Majestas proh quãta laris! proh quãtus in æde
Fulgurat exigua radiis flam̃antibus ardor!
Non ita flam̃igero Lycis chlamydatus in ostro
Littore ab Eoo veniens per cærula regna
Urget Phæbus equos, radiataq; lora fatigat.

Sych.

Limina sidereæ tenuisse micantia sedis
Rebar, & æternos potâsse in fonte liquores,

Usq; adeò abſorptam per dulcia gaudia mentem
Numinis ora beant, diæq; incendia flammæ.
Ecce autem humano trabeatum ſyrmate verbum
Stramineos inter thalamos, paleasq; rigẽtes
Queſtibus ũbriferas implens puerilib9 auras
Vidimus ad ſævi palleſcere frigore Cauri
Tutor ibi, hic Genitrix, toto jã vertice proni
Regis ad obſequium, famulas in munera dextras
Expediunt, natumq; fovent ardentibus ulnis
Authorem venerata ſuum quin ore calenti,
Immites ventorum animas, glaciemq; nocentem
Frangere cogit amor jumenta carentia mẽte
Thyr.
Ergonè Rex Superûm celſum cui regia cælum eſt:
Cui chlamydẽ Titan, texunt cui ſidera ſertũ,
Sceptrigeros orbis cui faſ tes ponit uterq;
Nudus, inops, tremulus ſtatuli penetralibus antri
Accubat inſtratâ ſuffultus arundine? fletus
Ore ciens querulos? quid non cæleſtia cogis
Pectora flamma rapax? qualis vos cura moratur
Inte-

Interea juvenes? *Sych.* brutis nos ponè Magiſtris
Supplicis in morem divini ante ora Puelli
Vota precesq; damus, Nati juvat usq; tueri
Cæleſtes vultus, atq; oſcula figere plantis
Vimineos thalamos, teretiq; rigantia dumo
Strata coronamus ſertis florentibus, agnum
Addimus, & mulctræ munuſcula grata recentis.
Riſit ad hæc Puer, & nutu quo frænat Olympum
Arridens tacitas reddit pro munere grates.
Hic ardẽs noſtras populatur flam̃a medullas
Perq; ſinus labens liquido torrente voluptas
Non interruptæ parit aurea gaudia pacis.

Mær.

O ego quàm dulces ab amico Numine ſenſus
Ardentesq; hauſi ſenſim per viſcera flam̃as ?
Nempe pharetrati non vana Cupidinis ora
Ille refert, cui fulmineum ſinuatur in arcum
Lene ſupercilium, cui tela triſulca rigentes
Sunt calami, fixit quêis dulcia vulnera cordi.

Sych.

Vidi ubi virgineo recubantem pectore Natũ,
O mihi quàm rigui ſacræ dulcedinis hauſtus
Corde ſub arcano, feſtivaq; ſenſa perennant?
O quis amor Superûm ? roſeô ſuperinnatat ore
Splen-

Splendor Apollineus, geminos Charys ambit ocellos
Lacti mixta refert nativa corallia vultus.

Lyc.

Ipse ego non noti jam sentio Numinis ignes,
Jã mea vota Puer, mea munera poscit ad aras,
Thyrsi quid ingrati glaciali mente rigemus?
Quid sit amor nescit, qui vulnera nescit amoris.

Thyr.

Ergo age. Bethleæ properem9 rupis ad antrũ
Omnibus ardor inest juga scandere devia montis.
At quæ dona ferã? flabris glacialibus Eurus
Brumaq; frondẽtes circum demessuit agros.

Lyc.

Ipse ego liminibus rupis foribusq; relictis
Sedula factus apis divina per ora Puelli
Perq; genas volitans, per lactea lilia colli,
Dædalus inde favum cõponã & dulcia mella,
Mella, quibus cedat vel p[illegible]ri nectaris imber
Aut Arabum rores, sudat[illegible]q; balsama trunco
Hæc referam Puero, Pueri de fænore dona.

Thyr.

Ipse quoq; haud gemm[illegible]as, haud Hermi divitis aurum,
Assyrias nec opes, nec Eoo littore merces,

At

At referam grato pro munere munus amorē
Dulcia quin cordis ſuſpiria pabula amantis,
Et lacrymas addam libamina dulcia Nato.
I licet è lacrymis faber ingenioſus abortus
Contexam Pueri nectenda monilia collo.
In teretes lacrymæ gemmaſcent protinus orbes,
Sic orbes nexi, ſic lacryma nexa catenam
Effingent, quâ div9 amor ſibi junget utrosq;
Sic corde in gemino ſpirabit amabilis ardor.

Sych.

O factum bene! ſecurum fax prævia callem
Horroresq; novo jam fulgure ſignat opacos.
Carpere jam liceat curſus, amor odit inertes.
Pennas jungat amor, levibusq; talaria plantis
Nec via longa: latent propriori in caute receſſus.
Ire libet Lycida? *Lyc.* prohibet mora nulla. *Sych.* volemus.

VARIA PARTICULARIA PHILOSOPHICA,

Præcipuè in Materia Oeconomica.

Cur quando currus procedit res quæ illius priori parti sunt impositæ versùs posteriorem recedant?

Contrarium videtur debere fieri quia pars prior in curru est depressior, & currus antrorsū rapitur. Simile quid si tabellam politam supra mensam projicias ut per mensam lubricetur, pōdusculum tabellæ impositum progredietur retrorsum. Ratio utriusque eadem. Currus & tabula feruntur impetu sibi impresso immediatè, at verò pondera illis imposita solùm quatenus illis sunt imposita de illo impulsu participant, atque tardiùs feruntur, itaque semper remanent, donec tandem totum suum subjectum deferant. Inde etiam quò pondus est minùs citiùs retrorsum fertur, quia minùs de impulsu accipit. Et licet totum etiam impulsum onera perciparent quo currus fertur, adhuc ille impulsus ponderi imposito non est proportionatus; unde potiùs turbat motum in pondere quàm incitat, sicut dum pluma impetu magno projicitur. Cur

Cur angvilla mortua si in loco tepido maneat scatet vermiculis similibus pediculorum?

Angvilla multum humidi, multum oleosi habet, humidum putrescit sed ab oleoso intersecatur, hinc minutæ particulæ sunt putrefactæ quæ non possunt esse materia nisi minutorum vermium. Similes verò illi sunt pediculorum quia ex simili nostro sudori materia oriuntur, id est ex impuro humido fæculento ob mixturam terrei.

Cur Zingiber contusum si melli aut mulso inspergatur, dilabitur?

Magis dilabetur si calentibus istis inspérseris. Ratio verô est. Quia mel calens est liquidum, zingiber calore aucto rarefacit, partes itaq; rarefactæ à se discedunt, & zingiber secum distrahunt, hinc dispergitur.

Cur sangvisuga cinere aut sale conspersa suctum sangvinis intermittit?

Sugit, quia voluptatem percipit: sal & cinis est mordax hic inspersus dolorem excitat, qui illam voluptatem superat, itaque bestiola convertitur ad abigendum dolorem, & morsum à carne retrahit.

Cur si quis calidæ cervisiæ superbiberit frigidam incurrit stranguriam, non incurrit verò si præbiberit frigidam ?

Cervisia calida multum halat calidi, dum illi superfunditur frigida, continetur hic halitus ne evaporet, ac demum per antiperistasim incenditur, hinc fit stranguria, dum partes metuunt urinam incensam, seque arctant & tanto magis ardorem sibi imprimunt. Hinc remedio est succus raphani minoris superbibitus, quia est valdè penetrãs ob quod calculum dissolvit: penetrat itaq; frigidam cervisiam, calefacit, & sic viam parat ut vapor è calente exeat. At verò cùm post frigentem bibitur calida, liberè calida halare potest.

Cur in siphone inflexo ascendat aliquando altiùs aqua quàm sit in vase è quo trahitur ?

Collocetur vas vacuum, immittatur illi sipho ita ut crus longius habeat extra vas, terramque respiciat: tum aqua affundatur vasi usque ad summum (sed opus est ut prius sipho interius madeat aquis) fluet aqua tenuiter per siphonem, adeoque cùm non trahatur ab alia aqua (supponitur enim sipho esse vacuus, ascendet in flexura siphonis altiùs sua origine. Ratio. Quia sicut

ca-

calamus madidus attrahit atramentum ſolùm extremitate ſua illi admotus, cujus cauſam in libris de ortu dedimus. Ita & ſiphonis mador, ſed cùm illa attractio ſit debilis, fluit aqua tenuiter, ac ſubinde paulò poſt deficit. Quodſi vaſi affundatur aqua cum impetu, ſaltabit pars aquæ intra ſiphonem, ac ubi locum ejus altisſimum ſuperaverit, trahet reliquam conſtanter. Jam verò ſi vaſis labra fuerint ſicca, & aqua lentè infundatur, faciet in orificio vaſis gibbum reſpectu cujus ut altioris aqua per ſiphonem cogetur fluere conſequenter.

Cur à Deo nulla res mala creari poteſt?

Quia ut S. Th. in 2. d, 3. q. 1. a. 1. Nullus effectus conſequitur ab agente niſi juxta conditionem agentis, itaque cùm effectus debeat participare cauſam, & Deus ſit bonus, non poteſt ab eo malum prodire.

Cur Angelus primo inſtanti ſuæ creationis peccare non potuit?

Non potuit ut docet S. Th. l. c. Quia non poteſt peccari niſi amando bonum apparens. At verò juxta S. Aug. lib. 3. contra Acad. Nemo bonum veriſimile judicare poteſt, niſi priùs verum bonum cognoſcat. Et juxta S. Th. l. c. Intellectui creato

impoſ-

impossibile est plura simul cognoscere. Itaque primo instanti debuit Angelus verum bonum cognoscere, secundo apparens, quod dum amat, peccat.

Cur arbor beta corticem habet instar papiri?

Corticem qui adjacet trunco habet solidum & durum sed friabilem, quia terreo crasso constat & modico glutinoso, hinc malè partes ligantur. Multo enim hæc arbor constat aqueo, hinc dum inciditur in Aprili vel Majo, copiosissimum fundit succum. Hic dum halat per poros corticis coalescit in illam papirum albam, quæ in latum est fissilis, & maculas admittit secundum latitudinem quia ut copiosior humor in trunco veluti tubo ascendit, ita ad latera vaporat. Tenuiores ramusculi sunt nigri neque hâc papiro vestiti, quia modicum aquei continent.

Cur in magno gelu nix minuta, in parvo per magnos floccos cadit?

Nivis materia est vapor, hic verò subtilior & paucior ascendit cùm est gelu grande, imò in ipso ascensu ante regiònem secundam concrescit, hinc nivis modicæ & raræ particula. At remittente frigore copiosior est materia neque concrescit ante locum

locum debitum ubi ſe cum alia conglutinat in floccos majores.

Cur triticum degenerat in lolium ?

Omne ſemen eſt productivum, & ſiquidem ſit ſanum robuſtum, ſuæ ſpeciei à qua processit aſſimilat fructum : Si verò ſit debilitatum, læſum, producit aliquid deterius, & ob hanc cauſam ſemina tritici non jam triticum, ſed lolium producunt, hordeum, ſterilem avenam. Accidit etiam ut licet ſemen ſit bonum ſi tamen terra inepta ſemen pervertatur, ut ſicut bonus artifex ſi in materiam inhabilem inciderit, non poſſit elaborare quod intendit, ſed pro ſtatua v. g. formoſa proferat deformem.

Cur ſurſum tendit calor ?

Aër ſubjectum eſt caloris, hic rarefit à calore, & rarefactus tendit ſurſum, utpote denſiori aëre factus levior, & ſecum fert calorem. Hinc ferrum calens aliquomodo eſt levius frigente, quia poſitum in bilance reddit circa ſe aërem tenuiorem, atque per illum faciliùs ſurſum attollitur.

Cur in dolore gravi artus tremunt ?

Idem eveniet ſi membrum aliquod fortiſſimè ſtrinxeris, vel extremo conatu aliquid preſſeris. Quia cũ corpus dolet ſtringi-

tur & ſpiritus non procedent liberè, idem fit cùm ligatur, idem dum conatu ſummo premitur quia nervi tenduntur, ac tenſi vias præbent anguſtas, qui dum nequeant permeare, ſubſiliunt, ac tremorem faciunt.

Cur aliquod atramentum dum eo ſcribuntur literæ, initio albeſcit, poſtea fit nigrum ?

Nigredo provenit in atramento quando vitriolum adurit liquorem gallorum, contingit autem ut eum non poſſit adurere, vel quia ipſum eſt debile, vel quia multa aquoſitas in aqua gallis ſoluta impedit, vel aliquid ejuſmodi, inde fit atramentum pallidum: ſed poſtquam in charta pars aquoſitatis, vel alterius impedimenti eſt arefacta & conſumpta, reliquam vincit vitriolum & in nigrorem addurit.

Cur atramentum quod muceſcit fit debilius ?

Mucor eſt effectus putredinis, putredo non fit ſine calefactione. Itaque atramentum calefit, ac proinde rarefit, hinc vapor aqueus ad ſuperficiem avolat & ibi concreſcit, & cum eo plurimæ partes igneæ quæ fuerunt liquorem gallarum aduſturæ, ſine qua aduſtione debilius evadit atramentum.

Cur fimus fæcundat agrum ?

Quia plantis veſcuntur animalia, in plan-

tis

tis verò eſt ſal idoneus ad plantas producendas.& quidem ſi ſit vigoroſus plantas ſuæ ſpeciei producit, propterea fimus boum recens implet herbis inutilibus agros qualibus paſti boves. Propter ſalem non ſolùm fimus ſed etiam folia arborum, & cinis agros fœcundant. Hic ſal ubi debilitatus ſicut & ſemina evanida non aſſequitur ſuam ſpeciem, ſed tamen aptus eſt aliquid producere, quod dum conatur facile poteſt determinari à ſemine robuſto v. g. tritici ut producendo tritico ſuffragetur unde ſi bos paſceretur ſolo ſemine, paleâ, ſiligine, fimus ejus ad ſiliginem maximè agrum (dum ager ex ſe non repugnaret) perficeret, Impingvat etiam agrum fimus dum ei ſuam oleoſitatem admiſcet quæ multa illi ineſt ob plantas ex quibus factus. Hæc oleoſitas juvat ad fœcunditatem quia à planta enaſcente attahitur cum humore, & eam impingvat alimentum ejus incraſſando, ut hoc modo intra plantam maneat nec citò evaporet, quò fit ut planta & robur, & incrementum, & colorem vivaciorem aſſumat.

Cur

Cur homicidæ fugientes, post multum factum iter, sæpe inveniantur prope locum homicidii?

Seposito consilio Divinæ providentiæ, id etiam ex naturali causa evenire potest. Quia timet vehementer homicida, & perpetrato scelere agnoscit ejus gravitatem. Hinc arrepto uno itinere suspectum illud habere incipit, & ad aliud tanquam securius deflectit, tum ab isto ad tertium, & sic deinceps, atque ita consumit totam noctem gyrando se circa locum homicidii. Propterea hic error ordinariè meticulosis, & qui primum scelus patrârunt, faciliùs accidit.

Cur albi panni cùm veterascunt flavere incipiunt?

Quia albo cùm admiscetur modica nigredo flavescit, talibus verò pannis paulatim incidunt pulvisculi, fuligines, & similia nigra?

Cur vitra antiqua opaciora fiant?

Patet hoc in fenestris. Hæc vitra molliora sunt quàm nova, unde apparet quod aliquid exhalaverit quod illa reddebat duriora, hoc fuit aqueum congelatum, & hoc idem reddebat pellucida, unde illo abeunte necesse advenire opacitatem.

Cur ſcandulis & tegulis antiquis in tecto muſcus innaſcitur?

Terræ ineſt vis ſeminalis vilium plantarum, hoc terreum ineſt ligno unde ligna muſco virent etiam ſylvis antiquiora, ac potisſimum ubi putrefactione accedente terra ſolvitur quæ ligno ineſt, ob hanc cauſam ſcandulæ veteres muſcum generant, adjuvant pulveres ventis è terra in ſcandulas delati. Unde ut eam vim ſementitiam mortificent, ſcandulas in oleo lini, vel aqua ſalita percoquunt. Argilla ubi putruerit muſcum edit, hinc tegulæ muſco virent.

Cur ſub muſco ſcandulæ putreſcunt?

Partim quia muſcus prohibet ne Sol aut venti humorem in ſcandulo arefaciant: partim quia humorem internum ligni ejusque gluten extra evocat, quo educto partes diſſolvuntur, & fit putrefactio.

Cur parvos admodum oculos urſus habet?

Quia nimis terreum eſt animal ut probat ejus villoſitas magna, neque pars terreitatis abit in cornua ut in bove, hinc tota in os capitis abit, quod ideò eſt fragile, quia deeſt ſufficiens humidum quod illi adderet lentorem. Oculis ergo qui ſunt

aquei parva in capite relinquuntur foramina, atque modicum ſuppetit materiæ, hinc neceſſe eſt illos parvos eſſe.

Cur in ſiti magna os amareſcit?

Cum humor aduritur, fit ſalſus, cùm multa eſt ſalſedo fit amaror, id in ſiti accidit, calor enim ſalivam aut alium humorem adurit.

Cur cera emollitur calore?

Quia multo oleoſo pingvi prædita, hoc verò calore ſolvitur, uti mos eſt pingvium. Pingvia verò ſolvuntur calore, quia multo aëre prædita, aër verò rareſcit calore, rara ſunt molliora.

Cur in fundo fluviorum foſſæ non inducuntur limo?

Foſſa fit in fundo fluviorum, dum aqua limum, aut arenam vehit, & in aliquod obſtaculum impingit in quo limus detinetur, & fundum elevat, aggeremque conſtituit, ex quo deinde aqua decidit & terram ſi ſit mollis excavat, hinc fit foſſa, quæ impleri limo non poteſt, quia aqua decidua dum ad fundum alliditur, reſilit & limum ſecum elevat, quem deinde ſecum evehit. Quòd verò aqua intra flumen in foſſam decidat, experieris, conſiſte in margine

gine fossæ, senties te ab aqua in fossam trudi.

Cur terra pluviis vernis durescit?

Postquam nives solutæ sunt, redditur terra mollis ac tenera, postquàm verò supervenerit pluvia, indurescit, at contrarium fieri deberet, quia quo plùs humoris terræ affunditur, magis illa emollitur. Ratio tamen casûs est. Quia nix multum subtilis terrei continet, ut patebit si illam solveris: hoc in agro solutâ nive manet spongiosum inflante spiritu & exhalatione terreâ quæ se multa per hyemem collegit, & ubi cæpit aperiri tellus erumpit. Habet etiam propter nitrum quo nix abundat, vim inflandi. Hinc majores fiunt exundationes fluminum post nivem solutam, quàm post pluviam. Cùm ergo decidit pluvia, partem comprimit partes terreas inflatas, partem aperit viam spiritui ut evolet, & sic terra compressâ & in se relabens induratur.

Cur vortices fiunt in fluminibus?

Vortex non fit nisi fossa est in alveo. Dum enim aqua in fossam cum impetu delabitur, aliam inde expellit aquam, hæc verò ab opposito latere fossæ repercussa

 redit

redit in contrarium, ſed inde rurſus repulſa ad latus convertitur, hinc fiunt gyri.

Cur aliquando cruditas in ventriculo ſentitur?

Id variis ex cauſis accidit. Vel enim ventriculus vitioſis humoribus repletus eſt, vel cibis pravis, ut fætidis, acidis, putredini aut fætori obnoxiis, ſive id cibi ex ſe habeant, ſive ex inepta præparatione, hi enim in ventriculo corrupti cruditatem inducunt, aliquando cibi etſi non putreſcant concoqui non poſſunt, & tales immutati dejiciuntur, ſed hæc incoctio non cruditas appellatur.

Cur aliquod Novilunium, Plenilunium &c. vocatur v. g. Majale?

Non quòd Lunæ ſint menſibus alligatæ ita ut à cujusque menſis certa ſit; quovis enim anno tertio una lunatio accedit, atq; intra an. 18. quæ fuit Lunatio v. g. Januarii, fit Auguſti. Appropriatur verò illi menſi Lunatio illa, quæ in eo completur. Obſervatur autem v. g. Majalis non quòd illa ſit Majo propria, ſed quia hoc menſe dum eſt plenilunium, vel Novilunium, hoc vel illud in re agraria vel Medica aggredi eſt utile.

Cur

Cur primum tonitru prænuntiat statum veris?

Observatum est, si primum tonitru fuerit cum Borea, Ver sequi frigidum: si fuerit cum vento orientali, sequi calidum & siccum: si cum meridiano, calidum, sed insecta multa adducere: si cum occidentali, ver sequi humidum, nimirum juxta ventorum naturam. Nam meridianus cum sit putrefactivus, ad ea quæ ex putri nascuntur, qualia sunt insecta, multùm conducit. Causa verò hujus rei totius hæc esse potest. Ventus quò cæpit delabi, labitur, si continua sit materia, & non deficiat: jam verò ad initium veris, quo tempore post congelationem in nostris partibus Borealibus solvitur terra, proxima colligitur ventorum materia, hanc in aëre suspensá ac sibi cohærentem dum rumpit tonitru, facit effluere, illa ergo fluxum continuat, ac aërem infrigidat vel calefacit: sed delabi in terram ab aliis vaporibus ascendentibus non sinitur, itaque diutiùs hæret in aëre, ac illum afficit

Cur Autumnalem constitutionem Ver sequens imitari solet?

Hoc in nostris partibus fieri observa-

tum. Causa autem est, quia in Autumno plurimi halitus ascendunt qui aërem afficiunt, manentque parte magnâ in aëre per hyemem, unde hyemes solent esse nubilæ: vel certè si in terram delabuntur, cùm illam optimè clausam inveniant, hærent in superficie, unde primo Veris tepore facilè assurgunt, ac aërem simili modo atque in Autumno afficiebant, afficiunt. Qui etiam in aëre manserant attenuato aëre descendunt, & eandem affectionem promovent.

Cur lien porci in Autumno cæsi, futuræ hyemis constitutionem indicat?

Observant crassitiem lienis, si totus ille crassus & amplus, tota hyems rigida: si solùm versùs dorsi spinam crassities illa & tumor lienis fuerit, hyems solùm in fine sæviet: si in medio lien amplior, etiam hyems in medio horridior: si versûs ventrem se lien ampliaverit, hyems solùm initiò sui ferox erit. Ratio hujus est. Porcus terram frequentissimè rodit, ac multos halitus terreos, qui sunt frigidi ac sicci, recipit, isti ad lienem tendunt, qui est receptaculum frigidorum ac siccorum: & si vis astrorum quæ illos elevat est fortis ascendunt copiosè, lienemque totum implent &

inflant. Similiter fit in aëre: in quo deinde halitus ad ſuum frigus redeunt, & ſuo lapſu ventos, atque auram inhorreſcere faciunt. Si modici halitus terrei ab aſtris & quidem initio Autumni trahuntur, & vis elevans eſt fortis, partem ſupremam lienis quæ eſt versùs ſpinam petunt, & idem fit in aëre. Halitus enim altè aſcendunt, & alii non ita frigidi & ſicci infra illos ſe ponunt, qui quidem ad lienem porci non ſpectant. Itaque in aëre fit ut primâ hyeme compareant molliores venti, ac finem ultimum duriores exaſperent. Si initio Autumni ſvaviores halitus è terra elevantur, in medio ſicci ac frigidi, visque mediocris ſit attractiva, lien in medio augetur, & ſimile quid evenit in aëre. Si demum ſolùm in fine iſti naturæ terreæ conſurgunt halitus, neque vis eorum attractrix valdè robuſta, manent in baſi lienis, & ſimiliter in aëre non valdè attolluntur, ac proinde primi ſeu initio hyemis deſcendunt, illamque reddunt glacialem.

Cur ſi lutra aſcendat ripas, arenasque fodiat, brevi ſint futuræ pluviæ quæ ferè communiter attollant aquam fluvii?

Lutra licet ſit amphibium animal, ma-

gis tamen aquas amat: itaque magis est humidum & aqueum quam terreum, cùm similia appetant simile: cùm ergo vapor pluviæ materia attollitur, etiam ex lutra attrahitur, quæ idcircò sentit corporis alterationem, cui dum levamen quærit, exit in ripas: at quia illa alteratione cor ejus afficitur, angustias quasdam percipit: angustiati verò solent vellicare, morsicare ungves &c. Ita lutra fodit arenas, & cùm vehementior fit vaporum attractio, magis lutra percellitur, & altiores partes riparum petit. Postea pluviæ superveniunt, & aqua increscit, sed non præcisè juxta lutræ vestigia. Idem fit in Castoribus, qui sub ripis altioribus effodiunt cavernas, ac intra illas erigunt lignorum strues, eas levando aut deprimendo prout aquarum ascensum vel descensum præsagiunt. Fabula autem est (ut id obiter attingamus) id sibi Castores dentibus amputare cùm urgentur à venatoribus, vel cùm secum decertant, quod Castoreum appellamus. Nam imprimis vix prodeunt ex aquis, quin caudam ne arescat in illa retineant, quam habent unius saltem pedis longitudine, planam instar tabulæ, latitudine circiter 4. digitorum, instar lingvæ

in rotundam propè desinentem, corio simili atque canum nares obductam, expilem, latitudine suâ pedes posteriores, qui velut anserum membranis junguntur, obtegentem, Deinde obesum est animal, pedibus pro mole brevibus, quorum priores fossioni ob ungves robustos, posteriores natationi, applicat, ac proinde ad cursum inhabile, ut non à venatoribus, sed à piscatoribus ferreâ decipulâ capi illud contingat. Præterea dentes in ore quatuor habet rubeos, duo ex inferiori labro, duo ex superiore egrediuntur, ac in se incidunt, non abscissioni sed rosioni utiliores. Nam longi prope tres digitos, lati tertiâ aut quartâ parte digiti, in acumen instar lineæ desinunt. Demq; quia castoreum, cùm reliquo quod illis jungitur, non extra sed intra ventrem, ac ejus pellem absconsum habent, idque glomis quatuor constans: quod demi animali nonnisi dissecto potest, atque simile est in utroque compare,

Cur imminentibus pluviis sua ranæ semina per ripas disjiciunt?

Ob eandem causam ac de lutra diximus egrediuntur ex aquis, & similiter angustiatæ in partum solvuntur seminum.

Cur ursus dentes habet absque radicibus?

Loco radicis dentium in urso est mandibula cum qua sunt dentes continui, neque ab illa separari possunt, neque tamen sunt durissimi. Quia istud animal terreo multo constat ut ostendit ejus pilositas, sed crasso quod in ossa non satis concrescit, præsertim cùm plurimo constet muco, quod patet ex eo, quia & catulos (non massam ut quidam putârunt) muco plenos ac obsitos parit, quos lambendo purgat. Per dies etiam certos solo suo muco alitur: ob mixturam crassi terrei muco mixti, artus in eo crassi & quasi informes, ossa debilia præsertim copiosi, quæ enim crasso terreo constant friabilia sunt. Hinc uno ictu percussus in capite ursus moritur, quales ictus lupus superat 30, aut 40. Dentes ergo cum madibula continuantur, quia cum terreo subtiliori ac puro constent, illud vi caloris attollitur in dentem, qui licet sit canino similis intra manibulam se tamen ab illa, ut caninus, non separat: quia illud subtile terreum purum est modicum, & quod illud sequitur est impurius simileque materiæ mandibulari, quocirca miscetur cum illa, ac contunditur, concrescitque.

Cur

Cur Lucius licet plerisque piscibus sit robustior, extra aquas tamen citiùs moritur ?

Alii pisces sunt limosiores, & frigidiores (præter percam quæ etiam in aëre non diu supervivit.) Propterea limo suo se refrigerant. At lucius caloris est multi, ut patet ex magna ejus voracitate, ex dentibus, celeritate in natando, levitate nam intra aquas immotus pendet. Hinc extra aquas dum se non refrigerat, suffocatur. Perca etiam calorem ostendit, spina multa, squama dura, caro siccior. Ob contrarias verò causas, angvillas, cyprinus &c. extra aquam dum alimentum habeant, & non magnum calorem, diutiùs supervivunt.

Cur pilos cætera animalia mutant vere non autem Homo ?

Cæteris animalibus è pelle, homini è carne prodeunt pili. Verno itaque tempore cùm humores hiberni solvuntur in carne copiosius halitus ad pellem fertur: & in homine quidem parcior, quia dum hyeme se vestibus tutatur à frigore, corpus non ita clauditur ut in aliis animalibus, multumque exhalat, atque in Ver remanet parum: præterea vi frigoris pilus marcescit ac emoritur in bruto. Jam ergo calente ve-

re dum vapor copiosius affluit in bestia ad pellem, mortuum pilum non alit, neque illi jungitur, sed potiùs in novum pilum formatus laxatâ pelle veterem malè hærentem extrudit. At in homine nec prior pilus mortuus, nec halitus multus, proinde se priori pilo jungit, ac illi dat incrementum. Quodsi quæ bruta non mutant pilum, eorum tantus calor ut viventes ac vegetes per hyemem conservent pilos.

Cur in rubro stragulo decumbens calculosus irritat calculum?

Ita evenire nobis ostendit experientia. Ob eandem autem causam id videtur evenire, ob quam oculi rubrorum intuitu inflammantur: quod non fit ob solum calorem, nam aër æstate calentior quàm color ruber, & oculis propior, neque inflammat. In renibus etiam calefactus calculus non aggregatur. Uti suo loco diximus. In oculos igitur species rubri illapsæ movent phantasma ut sangvinem calentem ad oculos adducat, aut saltem spiritus ejus fervidos, uti fit etiam dum quis hostem aspicit: calor enim ad oculos ascendit. In decubitu verò supra rubrum ita fieri existimamus. Pannus rubeus calefactus

emittit halitus qui ſimiles ſunt ſangvineis, hi corpus intrant, miſcenturque cum ſangvineis, quos ſangvis ſequitur, atque opplet corpus, hinc gravedo circa ſpinam moleſtias excitat ſimiles atque in calculo. Ac proinde etſi id accidere credatur Solis calculoſis, quia in illis ob partes læſas, aut diſtemperatas validiùs ſe exerit, contingit etiam aliis. verùm ſatis de experientia incerta.

Cur ſi canis crebrò ſcopis ex betula factis verberetur tandem retrò effundat inteſtinum?

Multi id dicunt ſe expertos, ſi tamen fabula non eſt, ex caſuali lapſu canini inteſtini ſumpta, ejus poteſt hæc ratio aſſignari. Canis eſt animal multùm melancholicum & cholericum betulæ habent vim diſſipandi melancholiam. Dum ergo ſcopis percutitur melancholia diſſipatur ac ſe miſcet excrementis illisq; aliàs aridis tollit lubricitatem: bilis verò intra verbera commota ſtimulat ad excretionem, cogitque maximum adhibere conatum, quod dum fit, inteſtinum quidem ſuo loco manet, expellitur verò vacuum tanquam illud cui facilior egreſſus.

Cur in vulneribus inveniatur ſanies & ſordes?

In omni alteratione alimenti intra ani-

m[al]

mal duplex invenitur excrementum crassum & tenue. Ita dum cibus vertitur in carnem, pars tenuior exhalat, per vapores, pars verò crassior in cutim emergit in eaque concrescit. In vulneribus verò pars tenuis in saniem vertitur & vulnus humectat: pars crassa sordidum reddit, ita Gal. 3. Meth. c. 3.

Cur in quibusdam Indiæ partibus cælo sudo serpentes venenati ex aëre decidant?

In anno dierum memorabilium die 10. Maii, scribit P. Jo. Nadasi, apud Quirenses in India Occidentali, sudo cælo & Sole flagrantissimo, in locis apertis & ab omni montium societate remotis, cadere è serenissimo aëre serpentes, quartam ulnæ partem longos, & ferè pollicis mole crassos, squamis colore argenteis lucidos, geminis capitibus insignes, nam & caudæ locum alterum caput occupat, teneris dentibus ex ore armatum, non secùs ac alterum. Videntur tamen in eo talparum quiddam habere, quôd oculos in illis nulla hactenus diligentia repererit. Veneni sunt immedicabilis, eorum morsu sauciatus, sangvinem oculis, auribus, naribus, ore inter horribiles dolores effundit. Rationem singulorum reddere conabimur.

bimur. Sole flagrante plurimæ exhalationes aſcendunt, & inter illas halitus etiam animalium, & poteſt contingere ubi venenata projiciunt ſemina & è coitu aliquo aſcendunt vel ubi turgent ſemine ut etiam halitus ſeminum aſcendãt. Halitus etiam è mercurio dum Sole flagrat nimio alta petunt. Et Sole quaſi mercurius ſublimatur, hi habet virtutem inargentandi, & ex hoc dum ſe affigit horum ſerpentum pelli, fit inargentatio. Ipſe verò ſerpens fit ex mixtura plurium ſeminalium halituum, unde quaſi plura ſunt animalia in uno, hinc duplex caput. Cæcus naſcitur quia eſt velox generatio & imperfecta, nam canis quia feſtinat parere cæcos edit: vermes etiam è putri, cæci: præterea humor ad oculos requiritur, hi ſerpentes ſunt ignei. Molis non magnæ cùm ex halitibus conſtent. Sereno cælo decidunt, quia tum halitus aſcendunt & à pluviis non diluuntur. Veneni ſunt implacabilis ob mixturam diverſorum & contrariorum habituum, ſic enim dum uni veneno occurritur, alterum exacuitur. Sanguinem facit evomere &c. quia venenum corrodit vinum & ardore ſuo facit bullire ac rarefieri ſangvinem. Dolores

im-

immensos ciet, quia plurium venenorum vim continet. Nasci autem insecta in aëre compertum, & modum quo id fiat in Meteoris explicuimus.

Cur aliqui possunt fronte illisâ quævis durissima rumpere?

Novimus illos qui frontem illidendo tabulas quasvis solidas, imò portas rumpunt: sed ab oculatis & dignis fide accepimus de quodam equite Litvano, qui dum armis spoliatus & equo alligatus duceretur à quodam Sveco milite captivus, tantâ vi in ejus galeam quâ tectus fuit, caput illisit, ut Sveco oculi cum sangvine & cerebro prosilierint, subitoque mortuus ex equo defluxerit. In ejusmodi arietibus cervix est flexuosa ut caput reflectant retrò impetumque concipiant, os crassum terreo multo subtilique constans propter quod est firmum, unde talis torto sunt capillitio, fronte apertâ sed siccâ: furiosi ob calorem multum qui illud os indurat, cerebro duro ac fortiter suæ sedi inhærent, ex quibus omnibus conficitur causa prædicti effectûs.

Cur subinde nubem ventus validus comitatur?

Illa nubes est frigidissima proinde exha-

lationes materias ventorum vehementer infrigidat, quæ impetu velut flumen ex alto in terram defluunt, & sic oritur frigida tempestas.

Cur non inebriat æquè cibus ac potus?

Uterque fumum in caput mittit, sed potûs solet esse calidior qui inebriat & faciliùs ac simul resolvitur in fumum, & caput invadit. Cibus per partes & pauciores ac frigidiores mittit fumos, qui interim in capite dissipantur, dum alii parantur, & potiùs gravant quàm incendunt cerebrum.

Cur animalia quæ saginantur, ubi multùm impingvata postea marcescunt?

Ubi est pingvedo multa ibi & frigiditas, hæc ubi excessit calorem naturalem debilitat, ut non possit multum sangvinem, qui est materia pingvedinis subministrare, venæ etiam per quas sangvis affluit stringuntur adipe, interim antiqua pingvedo exhalat, hinc macrescunt.

Cur dum lapis malleo percutitur superiores partes lapidis comminuuntur, inferiores finduntur?

Quia superiores comminutæ instar cunei lapidem intrant, intrant verò quia lapis cuneato malleo impetitur, qualem pro

 isti

isto effectu supponimus, & ita partes quas impetit in cuneum premendo redigit: & si hoc in diversis partibus vel mallei ob ejus scabram superficiem: vel lapidis ob inæqualem temperiem, ob quam aliæ partes magis cedunt aliis, accidat, lapis in plures partes finditur.

Cur admirabilia oblectant?

Respondeo ex S. Th. 1. 2. q. 32. a. 8. Admiratio est principium sapientiæ ut ait Arist. In augmento desiderii, fit augmentum delectationis, secundùm quod fit etiam spes rei amatæ. Est autem admiratio desiderium quoddam sciendi, quod in homine contingit ex hoc, quòd videt effectum & ignorat causam: vel ex hoc quòd causa talis effectûs excedit cognitionem, aut facultatem ipsius: & ideò admiratio est causa delectationis, in quantùm habet adjunctam spem concipiendi illius, quod scire desiderat: & propter hoc omnia admirabilia sunt delectabilia.

INDEX

INDEX.

Sub-

Sectio 3. De Agrariis Officinis.

Sectio 6. De Venatione, Aucupio, Piscatione.

Subsectio 1. De Venatio & Feris.

Sectio 7. De Horto.

Sectio 8. De Pomario & Arboribus.

caput





